BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
22 C
34

13-22 d. 12

H. 1116 C. H. Lyon

Digitized by Google

CRIMINALIS ARTIS ANOTOMIA

PRO

IUSTITIÆ CULTORIBUS PRACTICIS REGULARIBUS

a

P. IOANNE FRANCISCO DE LEONIS A CARPI

Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum Concionatore,

NECNON

SERENISSIMI MANTUÆ DUCIS THEOLOGO

Elucubrata

QUA

Judicibus, Actoribus, ac Reis,

Quæcumque in Jure procedendi via Theoricè, & Practicè demonſtratur.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI D. D.

FRANCISCO BARBERINO S. R. E. CARDINALI

Et in Exarchatu Ravennæ S. D. N. INNOC. XII. De Latere LEGATO

Dicata.

MANTUÆ, apud Oſanas, Ducales Typographos. 1694

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Pertinet ad Bibliothecam S. Francisci
Transtyberim 1718.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

HÆrebam animo, ac veluti Labyrinthæo diù præpeditus anfracto ancipiti agebar arbitratu, Em. Princeps, omniumque eruditorum Męcenas amantiſſime: An Praxis hæc mea rerum Criminalium ſub Tuis in Orbem poſſet auſpicatiſsimis prodire Auſpicijs. Dicebam mecum ego ipſe. Quid crimen cum Purpura? Ex illo *Pſephus* ideſt *Tenebra*; ex hac *Phœbus*, ideſt *Lux*. Quæ igitur Conventio Lucis ad Tenebras? Agedùm ædepòl: rupi moras, & quæ meis veluti Cimmeria obvolvebantur obtutibus felici omine diſieci. Quandoquidem Praxis Criminalis in Eminentiſsimo Principe [illegible] eſt tenebroſa, nec ingloria; ſed omninò fulgens, plerumque honora. Maximè autem hoc promendum in Eminentiſsimo Principe Pontificiam Ravennatenſem Legationem moderante, ac plauſabiliter proſequente. Tibi igitur Em: Princeps pleno Jure (tribue, ut ſic loquar) hæc Praxis mea Criminalis debebatur, ut ſub tanti Principis ipſa auſpicijs proditura, & Inſontibus tutum concederetur Aſylum, & ſontibus promerita indiceretur animadverſio. Te unum ſolum in hoc meo qualicumque Opuſculo edendo auſpicatò reſpexi, gratum Tibi me facturum autumans. Si quidem eſt ar-

gumentum, quod intimè calles, & quo, pro Officio, digniſsimè fungeris. Atque utinàm hanc Provinciam omnes, ſicut Tu, ſtrenuo, ac docto fuiſſent ſtudio proſecuti. Non enim Albionis Regum non Auguſtæ Scotorum Reginæ, non aliorum quamplurium ſimilium cruorem fluere, impio, planèque deteſtando facinore, Lictore feriente (Exarchis antiquis Ravennatibus Arpocrati jam litatis) complanxiſſemus. Enimverò ad quid hæc nimiùm funeſta perpetua prorsùs oblivione parentanda revolvo? Quandoquidem *Stirps Barberina* Mitrarum, Purpurarum, ac pœnè dixerim, Camauri Seminarium, in tot egregijs, ac celeberrimis Heroibus, quibus ſemper abundavit, hujuſmodi tragicas Cataſtrophes numquam, & nuſquam accinere, & repræſentare viſa fuit. Quinimmò in tot Eminentiſsimis Purpuratis, quos habuiſſe omnes norunt, & in Summo Pontifice URBANO VIII. Supremo totius Orbis Paſtore (ut ſilentio obvolvam illos plures, qua Paludamento, qua Abolla indutos ſupremas dignitates, & Dynaſtias, quas vocant, Sæculares exercentes, & decorantes) compertum omnibus quidem fuit, aurea Sæcula; Neſtoreoſque annos, ipſis Moderatoribus floruiſſe: in quibus & Juſtitia ex Juſtitia exercebatur, & Caritas ex Charitate abigebatur, & Pax ex Pace tribuebatur, & Miſericordia ex intimo corde miſericorde dabatur: raròque animadverſionis Gladius in Reos, & Criminoſos ex vagina exerebatur: niſi ſceleſtis delictorum patratorum atrocitas, facto utique agmine, plurimùm impuliſſet. Stegmaticæ enim *Apes*, tametſi Mel conficiunt, aculeo carent. Cæterùm humillimè obteſtor Emi-

nentiam

nentiam Tuam, ut hoc meum qualecumque Munuſcu-lum ea, qua cunctos ſoles, læta fronte, prompto animo, expanſo corde dignetur ſuſcipere: Non utique ad ipſum legendum, quia hujuſmodi non indiges; Es enim Magiſter Supremus in Iſrael, ſed planè, quòd etiam, atque etiam expoſtulo, & exopto ad protegendum. Et ſicut mea minima Congregatio Capuccina ex Tua Eminentiſſima *Stirpe* in D. D. Eminentiſsimo Cardinali S. Onuphrij S. D. N. URBANI VIII. ſecundùm carnem fratre germano ſummè fuit decorata; Sic eandem *Genus Barberinum* peculiari ſemper fuit & dilectione, & Protectione proſecutum: Ità quoque, & meum hoc Opuſculum, & me tuum addictiſſimum, & humillimum Servum illud ipſum offerentem benigno reſpice obtutu, ac valido auſpiciorum auxilio fove; qui ſemper dicor

Eminentiæ Tuæ

Datum Mantuæ die 2. Iulij 1694.

Humillimus, Obſequentiſs. & Addictiſs. Ser.
F. Io. Franciſcus à Carpi Concion. Capuc.

Reve-

124 17 57 65 73 108 9 70 1 45 84
Reverendus Adm. Pater Frater *Ioannes Franciſcus* de Leonis *à Carpi* Ordinis
127 120 76 25 67 156 4:4 84
Capucinorum Concionator *meritò* hoc Opus Eminentiſsimo D.D. FRANCISCO
80 18 17 5 68 36 20 93 41
BARBERINO S. R. E. Cardinali *dicat atque conſecrat* anno. 1694.

VATICINIVM NVMERICVM

22 39 47 75 116 66 44 36 50 5 83 22 51
Oh tu verè nimium , nimiumque fælix liber dum vix è typis in lucem
114 54 48 4 32 88 197 98 22
prodijſti, quod talem, ac tàm eximium Purpuratumque Principem, in
111 4 99 58 109
Patronum ac Defenſorem *accipere meruiſti.* 1694.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.
A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y.

Probatio Primi.	*Probatio Secundi.*
124	22
17	39
57	47
65	75
73	116
108	66
9	44
70	36
1	50
45	5
84	83
127	22
120	51
76	114
25	54
67	48
156	4
4	32
4	88
84	197
80	98
18	22
17	111
5	4
68	99
36	58
20	109
93	1694
41	
1694	

EPIGRAMMA.

PAndit anhela ſuo, licèt amplo, fama cothurno
Quòd liber hic blandum tradit ubique melos.
Scilicèt *à Carpi* ille *Ioannes* famine dictus
Nec non *Franciſcus* Cauſidicoſque docet.
Judicibus methodum dat, ſontes punit, & hoſtes.
Romuleis paginos implet utrimque Vadis
Ergo (nec mea fallit opinio) Principe dignus
Supremo Liber hic, Purpureaque Toga.
Tu verè oh nimium, nimiumque Liber meruiſti
Fœlix, quòd talem, ac tam eximium accipere
Omine pervalido, *in Lucem vix dum prodiiſti*
Patronum. At prope ſunt Ignea quæque Poli,
Et refiuent fauſto benè ſtantia ſidera Cœli
Auſpicia auguria, quæ Aſtra maligna fugant.
BARBERINUS adeſt, cui Purpura, Mitra, Camaurus
Naſcuntur. *meritò conſecrat, acque dicat*
Ut quem Apis in proprio *carpit* non pigra Vireto.
Florem, ex hoc valeat lambere tuta Libro.
Carpere conſtanti, quæ intexit Mellea Phœbo
Divite nectareis vaſcque Tecta Favis.

N. N. N.

Au-

Augurio felice nell'uſcire dalle Stampe al

LIBRO INTITOLATO

CRIMINALIS ARTIS ANOTOMIA

Compoſto dal M. R. P. Gio: Franceſco da Carpi Predicatore Capuccino, e Teologo Ducale del Sereniſsimo di Mantova.

TRIBUTO D'OSSEQUIO

ESci dotto VOLVME
A' Vagheggiar del Sol lucente i rai
Col diſprezzar di Lete il mortal fiume,
Che Aureola d'honor, certo haverai;
E ſe il Livor t'aſſale
Verme, che i fogli altrui roder procura,
Non temer la ſventura,
Che ſe un BARBERIN hai per tua ſcorta,
Ecco lingua maligna eſtinta, e morta.
Vanne dunque, e sbandiſsi ogni dimora
Gli converà morir, pria che divora.

In teſtimonianza di ſervitù
N. N. N.

AD

Ad Cultores, & Miniſtros Juſtitiæ

PRÆFATIO.

Optimè inquit Philoſophus Divinum opus eſſe Iuriſprudentiæ ſcientia abſtruſa crimina in lucem prodere, illaque temporaliter punire. Cùm enim ſolus Deus ſit ſecretorum vindex, & Propheta teſte, In circuitu impij ambulent, ut ſua in tenebris conſepeliant crimina. Evenit plerumque, ut ab humano judicio major pars delinquentium exempta fiat. Sed heù miſeri! quia ſic ſtrictiſſimo Divini Tribunalis judicio reſerventur. Non alia tamen ex cauſa, quàm ex malitia, negligentia, vel inſcientia Iudicum, hæc præter Divinam voluntatem accidunt; quia cùm piiſſimus Deus peculiari gratia reos in hac vita divexari cuperet, nè ſuo judicio æternaliter cruciarentur, hominem docuit Criminalis artis ingenio obſcura quæque patefacere; itàut hac arte Divina Nox nocti indicet ſcientiam, & in abſconditis tellus accuſet, ſydera teſtentur, & Cœlum condemnet. Quinimmò Divina Iuſtitia, quamdam naturam homini indidit, quæ ipſum compellit, aut verum expreſsè fateri, aut aliter per ſigna patefacere. Undè legitur Prov. 28. *Fugit impius nemine perſequente*. & alibi *Amictus corporis, & riſus dentium enunciant de illo. Eccleſ. 19. n.* 27. Et Miniſtrorum eſt proverbium, *Quòd vultus hominis eſt ſpeculum veritatis*.

Artis igitur Criminalis certæ ſunt regulæ, ut ipſas ſervantes ad veritatem indubitanter perducant. Neque eſt mirum, ſi tot hodie & crimina graſſentur, & ſine preda reorum tot fruſtrentur Inquiſitiones; dum multi Iudices ſine ordine, & ſine tramite ad Inquiſitionem procedunt. Parcant igitur Religioſiſſimi Iudices, ſi quæ ad illorum Sapientiæ notiſſima propinavero.

Ante omnia enim ipſis meminerim Sapientiſſimum Salomonem Criminalem artem ordinatiſſimo ædificio conſimilaſſe, in cujus ſummis penetralibus, inquit Iuſtitiam, & veritatem reſidere, & illuc per varios, & ordinatos gradus conſcendi. Solummodo ad rem noſtram ſuppono, ædificium utrumque ſuis baſibus indigere. Illius ſunt marmora, & ſaxa; hujus noſtri ſunt vera crimi-

na: cùm ordo naturæ depoſcat, ut priùs, quod factum ſit, quàm à quo, vel quale ſit, quæratur. Sicque primo loco probatio delicti pro fundamento ponitur; deindè diſquiritur à quo; & tertio inveſtigatur quo animo factum ſit. Ad quæ juxta Gloſſam penetranda, decet Iudicem eſſe ſollicitum, aſtutum, diligentem, ſagacem, ingenioſum, & doctum. Et nihil eſt per hujus artis præcepta impenetrabile. Undè ait Spiritus Sanctus *Prov.* 27. *Corda hominum manifeſta ſunt prudentibus*. Et de hac aſtutia gloriatur Apoſtolus dicens. *Cùm eſſem aſtutus dolo vos cœpi.* 2. *Cor.* 12. *n.* 16.

Si ergo per artis hujuſce ſtateram non humani, aut falacis ingenij arbitrum penſitentur indicia, lux in tenebris deliteſcens, & tenebræ ipſæ mirabiliter apparebunt in luce; cùm ſit impoſſibile quemquam ità luminis pollere ſortibus, ut deliteſcentes conjecturas, intimas præſumptiones, genuina indicia, factique cætera attributa, ac elementa ſine hac methodo dignoſcat.

Et ſanè (crimine jam ſuppoſito) quoad Rei perquiſitionem notandùm eſt, univerſa veritatis elementa ex quatuor hauriri fontibus, videlicèt, ex Perſona, Cauſa, facto, & dicto; & ſecundùm aliquos ex non facto, & non dicto: in quibus ſcrutandis ſecundùm Baldum proceditur à priori, ab inſtanti, & à poſteriori.

Primò igitur ante delictum deſumuntur indicia à perſona, à cauſa, à conſilijs: qualis enim perſona eſt, evenit neceſſariò, ut hujuſmodi ſint actiones, & qualitas perſonæ animum etiam demonſtrat.

Secundò loco deſumuntur indicia à cauſa, cùm nihil ſine cauſa fiat, & conſiderantur quinque; ſcilicèt, Ira, odium, metus, ſpes, & cupiditas: Et ille in dubio præſumitur deliquiſſe, qui ex delicto commodum conſequi, vel incommodum evitare potuiſſe probatur. Sicque Reus invenitur per dictas cauſas; videlicèt, Numquid commodum ex maleficio acquiſierit? Num honorem, num dominationem, num aliquam amoris cupiditatem? Aut numquid aliquam incommoditatem vitarit, inimicitias, infamiam, dolorem, ſupplicium, & ſimilia? Et nihil refert, ſi adverſus fuerit eventus, dummodo poſſit dici cauſam extitiſſe, vel ità illi viſum fuiſſe; cùm animus, non eventus attendatur in delictis. Et multum intererit oſtendere alij nemini fuiſſe cauſam faciendi, vel tantam, vel tam idoneam: Et ſi cauſam apparebit fuiſſe, ſubindè aut poteſtatem, aut facultatem, vel ſaltem voluntatem fuiſſe, diſquiretur.

Cauſæ autem indubitanter non tàm delinquentem, quàm propoſitum demonſtrant; & quòd indicat propoſitum, indicat & reum: Et factum, vel non factum; dictum, vel non dictum utraque demonſtrant; quia homines, quòd volunt, & poſſunt, etiam faciunt: & quòd cogitant, dicunt; & dicta committunt.

Prædictarum autem cauſarum tituli duo ſunt, malitia, & incontinentia: Altera dicitur ratiocinata, & altera impulſiva: Sicque qualibus vitijs quiſque dominatur, in ea lapſus præſumitur. Undè fit, ut de fama perſonæ tàm in genere, quàm in ſpecie quærendum ſit; cùm ex antefactis vita hominis ſpectetur, & ea quæ fiunt, & quæ factura ſint ex præteritis colligantur.

Con-

Conglutinari cauſam cum vitio perſonæ magnum erit Inquiſitionis lucrum; & ſi poſt cauſam de recenti ſequatur effectus conſtabilita præſumptio fuerit. Facta quoque validabunt præſumpta, ſi à priori, & inſtanti quæratur, Ubi ille, qui cauſam habuit, fuerit? Quo cum viſus, nunquid præpararit? Nunquem convenerit? Numquem allocutus fuerit de ſuſpectis? Num quo in loco fuerit præter conſuetudinem, aut alieno tempore? Item de tempore, loco, modo, facultate, & occaſione. Item de facto, videlicèt, quid factum ſit, quod non oportuerit? Item de dicto, numquid dictum fuerit ante, ſeù poſt delictum? prout minæ, jactationes &c. Item ex non dicto: Tacens enim delictum præſumitur particeps. Item ex alijs delictis conſequentibus conjicitur delictum, v. g. ex fuga, cruore, pallore, & alijs hujuſcemodi naturalibus, quæ veritatis teſtimonia ſunt certa; quia ſic Deus creavit humanam mentem inimicam culpæ, ut intus crucians fiat foris Fiſcalis, Teſtis, & Carnifex. Tres autem ſunt gradus inveſtigabiles veritatis, ex quibus ſecundùm Criminaliſtas procedunt tres animi motus.

Primus gradus ſunt ſimplices informationes, ſeù delationes, cui reſpondit primus animi motus, qui dicitur impulſivus; quia humana nos natura, quodammodo impellit, ut ſubitò credamus, quod audimus; & idcircò Iudex in principio dicitur magis favere actori, quàm reo.

Secundus gradus ſunt Adminiculationes ſubſequentes, quando, ſcilicèt, prioribus relatis, & dictis, adjunguntur: Hincque procedit ſecundus animi motus, qui dicitur diſcurſivus; quia ratiocinativus homo ſi leve ſit adminiculum, dubitat; cùm neſciat, quid credat. Si unum vehemens, vel plura levia adjungantur, opinatur; quia ad unam partem licèt cum formidine inclinat: & idcircò Iudex in medio cauſæ æqualiter ſe debet habere tàm pro reo, quàm pro actore. Si verò violentum, & indubitatum, vel plura hujuſmodi adminicula ſuccedunt, tunc ſine hæſitatione judicat.

Tertius gradus indubitata ſunt indicia, evidenteſque probationes, cui ſuccedit tertius animi motus, qui poteſt dici quietativus; quia ex his ſic humanus animus informatur, ut certum credat, quòd ſibi probatio manifeſtat: & ad hanc animi quietem gradatim, ut ſupra pervenitur; quia quando Iudici res proponitur, & per reum negatur, Iudicis animus ad dubitandum inducitur. Re ſic negata, ſi aliquod ſuperveniat indicium, quamvis leve, Iudex incipit ſuſpicari: Et iſta ſuſpicio eſt primus gradus probationis. Poſt ſuſpicionis gradum, ſi Iudici appareant argumenta fortiora, tunc incipit opinari. Quæ ſi talia ſunt, quæ ſemiplenam conſtituant probationem, Iudex dicitur rem quaſi certò ſcire. Si plenam, certò ſcire dicitur. Si verò defectu probationum Iudex in fine litis ſit dubius, in pari cauſa debet in favorem Rei ferre ſententiam. *l. favorabiliores ff. de reg. jur. l. Matr. in C. de probat.*

Undè primo loco eſt ſuſpicio; ſecundo loco opinio; tertio loco ſemiplena probatio; & quarto loco plena probatio. Quia ſicut intellectus humanus in ſpeculativis ſcientiis per certas, probataſque cauſas alicui rei adhæret, ad quam per diverſas rationes, tamquam per gradus pervenit: Ita in practicis &

b 2 mora-

moralibus eſt quædam ſcientia non evidentialis, ſed conjecturalis, quæ ex indiciis, & conjecturis acquiritur. Interiora enim per exteriora, & exteriora per interiora monſtrantur. Undè ait Spiritus Sanctus. *Eccleſ. 19. 26. Ex viſu cognoſcitur vir, & occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus.* Neque impunis Iudex evadit, qui hanc ſagacitatem ſpernit, quique hanc ſacram aſtutiam in Iudiciis non ſervat.

Et quia ad Religioſos Iudices, qui in aſtutiis Criminalibus non tam verſati extant, hanc per me elucubratam Criminalis artis Anotomiam præcipuè direxi. Ideò etiam opere pretio duxi, hinc infra ſubjungere nonnullas regulas, & praxes in varios tractatus diſtributas, quibus mediantibus ritè, ac rectè non minus quàm breviter, & utiliter poſtpoſitis, juxta Bonifacij VIII. privilegium, Iuris apicibus, formare poterunt proceſſus per viam Inquiſitionis, Denuntiationis, Accuſationis, nec non Articulorum Juratorum. Quòd ſi ab ipſis obſervationibus non recedent pro certò ſciant, ſe numquam apud Deum verum, & univerſalem omnium Iudicem de ſuis Iudiciis, & ſententiis rationem eſſe redditurος.

Cen-

Cenſura F. Ambroſij Brigenti à Mantua Concionatoris, & Guardiani Capucini.

OPus egregium; cujus Epigraphe eſt *Artis Criminalis Anotomia* à R.P. Ioa. Franciſco à Carpi Noſtri Ordinis Concionatore compoſitum, ex commiſſione Adm. R. P. Seraphini à Vincentia Provincialis Miniſtri hujus noſtræ Provinciæ Venetiarum, ita mandante Reverendiſs. P. Bernardino ab Aretio Miniſtro Generali, Ego infraſcriptus ſedulus legi, lætus percurri, ac diligenti mentis acie admirabundus perluſtravi. Et non ſolùm in eo aliquid à Fide Catholica, & à bonis moribus diſſonum non reperi: quin potiùs ad Iuſtitiam in Criminalibus ritè, ac rectè adminiſtrandam ſelectioribus illud ipſum animadverſionibus validè, & ſolidè refertum cognovi; ut unicuique quod ex Iuribus ſuum eſt: æquo lancis ſacomate tribuatur. Itaque ne Iudices, maximè Regularium Tribunalium; qui alioquin Iuris peritia debent eſſe omninò prædicti, atque ornati. *l certi Iuris. C. de Judicib. & cap. Cùm in cunctis de elect.* in Criminalibus Labyrinthæis anfractibus; cum irreparabili Reorum ſuppoſitorum jactura, nimis devij errent, hoc Opus Ariadnæo veluti filo concomitatur ſocietate fideli, atque præcedit: Ut meritò dici queat de ipſo illud Davidis *Iuſtitia, & Iudicium præparatio ſedis tuæ*, Nam *Iuſtitia, quæ de Cælo proſpexit, ut audiret gemitus compeditorum, & ut ſolveret filios interemptorum*. in huius Operis decurſu maximè elucet; Si quidem optima concinnitate pelucida methodo, mirabili ordine, opportunioribus Iuris utriuſque

decisio-

deciſionibus, elegantibus Praxium formulis, ac multiplici graviſſimorum Doctorum Nomenclatura Opus iſtud in hac materia, & ſubjecto verè ſelectum ita procedit; ut rationes Fiſci ſine præjudicio Reorum; & rationes Reorum ſine detrimento Fiſci egregio fidelitatis, & eruditionis nexu proponantur, & expendantur. Quapropter illud dignum reor, ut luci ad Sæcula numquam interitura mediantis Typis, quantotiùs perfruatur. Plurimum enim Iudicibus præcipuè Regularibus inſerviturum, ac profuturum autumo. Ita lubens ſubſcribo hac die 4 Februarij 1692 in hoc noſtro Conventu Godii.

Ego F. Ambroſius Brigentus à Mantua Concionator & Guardianus Capucinus.

IUſſu Admodum R. P. Seraphini à Vincentia in Veneta Provincia Provincialis Miniſtri, deque mandato Reverendiſs. P. Bernardini ab Aretio Ordinis noſtri Capuccinorum Miniſtri Generalis ſumma attentione per legi Opus maximè eximium, pondere maius: *Artis Criminalis Anotomia* Authore Rev.P. Ioa. Franciſco à Carpi eiuſdem Religionis Concionatore, qui Criminalis in corpore Iuris adeò exactè quæ ſcienda, vel minima occurunt anatomica diligentia, acumine, ſedulitate, labore ita denudat, ut errare in poſterum Iudices ſe, ſuaque munia in hoc Opere contemplantes fore impoſſibile videatur. Verùm, quòd ad fidem attinet, morumque diſciplinam caſtigatum hîc omne verbum, ac ſanctè redolens. Ideò citò expediendum in publicum opus cenſeo, quod utilitati publicæ mirabiliter conſulens, æternum vivere dignum eſt. Datum Venetiis in Conventu noſtro hac die 20. Februarii 1692.

F. Dominicus à Venetijs Concionator Capucinus, ac Sacræ Theol. bis Lector.

Nos

Nos F. Bernardinus ab Aretio Miniſter Generalis Capucinorum l. im.

Cùm *Opus, cuius titulus eſt*. Criminalis Artis Anotomia pro Iuſtitiæ cultoribus præcipuè Regularibus *à P. Ioa. Franciſco à Carpi noſtri Ordinis Prædicatore compoſitum à duobus Theologis de eodem Ordine noſtro, quibus id commiſſum fuerat, reviſum, & approbatum ſit; tenore præſentium facultatem facimus, ut Typis mandetur, ſervatis ſervandis, ſi & ijs ad quos pertinet ita videbitur. Datum Argentani in Provincia Normanniæ die 7. Iunii 1693.*

Loco † ſigilli.

F. Bernardinus qui ſupra &c.

E*Go infraſcriptus librum, cui titulus eſt* Criminalis Artis Anotomia *A. R. P. Ioa. Franciſco de Leonis à Carpi Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum, de mandato Reverendiſſimi Patris Inquiſitoris Mantuæ legi, & examinavi, in quo nil diſſonum inveni, & dignum Prælo judicavi.*

F. Raymundus Aſperti Sacræ Theol.
Lector Primarius Ordinis Prædicatorum.

Imprimatur F. Aurelius à Turre Inquiſitor Generalis Mantuæ.

Vidit Berettus à Secretis Status.

TRA-

TRACTATUS PRIMUS GENERALIS.

DE LEGITIMA JUDICUM REGULARIUM poteſtate. Regula Prima.

§. 1. LEgitima Iudicis poteſtas, ſicut ex triplici potiſſimum capite oriri ſolet, ſic in triplici quoque differentia conſiderandus eſt Iudex: nempè, Ordinarius, Delegatus, & Arbitrarius. Primus à Iure. Secundus ab Ordinarii commiſſione. Tertius à partium aſſenſu cum conſenſu Iudicis Ordinarij poteſtatem habet. Iudices Ordinarij ſunt in noſtra Religione P. Generalis, qui Ordinariam in toto Ordine poteſtatem exercet. Procurator Generalis, quatenus Commiſſarij Generalis, & Ordinarii Ius ſibi annexum habet. Viſitatores Generales, qui ſtabiles, & permanentes dicuntur. Capitulum Generale, & Provinciale toto illo tempore, quo celebrantur. Quilibet Provincialis in ſua Provincia. Hi enim apud nos Iudicum Ordinariorum munus exercent, & ipſis ex officio Ius competit, omnes tàm levium, & gravium, quàm graviorum, & graviſſimorum delictorum cauſas cognoſcere, proceſſus conſtruere, ſententias contra delinquentes ferre, eos debitis pœnis afficere, ac cætera præſtare, quæ de Iure ſibi ipſis competere videntur. Guardiani Actuales Moneſtariorum, in quibus Religioſi ſuam emiſerunt profeſſionem, ſunt & ipſi Iudices Ordinarii ex diſpoſitione Conc. Triden. *c. 19. de Regul. ſeſſ. 25.* & ex declaratione Sac. Cong. ejuſdem Concil. 1. Decembris 1593. una ſimul, & conjunctim cum Epiſcopo Diœceſano, vel eius Vicario in Cauſis nullitatis profeſſionis Religioſi intra quinquennium reclamantis, ità quòd nec Generalis, & multò minus Provincialis in eiſdem Cauſis nullitatis neque per ſe ipſos, neque per alios ſuas vices gerentes ſe intromittere, vel ingerere queant. *Donat. Laym. tom. 2. de reclam. profeſ. nullit. tract. 12. q. 19. num. 3. Ant. à Spiritu Sancto de obligat. Relig. tract. 3. diſp. 3. ſect. 5. n. 170.* Cùm verba Conc. Trid. *Coram ſuperiore ſuo, & Ordinario* intelligi debeant de Superiore immediato, & actuali illius Monaſterij, in quo emiſſa fuit profeſſio, & de Ordinario illius loci, ubi tale Monaſterium extat. *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. part. 5. allegat. 104. n. 12. Bord. de reclam. profeſ. c. 22. tom. 5. num. 27. Fagnan. in 2. part. 1. Decretal. cap. Perlatum num. 51. de iis, qui vi &c. Idem Donat. & Ant. à Spir. S. loc. cit. Peyr. tom. 2. nu. 12. fol. mihi 546.* qui etiam adducit ſupracitatum Decretum Sacr. Congr. Concil. ſic ſtatuens. Reliqui Guardiani in ſuis Conventibus, necnon Vicarii defuncto Guar-

diano, ac etiam Vicarii locorum in quibus nondum Guardianus eſt inſtitutus, licèt ſint & ipſi Iudices Ordinarii in ipſorum Conventibus, non tamen omnia crimina, ſed tantummodò levia, & gravia ſuorum ſubditorum delicta juxta ipſorum diſtinctionem in noſtro modo procedendi in 1. 2. 3. & 4. diviſione explicatam abſque ullo ſcripto corrigere incumbit. Graviora autem, & graviſſima de quibus juxta ſtylum noſtræ Religionis, & modum procedendi proceſſus conſtruere ſolet ex officio cognoſcere, & caſtigare ipſis omninò prohibetur, niſi in quibuſdam caſibus urgentibus infra explicandis *in tract. de pœnis regul.* 5. §. 3. Reum autem citare, aut conſtituere, vel contra ipſum ſententiam ferre, ſeù ulla pœna Iuris, ſub pœna nullitatis ex defectu Iuriſdictionis penitùs interdicitur. Vicarius localis abſente Guardiano per diem integrum naturalem eſt abſolutus Superior Conventus. *Peyr. in privil. Minim. t. 1. conſtit. 4. Six. V. §. 6. n. 16. Rodriq. tom. 1. q. 20. a. 2. Paſqual. deciſ. 99. num. 2.* Nec Guardiani abſentes poſſunt ſuorum Vicariorum auctoritatem limitare, vel reſtringere; quia in eorum abſentiam habent eandem poteſtatem, quam ipſi per conceſſionem Iul. II., & poſſunt facere omnia, quæ Guardiani efficere poſſunt, quòd maximè procedit, ſi abſentia eſt diuturna. *Mirand. tom. 2. q. 20. a. 1. concluſ. 2. Suarez de Relig. tom. 4. c. 22. tract. 8. n. 6. Rodriq. t. 3. q. 46. art. 1.*

§. 2. Iudices delegati ſunt Viſitatores à Generali Miniſtro ad aliquam Provinciam viſitandam miſſi. Sivè ij Patres, qui ad aliquam Cauſam, ſeù aliquas Cauſas, vel etiam ad univerſitatem Cauſarum ab Ordinarijs deſtinantur. Commiſſarij Delegati ad univerſitatem Cauſarum, ut infrà diffuſiùs explicabimus, etiam alios ad aliquam illarum ſubdelegare poſſunt, quòd uſu receptum eſt in Viſitatoribus Provinciarum, etiam ſi in ipſorum patentibus dicatur. *De tua prudentia &c.* niſi aliud ex mente Delegantis, & negotii qualitate videatur. *Gloſ. in cap. cum Cauſam* extra, *de appell.* Delegati auctoritas, re adhuc integra, mortuo, vel amoto Delegante, eò ipſo expirat: Secùs ſi cauſam ſibi delegatam cognoſcere inceperit, citando Reos, vel teſtes examinando. *Maſtril. deciſ. 6. num. 12. Lauden. de princip. q. 598. Burg. q. 867. num. 10.* Iudices Arbitri, ad hoc, ut poteſtatem habeant, debent eligi à partibus cum aſſenſu, & conſenſu Iudicis Ordinarii cujus intereſt; & poſtquam ſic electi fuerint à partibus, vel à Superiore, qui in nominationem conſenſit (niſi id unanimes retractaverint) impediri non poſſunt, quominus Cauſæ ſibi commiſſæ finem imponant; qui in tali caſu à Iure poteſtatem habent. Benè poſſunt juſtis de Cauſis ab Ordinariis removeri, quando ipſi in tales Arbitros conſenſum non præſtiterunt, quo caſu ad Ordinarium Iudicem cauſæ cognitio pertinebit; quia tunc non à Iure, ſed ab hominibus poteſtatem habent, & potiùs Compromiſſarii, quàm Iudicum Arbitrarii nuncupari debent. Latæ ab Arbitris ſententiæ omninò ſtandum erit, nec ab illa appellare licebit, niſi de iniquitate maniſeſtè conſtet, vel ante judicium appareat arbitrum aliquem corruptum, vel gravi injuſtitiæ ſuſpicione laborare; tunc enim integrum erit alterutri ex partibus ab ipſis Arbitris appellare.

§. 3. Præter hos Judices dantur etiam extra Ordinem Iudices Appellationum, & quamvis Em: Protector ex vi noſtrarum Conſtitutionum, ac cujuſdam Decreti

Sac.

Sac. Cong. eſſet primus Iudex extra Religionem, hodie tamen attenta nova Conſtitutione S. D. N. Innoc. XII. moderatoria facultatum Protectorum Ordinum Regularium emanata, & publicata dum typis mandabatur hoc opus, ac perindè non hîc tanquàm in proprio loco, ſed *in tract. de appel. reg.* 1. §. 4. ſummatim regiſtrat; Em. Protectores quorumcumque Ordinum non ſunt amplius, nec eſſe poſſunt Iudices appellationis, ſed in eorum loco ſubintrat Sac. Cong. Epiſ. & Reg. pro ut diffuſiùs in d. Bulla, ad quam remitto Lectorem. Quæ cùm ſit ampliativa, & extenſiva Conſt. Greg. XI. & Sixti IV. pro Religione Minorum in hac materia editarum ad omnium Regularium Ordinum Protectores; ſicut ex inhibitione eorumdem Pontificum Protectores ejuſdem Ordinis Minorum non poſſunt ſuam auctoritatem extendere ultra tres articulos in Regula contentos, & in Bulla Greg. quæ incipit *Cuſtos Chriſti. tom. 1. Bul. pag. mihi* 217. expreſſos, videlicèt, quando Fratres, vel aliquis ipſorum deviarent ab unitate Fidei, vel ab obedientia Rom. Eccleſiæ, ſeù ab obſervantia ſuæ Regulæ: Sic neque Em: Protectores aliorum Ordinum ultra præſcriptum d. Conſt. in cauſis, & negotijs Regularium amplius ſe immiſcere valent. Ita quòd Religioſi cuiuſcumque Ordinis de præſenti in nullo ſubſunt Em: Protectoribus, niſi dumtaxat in caſu, quo ipſorum Communitas, vel Generale Capitulum (quòd abſit) à prædictis articulis deviarent. Quinimmò idem Gregor. diſtrictè inhibuit nè Cardinalis Protector Ordinis Minorum ſe intromittat in rebus pertinentibus ad officia, gubernationem, ſeù correctionem fratrum dicti Ordinis, niſi quando à prædictis tribus articulis deviarent. Et inſuper decrevit irritum, & inane quidquid ſecùs factum fuerit. Ac ſtatuit, quòd prædicti Fratres recurrentes ad Protectorem tamquam ad Prælatum pro licentijs, aut alijs conſimilibus puniantur graviter, & actibus legitimis, & officijs Ordinis ſint ipſo facto ſuſpenſi. Quæ Bulla poſtea approbata, confirmata, & de verbo ad verbum inſerta fuit à Sixto IV. in ſua Bulla, quæ incipit *Sancta Minorum Religio in Bul. tom. 1. pag. mihi* 303, qui eam utilem ſe expertum aſſerit, cùm eſſet in minoribus. Ac inſuper declaravit, quòd neque adhuc in præfatis tribus caſibus, ſeù articulis habeat auctoritatem idem Protector, quando non univerſi, ſed ſolùm aliqui prædicti Ordinis profeſſores in quovis numero à Fidei unitate, ac S. Rom: Eccleſiæ obedientia deviarent, vel Regulam non obſervarent. Quas declarationes, & inhibitiones idem Innoc. XII. una ſimul cum ſequentibus approbavit, confirmavit, innovavit, & ad primævum ſtatum, priſtinumque uſum reduxit, & reintegravit, illiſque in omnibus, & per omnia perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjecit, & ad quorumcumque Ordinum Regularium Protectores, ut dixi, extendi mandavit.

§. 4. In reliquis verò tàm Greg. & Sixtus, quàm idem Innoc. XII. diſtrictè inhibent eiſdem Protectoribus, nè præſumant quæcunque ordinata, ſtatuta, ſive diſpoſita, aut ordinanda, ſtatuenda, ſeù diſponenda per Generalia, vel Provincialia, aut Cuſtodialia Capitula infringere, reprobare, corrigere, ſuſpendere, diſponere ſuper ipſis, ſeù contra ea, vel eorum aliquid quomodolibet immutare, niſi contra præmiſſos articulos in præfata Regula contentos, vel aliquem ipſorum exiſteret manifeſtè. Aut quemcumque Prælatum, ſeù Officialem dicti Ordinis, ſeù alicujus loci ejuſdem quocumque nomine nuncupetur ponere, ſeù inſtituere, aut deponere,

deſtituere, ſeù privare, aut à ſuo officio ſuſpendere, ſeù impedire ſuper eius libero exercitio quovis modo. Aut aliquem Fratrem Ordinis antedicti ad lectoratum, aut quamcumque lecturam, ſeù Studium, vel gradum promovere, aut promotos ab eis removere, ſeù etiam revocare. Aut de loco ad locum mittere, aut mutare, ſive alicui Fratrum eorumdem ad quodcumque Monaſterium, vel locum alium, aut Dominum, vel aliquam perſonam licentiam impartiri. Et nè inſuper quemvis ſingularem fratrem memorati Ordinis de quocumque crimine, vel delicto punire, vel à pœna, ſeù pœnitentia liberare, aut eam minuere, augere, vel immutare. Aut alicui Fratri locum, cameram, cellam, libros, vel alias res dicti Ordinis concedere, vel eius uſui deputare. Aut quæcunque per Prælatos ejuſdem Ordinis, aut alios deputatum quomodolibet amovere. Nec etiam rebus, aut correctione fratrum dicti Ordinis (niſi in caſibus præmiſſis in regula contentis, ſeù eorum aliquot) ſe aliquatenùs intromittere quovis modo, ità quòd dictus Ordo, ſeù fratres ejuſdem Ordinis in nullo ſubſint futuris Protectoribus niſi in præfatis tribus articulis &c. Et dato etiam, quòd Eminentiſſimi Protectores pro tempore exiſtentes obtinerent à Pontifice majorem poteſtatem, non expedit tamen Eminentijs ſuis tali poteſtate uti, ait Peyr. *de offic. ſubd. q. 1. cap.* 18. §. 2. A' nomine enim Protectoris, quid ſibi facere oporteat edocentur, nimirùm protegere, & defendere. Protegant igitur, & defendant, ità tamen, ut miſericordiam non diſpergant ab ea, & ità miſericordiam faciant, ut juſtitiam ab ea non dividant, ut dicitur *cap. diſciplinam diſt.* 45. hoc tamen ſemper ſalva regulari Ordinis ſibi commiſſi diſciplina.

§. 5. In primo igitur gradu Appellationis ſubintrat Sac. Congr. Epiſc. & Regul. et tandem ſummus Pontifex, qui ex dignitate, qua Chriſti vicem gerit in terris, ſupremam, et ordinariam poteſtatem in toto Orbe terrarum habet, ut perſpicuum eſt *in cap. cuncta 9. q. 3.* His exceptis, nulli aut Legati, aut Vicelegati, aut Nuntii Apoſtolici, aut Locorum Ordinarii, aut Eccleſiaſtici, multò minus ſæculares Iudices, quocumque ii nomine nuncupentur, niſi ſpecialem ab Apoſtolica Sede commiſſionem acceperint, Regulares judicare, aut illorum Appellationes recipere debent. Adverte tamen, quòd de Legatis, et Nuntiis Apoſtolicis in ordine ad appellationes extat quoddam Decretum Sac. Cong. ut infra in tractatu de appellatione adnotabimus. De Ordinariis autem Locorum extat aliud Decretum Conc. Trid. virtute cujus in aliquibus caſibus ipſis datur facultas procedendi contra Regulares extra clauſtra Monaſterii, delinquentes cum quadam declaratione eiuſdem Sac. Cong. citata ab Aldana: Undè dicendum eſt, quòd liceat Epiſcopis Religioſos ità notoriè extra clauſtra delinquentes, ſi populo ſcandalo ſint, propria auctoritate punire, quatenùs eorum Superiores admoniti intra temporis ſpatium ab Epiſcopis præfigendum, eos corripere neglexerint, ut conſtat ex Concil. Trid. *ſeſſ. 25. tit. de regul. c. 14.* Et ex conſt. Clem. VIII. quæ incipit. *Suſcepti muneris perſpicuum eſt &c.* & præcipuè contra illos procedere poſſunt, qui abſque ſuorum ſuperiorum licentia extra clauſtra vagantur. *Rodriq. tom. 2. qq. Regul. q. 63. a. 2.* & id non propria auctoritate, ſed ex ſpeciali Pontificis conceſſione, ſeù tamquam delegati à Sede Apoſtolica, ut ait idem Trid.

De

De Juriſdictione Judicis Ordinarij, & Delegati. *Reg.* 2.

§. 1. CErtum eſt, & apud omnes indubitatum, quòd nemo Ius dicere poteſt, niſi judicandi poteſtatem, ſeù Iuriſdictionem habeat, ſine qua totum Iudicium corruit, & proceſſus eſt nullus, & nulla pariter eſt ipſo Iure ſententia; quia cùm Iuriſdictio ſit baſis, & fundamentum totius Iudicialis ædificii, hinc ſequitur, quòd ſublato fundamento totum ædificium neceſſe eſt, ut corruat. Et quia Iuriſdictio generaliter ſumpta comprehendit in ſe ea, quæ ſunt meri, & mixti imperii, & ſimplicis Iuriſdictionis, hinc pariter ſequitur, quòd quotieſcumque tribuitur alicui omnimoda Iuriſdictio, per illud verbum *omnimoda* comprehenduntur ea omnia, quæ ſunt meri, ac mixti imperii, & ſimplicis Iuriſdictionis. Quæ Iuriſdictio ſic generaliter ſumpta diſtinguitur in imperium, & juriſdictionem, & tunc Iuriſdictio capitur, ut ſpecies diſtincta ab imperio. Imperium verò generaliter ſumptum comprehendit in ſe merum, & mixtum. Merum imperium diffinitur ſic, quòd ſit Iuriſdictio, quæ exercetur officio Iudicis nobili publicam utilitatem reſpiciens (duplex enim eſt officium Iudicis, nobile ſcilicèt, & mercenarium, nobile eſt illud, quòd deſeruit alicui actioni, ſed Iudex ex ſe procedit: Mercenarium verò eſt illud, quod deſeruit actioni intentatæ per partem) Imperium mixtum diffinitur, quòd ſit Iuriſdictio, quæ exercetur officio Iudicis nobili privatam utilitatem reſpiciens. Iuriſdictio autem ſimplex diffinitur quòd ſit illa, quæ expeditur officio Iudicis mercenario privatam utilitatem reſpiciens. Et has omnes Iuriſdictiones ſic diffinitas, & explicatas annexas eſſe, et connexas omnibus noſtris Iudicibus tàm Ordinariis, quàm Delegatis, ad quos de Iure ſpectat in criminoſos animadvertere omnibus perſpicuum eſt, qui Sacras Pontificum leges, Eccleſiaſticaſque ſanctiones non ignorant: Undè cum inter legitimos Eccleſiæ Iudices connumerentur, per conſequens in omnibus criminibus, præter quam in ijs ad Sacræ Inquiſitionis Tribunal ſpectantibus procedere valent, cum hac tamen differentia, quòd Iudici Ordinario ex Iure proprio, non alieno beneficio intrinſecè competit talis Iuriſdictio: Delegatis autem Iudicibus prout ipſis ampla, vel reſtricta ab Ordinariis tribuitur: Undè Ordinarius ſemper remanet.

§. 2. Ex quo deducitur primò, quòd Iuriſdictio Ordinaria etiam re integra non expirat morte mandatoris juxta communem Doctorum ſententiam, *& habetur etiam in l. quia de Iuriſd. omn. Iud.* Secùs verò eſt in Iuriſdictione Delegata, quæ expirat morte Delegantis. Ratio autem diverſitatis eſt, quia per conceſſionem Ordinariam Iuriſdictionis confertur ſimul dignitas, *ut dicitur in Clem.* 2. *de reſcriptis*, quæ radicatur in perſona illius, cui confertur, & oſſibus ipſius inhæret, prout loquitur *Panor. in cap. Relatum de offic. Iud. Deleg. num.* 4. *in fin.* & ideò per mortem concedentis non expirat; quia id, quòd noſtrum eſt, ſine facto noſtro à nobis avelli non poteſt, *ut in l. id quod noſtrum ff. de reg. Iur.* At in Iuriſdictione Delegata non ſic procedit, ſed re integra dicitur expirare cum morte Delegantis; quia

quia per delegationem non transfertur efficaciter, ſivè independenter Iuriſdictio in Delegatum; Delegans enim commiſſionem ſuam, re integra, ſemper revocare poteſt, *ut in cap. Quamvis de offic. Delegat. in 6.* Quare cum per mortem Delegantis Iuriſdictio quoque ipſius extinguatur, per conſequens extinguitur etiam poteſtas Delegati; quia extincto Iure Auctoris, extinguitur Ius ſucceſſoris; *ut in l. Lex vectigalis ff. de pignorib.* Et quia per exercitium Iuriſdictionis, ideſt, per citationem, vel litis conteſtationem factam ante mortem Delegantis, Iuriſdictio quoque radicatur in perſonam Delegati, ità quòd efficaciter tranſivit in ipſum, idcircò morte ipſius in hoc caſu non extinquitur Iuriſdictio.

§. 3. Deducitur ſecundò, quòd multæ literæ à Superioribus majoribus Inferioribus directæ ſint tantùm excitatoriæ, non autem dilatoriæ; veluti cùm quando Superior ſcribit Iudici inferiori Ordinariam Iuriſdictionem habenti, ut procedat contra ſubditos, ſeù, ut faciat id, ad quod aliàs de Iure tenebatur, non dicitur facere eum Delegatum, etiam quòd Commiſſio eſſet per verbum Præcipimus, ſed excitare Ordinariam Iuriſdictionem, quam prius habebat, *ut in c. Licèt de off. Iud. Ord.* Et idem dicitur, quando in Commiſſione mutatio non tendit ad ſubſtantiam Iuriſdictionis, ſed tantùm ad removenda impedimenta exercitij Iuriſdictionis; quia cùm in tali caſu res reddatur ad Ius commune, & ad ſuum primum principium, & ſtatum, quem prius habebat, & ad quem ordinariè, & de Iure prius ſpectabat ratione ſui Officii, non fit Delegatus, ſed remanet Ordinarius.

§. 4. E contra verò ſi à Superiore mandatur habenti poteſtatem aliquid quod non tenebatur ſaltem ità præcisè ut mandatur, tunc videtur eum facere Delegatum. Item quando Superior in Commiſſione utitur illis verbis *Tanquam Delegatus à nobis*, licèt talis Commiſſio ſit directa alicui habenti Iuriſdictionem, non Ordinariam excitare dicitur, ſed delegatam conferre cenſetur Iuriſdictionem, & ſic tanquam Delegatus procedere debet, *ut communiter obſervant Doctores cum Panor. in c. Irrefragabili de off. Iud. Ord.* Nec obſtat, quòd Ordinarius in his, quæ ſibi à Superiore majore committuntur, ſi aliàs ad eum ſpectant vigore propriæ Iuriſdictionis non Delegatus, ſed Ordinarius ſit cenſendus *in d. c. licèt*. Ad hoc enim reſpondetur ſupradictę objectionis fundamenta procedere in dubio, non verò quãdo ex verbis, vel aliundè conſtat novam, & delegatam poteſtatem concedi, ut quando concedens utitur verbis dictæ clauſulæ *Tamquam Delegatus à nobis*, vel *auctoritate noſtra*, ſeù *V ce noſtra*, quia tunc quatumcumque poteſtas concedatur Ordinario, ad quem de Iure communi pertinebat, delegata cenſenda eſt, juxta verba, & mentem concedentis.

§. 5. Similiter ſi Commiſſio fiat alicui Ordinario de cauſa, quæ non cadit ſub eius Iuriſdictione ordinaria, remanet adhuc Ordinarius, & dicitur Commiſſio prorogans Iuriſdictionem. Nam ſicut prorogatio fit de perſona ad perſonam, ita etiam de cauſa ad cauſam: Quando verò Ordinario committitur cauſa, in qua citra Commiſſionem poteſtatem non habet, Delegatus efficitur. Sit exemplum P. Generalis committit P. Provinciali Bononiæ, ut Provinciali cauſam Provinciæ Lombardiæ, quæ non cadit ſub eius Iuriſdictione, ſed illius Provincialis; quia tamen P. Generalis poteſt prorogare Iuriſdictionem remanet Ordinarius: Secùs ſi

eſſet

eſſet facta commiſſio tali Patri N., non ut Provinciali, ſed ut tali Patri N., tunc enim efficeretur Delegatus. Adverte tamen, quòd non ſemper ad dignoſcendam qualitatem Delegationis attendenda ſunt principaliter nomina propria, ſeù appellativa, ſed alia verba contenta in Delegatione, ut ſupra dixi in §. antecedenti, ac inſuper ſecundùm ſubjectam materiam, cùm verba inſervire debeant intentioni, & non intentio verbis, *ut in cap. mandata de præſumpt.* & idcircò ſi verba, vel materia ſubjecta innuunt, quòd Commiſſio debeat eſſe perſonalis, talis erit cenſenda, non obſtante, quòd ſit expreſſum nomen appellativum. Si autem ex verbis vel ex materia non poteſt ſumi conjectura de qualitate diſpoſitionis, quia materia, et verba ſunt proportionabilia perſonæ, & dignitati, tunc diſtinguendum eſt. Aut eſt expreſſum nomen proprium tantùm, & diſpoſitio eſt perſonalis; quia eſt fundata ſuper perſona, & in dubio debet cenſeri talis, ideſt, perſonalis; Aut eſt expreſſum nomen appellativum tantùm, & diſpoſitio eſt realis; quia contemplatur dignitas perſonæ, & in dubio eſt reputanda talis, nempè realis, *ut deducitur ex cap. Super eo de Offic. Iud. Deleg.* Adverte etiam, quòd Iudex Ordinarius habet prælationem omnium; v. g. Si quis delinquerit in aliena Provincia, poterit puniri àb Ordinario cum prælatione Provincia illius delinquentis. Secùs ſi fuerit delegatus ad Fratres illius Provinciæ, vel ad cauſam particularem.

§. 6. Delegatus autem Iudex prout definitur ab Hoſt. eſt ille, cui committitur cauſa decidenda, & cognoſcenda, quique vices alterius repræſentat, proprium in Iuriſdictione nihil habens; ſeù ut breviùs dicit Gloſſa in *Extravag. unica. de Offic. Deleg. in v. Iudices*, eſt ille, qui per mandatam ſibi Iuriſdictionem vices Delegantis exercet. Et nota illud verbum *Mandatam*. Nam ſoli Ordinario dicitur data Iuriſdictio. Delegato verò non data, ſed mandata. Et quamvis ex definitione Hoſt. per illam clauſulam *Proprium in Iuriſdictione nihil habens*, videatur poſſe inferri totam Iuriſdictionem Delegati à Delegante illi mandatam eſſe eandem ipſiuſmet Deleganti, cùm propriam non habeat. Nihilominùs dicendum eſt, ipſum quoque Delegatum habere aliquid Iuriſdictionis eamque diſtinctam à Iuriſdictione Delegantis, etiamſi dependeat à Delegante, & ſit ſolùm particularis unius, vel plurium Cauſarum, *ut in l. 1. §. mandatum ff. de Iuriſd. eius, cui mand. eſt Iuriſd.* Et hoc probatur etiam ex eo, quòd à Delegato appellari poteſt ad Delegantem, quòd fieri non poſſet, ſi Iuriſdictio eſſet eadem cùm Delegante, ut evenit in Vicario Generali Epiſcopi, à quo non appellatur ad Epiſcopum; quia conſtituit unum Tribunal cum Epiſcopo.

§. 7. Delegatus autem à Superiore ſic conſtitutus non poteſt ſubdelegare tàm ex Iure Canonico, quàm ex Iure Civili, niſi conſuetudo ſit in contrarium aut Ordinarius Delegans conceſſerit poteſtatem ſubdelegandi, in quo caſu non poteſt ſubdelegare alteri totam cauſam, vel nudum miniſterium ſibi commiſſum, ſed tantum articulum Cauſæ, *ut in Clem. 1. de Offic. Deleg.* Et hæc poteſtas debet fundari in nomine Ordinarii Delegantis, & non in perſona Delegati in ſubdelegatum. Delegatus v. g. Papæ, qui non recognoſcit Superiorem poteſt ſubdelegare; & idem eſt dicendum de Delegato à P. Generali, maximè quando eſt Delegatus ad Univerſitatem Cauſarum, cùm ſit quaſi Ordinarius, non tamen poteſt totam ſuam auctoritatem

tatem in omnibus, & per omnia alteri ſubdelegare, & præcipuè quando illi committitur facultas perſonaliter viſitandi. Et ex litteris Delegationis, ſicuti etiam ex qualitate negotii clarè cognoſcitur, an Delegatus à ſupremo Superiore poſſit, vel non poſſit ſubdelegare, ſi enim ex illis appareat electam eſſe perſonæ induſtriam, vel fidem, tunc non poterit ſubdelegare, & ſi deleget alterum, Delegans non poteſt ratificare proceſſum factum à ſubdelegato propter defectum Iuriſdictionis.

§. 8. Caſus autem, in quibus præſumitur electa perſonæ induſtria ſunt primò, quando committitur res ardua, & expedita difficilis ſecundùm Panor. *in cap. Quoniam il 2. de offi. Deleg. n. 6. in §. Is autem Felin. n. 4. Rot. apud Farin. deciſ. 234.* Ubi dicitur induſtriam perſonæ cenſeri electam, quando in Commiſſione utitur his, vel ſimilibus verbis. *Fidei, & diligentiæ tuæ tanti momenti committimus negotium.* Secundò, quando factum expediri non poteſt, niſi per talem perſonam, & non per alteram, *ut vult Menoch. conſ. 17. n. 7.* Tertiò, quando Commiſſio facta eſt cum his, vel ſimilibus verbis *Per te*, aut *Per vos expediri mandamus*, quòd minus dubii habet, ſi adjecta dictione *Ipſum*, dicatur *Per te ipſum expediri ſecundum eundem Panor. ibid. Fel. n. 3. & Ricc. deciſ. 88.* Nam verba illa *per te ipſum* dicuntur perſonaliſſima, *ut inquit Surd. conſ. 53. n. 7. & deciſ. 210. n. 18.* Quartò, quando in Commiſſione dicitur *Freti, vel confiſi de tua prudentia, & dexteritate mandamus; ut ſentiunt idem Ricc. ibid. & Maſcar. de prob. concl. 594. n. 3.* Vel quando dicitur *Perſonaliter exequaris.* Vel *diſcretioni tuæ mandamus, ut vult idem Maſcar. ibid. & n. 4.* Quintò, quando in reſcripto additur clauſula. *Super quibus negotijs expediendis conſcientiam tuam oneramus.* Et tandem, quando in eodem reſcripto fit geminatio verborum. Tu, tu cognoſcas, *prout concludit Menoch. de præſump. lib. 2. præſump. 21. n. 11. & 12.*

§. 9. Commiſſarius delegatus ad Univerſitatem Cauſarum dicitur ille, cui committuntur Cauſæ totius Monaſterii, vel Provinciæ, vel illo anno occurrentes. Et idcircò non poteſt ſuam auctoritatem exercere ante litterarum præſentationem, & publicationem, *ut in cap. Cùm in Iure de Offic. Iud. Deleg. Caſſan. conſ. 10. n. 18. Mirand. de ord. Iudic. tom. 1. qu. 2. art. 10. num. 98.* Nec creditur Iudici Delegato aſſerenti ſe habere mandatum Delegationis, niſi eo præſentato. *Maſcar. de probat. concl. 949. nu. 18. & concl. 4045. n. 7. cum ſeqq. Menoch. de arbitr. lib. 1. quæſt. 76. num. 8. & lib. 2. caſ. 112. n. 8. & de præſumpt. lib. 2. præſump. 15. n. 4. Dec. conſ. 18. nu. 157. vol. 1.* Undè Ordinarius non tenetur fidem adhibere aſſerenti ſe Iudicem Delegatum, nec eius mandatis obtemperare, niſi ille ſuam Delegationem probet, ut communiter docent Doctores tàm antiqui, quàm moderni *in dicto cap. Cum in Iure*, & in initio proceſſus, ſi ſit faciendus, inſerenda eſt facultas, ut ab ipſa dignoſcatur, qua auctoritate hoc faciat. Et licèt quilibet præſumendus ſit bonus, ac per conſequens non mentiri, non tamen quilibet præſumitur Iudex, ac per hoc debet probare, quòd dicit.

§. 10. Quæ probatio aliter fieri non poteſt, niſi per literas Delegationis originales, vel per exemplum ab originali ſolemniter deſumptum. Undè ſequitur Delegatum non poſſe exercere ſuam Iuriſdictionem litteris non præſentatis. *Flam. de reſignat. lib. 1. qu. 21. num. 16. & 17.* In tantùm ut citatus ab eo, non tenetur

com-

comparere, nec vi credere, niſi in citatione inſeratur tota copia Commiſſionis, ità ſingulariter determinant Innoc. *in c. Præterea de dilationib. num.* 1. *Marant. de ord. Iud. p.* 4. *diſt.* 5. *n.* 6. *Feder. de Senis. conſ.* 251. qui inſuper addit hujuſmodi citationem, ſeù mandatum non inſerta copia citationis cenſeri emanaſſe tanquam à privato, & ideò poſſe illi impunè non pareri. Felin. tamen *in d. cap. cum in Iure n.* 5. tenet contrarium, & vult, quòd ſufficiat citare aſſerendo ſe Delegatum, licèt parti comparenti teneatur dare copiam reſcripti. Idem diſertis verbis tenet Butr. *in c. d. Præterea n.* 7. Quinimmò idemmet Innoc. ſibi ipſi contrarius hoc docet *in c. Prudentiam de off. Iud. Deleg.*

§. 11. Pro conciliatione iſtarum opinionum dicendum eſt cum Riccio *in prax. au. reſol.* 414. *n.* 2., quòd pro comparitione non eſt neceſſarium tranſmittere originale, vel ejus exemplar ab originali deſumptum, ſed ſufficit aſſerere ſe eſſe Delegatum, niſi perſona Delegata eſſet incapax Delegationis; ut cùm quis citatur à ſimplici Sacerdote, in quo caſu non ſufficit ſimplex aſſertio: At pro reſponſione, ſicut citatus comparens coràm Delegato poteſt exigere reſcriptum originale, ſic Delegatus tenetur illam exhibere, ac etiam dare copiam ſi petat; adeò ut ante talem exhibitionem non tenetur reſpondere, nec per hoc efficitur contumax. Vel dic, quòd prima opinio Innoc., & aliorum aſſerentium in citatione requiri copiam Commiſſionis, procedat, quando Delegatus velet procedere ad excommunicationem contra contumacem nolentem comparere in vim primæ citationis, cùm certum ſit, quòd excommunicatio lata à Delegato, qui copiam ſuæ Delegationis petenti non dedit, eſt ipſo Iure nulla ſecundùm Navar. *conſ.* 9. *in antiq. aliàs* 5. *in noviſs. de ſent. excom. Sayr. in flor. deciſ. ſub eod. tit. deciſ.* 10. *& Innoc. in d. c. cum in Iure n.* 1. Undè ſecundùm eum, ſi Delegatus in Ordinarium parere nolentem proferat ſententiam excommunicationis, ſententia non tenet, quia non habet Iuriſdictionem in Ordinarium; niſi quando ei eſſet rebellis; petendo autem ſibi fidem fieri de Commiſſione, vel mandato, facit, quòd ſibi de Iure permittitur; & ideò dici non poteſt rebellis, & ſic non tenet excommunicatio ex defectu Iuriſdictionis, & idem procedit in citato, *prout refert idem Ricc. in ul. lect. deciſ. collect.* 532. *in fin.*

§. 12. Quinimmò Butr. *in c. Venerabilis n.* 20. dicit, quòd ſi Delegatus viſitare vellet, non poſſet, niſi oſtenderet ſuam Delegationem; & ſi viſitaret, vel excommunicaret, non teneret Viſitatio, nec excommunicatio, *idem ſentit Cephal. conſ.* 236. Et ſimiliter nullus eſt proceſſus fabricatus à Delegato, qui de ſua Commiſſione non docuit, præſertim quoad actus, qui ſunt de ſubſtantia Iudicii; ut Citatio, litis conteſtatio, oblatio libelli, & ſimilia; *ut in c. Quoniam contra de probat.* & probat Innoc. *loc. cit. n.* 4. Et Delegatus, qui vult Iuriſdictionem exercere non oſtenſis literis Delegationis, poteſt Ordinarius de facto, e quaſi vim vi repellendo, reſiſtere; *in l. prohibitum C. de Iur. fiſc. lib.* 10. Et ſicut poteſt Ordinarius poſſeſſionem ſuam tueri armis materialibus, & ſpiritualibus, *ut in c. dilecto de ſent. excom. in* 6. Sic poteſt eam turbantem etiam nulla monitione præmiſſa excommunicare; quia non procedit in tali caſu ut Iudex, ſed ut pars pro ſui Iuris conſervatione; *ut determinat Innoc. in Gloſſa poſita in cap. Venerabili de cenſib.* & quam ibi ſequuntur Ioan. And. Butr. Panor. & communiter omnes. Quæ omnia procedunt non ſo-

ſum in Delegato à Principe, ſeù Superiore majore, ſed etiam à quocumque alio inferiori, ut vult idem Innoc. *loc. cit.*

§. 13. Et licèt aliqui dicant hanc Iuriſdictionem Delegatis conceſſam ſuper univerſitate Cauſarum ad inſtar Ordinariæ non expirare morte concedentis etiam re integra. Nihilominùs Panor. *in cap. Delatum de offic. Deleg.* contrarium ſentit, & deducit argumentum ſuæ opinionis *ex cap. Ne aliqui de hæret. in 6.* ubi dicitur, quòd Officium Inquiſitorum hæreticæ pravitatis non expirat etiam re integra per mortem Conſtituentis favore Fidei. Ergo, (ſic ipſe in ſui favorem, & noſtræ opinionis ſupra in §. 2. expreſſæ confirmationem contra aliorum opinionem argumentatur.) Ergo ceſſante favore, & motivo Fidei expiraret talis Iuriſdictio. Et quamvis Iuriſdictio Delegatam ad Univerſitatem Cauſarum in multis æquiparetur Iuriſdictioni Ordinariæ, *juxta nota per Gloſſam, & Bart. in l. Pomponius ff. de re jud.* non conveniunt tamen in omnibus, maximè ubi ſubeſt diverſa ratio. Nam ratio extinguendi Iuriſdictionem Delegatam quoad particularem cauſam militat in Iuriſdictione Delegata ad Univerſitatem Cauſarum; quia, ſcilicèt, Iuriſdictio remanet penes Delegantem, & nomine proprio nihil iſte habet, *ut in cap. ſane il 2. de Offic. Deleg. & in l. 1. de Offic. eius, cui mand. eſt Iuriſd.*

§. 14. Et quia ipſis Delegatis tribuitur poteſtas, & Iuriſdictio non ſolùm in partes, ſed etiam in illos, qui ſuam Iuriſdictionem impediunt, terrendo minis partes, ut taceant, & per cenſuras Eccleſiaſticas exercendo impedientes, ut deſiſtant; hæc enim omnia in cap. *quia quæſitum de Offic. Deleg.* videntur Delegato commiſſa, ſine quibus Iuriſdictio exerceri non poſſet. Et ſic per dictum cap. *Farin. in prax. crim. p. 5. q. 114. n. 61.* dicit, quòd turbantes Iuriſdictionem poſſunt à Iudice, cujus Iuriſdictio turbatur, etiam quòd Delegatus eſſet, puniri, & n. 63., quòd pœna turbatæ Iuriſdictionis tenetur non ſolùm his, qui actu turbavit, ſed etiam mandantes turbari; quia agentes, & conſentientes pari pœna puniuntur, ideſt, quandò conſentientes cum agentibus cooperantur poſitivè, præbendo cauſam efficacem, & propinquam principali Actori delinquenti.

§. 15. Et pari pœna ſimiliter puniuntur ex eod. Farin. *ibid. n. 66.* potentes, & poteſtates, qui ad inſtantiam Rei conventi, minis, & terroribus compelluntur Actorem ad deſiſtendum à lite, quòd etiam patet ex illis verbis poſitis in d. cap. *quæſitum. Minis, aut terroribus conquirentes*, ex quibus infertur, quòd etiam minis, & verbis poteſt induci juſtum metum, quando ſunt prolata à perſona potente, & ſolita minas exequi, *prout tradunt Maſcar. de probat. concl.* 1051. *n. 1. cum ſeqq. Menoch. de arbitr. lib. 2. caſ.* 136. *n.* 11., *& de præſumpt. lib. 3. præſumpt.* 126. *n.* 24. *&* 25. Qui omnes ſic Iuriſdictionem impedientes, ſeù perturbantes poſſunt à Delegato coerceri non ſolùm per alias Cenſuras, ſed etiam per excommunicationem majorem. Quòd eſt adeò ab omnibus receptum, ut minimè oporteat circa hoc diſputare, etiam quòd in literis Commiſſorialibus nulla fiat mentio Cenſurarum. *Menoch. ibid. caſ.* 438. *Covar. in c. alma* 1. §. 11. *n.* 1. *& p.* 2. §. 2. *n.* 7. Illud tamen advertendum eſt, non ſemper Iudices prædictos debere coercere impedientes per excommunicationem, ſed vel per alias cenſuras, vel per mulctas pecuniarias, vel alias, prout ſecundùm perſonarum, & negotij qualitatem magis viderint expedire, quòd ſatis ſignificat d. cap. *Quia quæſitum.* Et

§. 16. Et quòd dicitur de Commiſſario Delegato ad Univerſitatem Cauſarum eſt quoque intelligendum de Commiſſario Delegato ſive à Patre Generali, ſive Provinciali ad aliquam, ſeu aliquas Cauſas particulares. Et iſti Commiſſarii à Patre Generali in aliquam Provinciam miſſi ad certas Cauſas expediendas nequeunt præcedere P. Provincialem, niſi in actu Commiſſionis: Et licèt de Iure teneantur dicere culpam in Refectorio in Monaſteriis per quæ tranſeunt ad Commiſſionem ituros, cùm ſint inferiores, non Superiores, ex convenientia tamen non debent dicere culpam neque in Conventu Commiſſionis, neque in Provincia illa. Neque poſſunt dare obedientias fratribus ad expeditionem Cauſæ non neceſſarias, benè poſſunt neceſſarias etiam in Provincias exteras, dummodo non reſtringantur in commiſſione. Sic determinatum fuit in noſtro Capitulo Generali anno 1656. Romæ celebrato teſte P. Bonagratia *in verb. Viſitator Generalis in addit. n.* 1. Delegatus etiam dicitur, qui eſt adjunctus Ordinario, in quo caſu intelligitur alterata Ordinarii Iuriſdictio; & quamvis talis Delegatus ſit major ratione dignitatis Ordinario in Cauſis delegatis, ex eo quia vices tenet Delegantis, cui mandata eſt Iuriſdictio, tamen ſi delinquit, ratione illius delicti commiſſi poteſt puniri per Ordinarium loci in quo delinquit. Si verò delinquit in procedendo debet puniri à Delegante, non autem ab Ordinario.

§. 17. Viſitatores miſſi ad viſitandam aliquam Provinciam, & multò minus Commiſſarii Delegati ad Univerſitatem Cauſarum non debent ſe ingerere in Iuriſdictionem Ordinariam Prælatorum, niſi in gradu appellationis prout declaravit Sac. Congreg. Epiſc. & Regul 5. Octobris 1626. & 16. Ianuarii 1643. ex Lezana *tom. 2. cap. 13. de Prælat. & offic. Regul. n.* 16. & præcipuè in illis, quæ per ipſos actitata ſunt ante publicationem litterarum Commiſſorialium; quia non ſunt veri Prælati. Et licèt ibi Lezana loquatur tantùm de Commiſſariis Generalibus attamen in ſententia ipſius Lezanæ *n. 28. ibidem* à pari philoſophandum eſt etiam de Viſitatoribus Generalibus, cùm revera ſint & ipſi Commiſſarii quidam. Et ſic ſtando in Iure communi præſcindendo à particularibus Statutis Religionum, ſolùm ad ipſos totum regimen externum contentioſum illius Provinciæ, ad quam viſitandam miſſi ſunt à P. Generali, pertinet; non autem regimen volontarium. Pro quo ſciendum eſt, duplicem eſſe Iuriſdictionem aliam contentioſam, aliam voluntariam: Illa eſt, quæ intra contradictores Actorem, ſcilicèt, & Reum exercetur; iſta eſt, quæ in volentes, & non contendentes cum aliquo exercetur. Prima ſpectat ad Viſitatores, ſecunda ad Provinciales. Undè iſti benè poſſunt etiam tempore actualis Viſitationis Provinciæ exercere in eadem Provincia actus Iuriſdictionis voluntariæ, non autem contentioſæ; quia per talem Viſitationem non privatur Provincialis, & habet ſigilla Provinciæ, cùm adhuc maneat Provincialis, nec per exercitium talis Iuriſdictionis voluntariæ impeditur, vel turbatur officium Viſitatoris. *Lezan. ibid. n.* 28. Non tamen poteſt facere aliqua, quibus impediatur Viſitatoris auctoritas, videlicèt, transferre, vel mutare aliquem fratrem de uno ad alium locum, nè adſit Viſitationi, aut nè proferat teſtimonium. *Portel. in dub. Regul. verb. Provinc. in addit. ad addit.* Nec habent Viſitatores in electionibus ſuffragium electivum, niſi hoc in litteris concedatur; dummodo tamen Delegans non adſit, dum datur ſuffra-

gium; quia ſi adeſt, non poteſt ſuum ſuffragium alteri delegare, nec minus ſuam auctoritatem, quando per ſe ipſum poteſt illam exercere, benè ſi non poſſet. Nec minus poſſunt habere vocem activam in Capitulis Provincialibus ad electionem Definitorum, ſi non ſunt profeſſi ejuſdem Provinciæ, ſecùs ſi eſſent ejuſdem Provinciæ profeſſi. Sic enim fuit deciſum in Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1662. ut refert idem P. Bonagratia *loc. cit.*

§. 18. Poteſtas autem, ſeù auctoritas horum Viſitatorum, vel Commiſſariorum pendet maximè ex litteris patentibus. Si enim in eis exprimantur hæc verba, *Cum plena poteſtate &c.* intelligenda ſunt in ordine ad finem commiſſionis, & non ad alia, quæ ad talem finem non ſpectant, ideſt, ad talem Viſitationem, ſeù Commiſſionem rectè perficiendam: Undè facere non poterunt etiam poſita prædicta clauſula, ea, quæ vel Iure, vel conſuetudine Ordinum ſolis Generalibus perſonaliter competunt. Hæc enim cùm ſint ſpeciali nota digna in conceſſione generali non veniunt, juxta communem regulam inter regulas Iuris *n.* 18., qua de re non poterunt facere, quæ ad ſolum Generales ſpectant. *Rodriq. tom. 1. qq. Reg. q. 54. a. 1. & 4.* Si in dictis litteris patentibus ponantur hæc verba. *Et requirent ſpeciale mandatum &c.* extenditur ad inferiora expreſſis, non autem ad ſuperiora. Si verò adſint hæc verba. *Etiam ſi majora eſſent expreſſis &c.* tunc aufertur omnis difficultas: indicant enim plenariam, & omnimodam poteſtatem. Hinc finis Commiſſionis eſt diligenter attendendus, & ſervandus, aliàs ſi extendatur erit actus nullus; debet enim fieri, quod eſt tantùm de natura actus commiſſi. Si detur certa aliqua forma non eſt nec alteranda, nec diminuenda in ſubſtantialibus, aliter totum erit nullum: & ſi nulla forma præſcribatur, prudenter, & maturè erit agendum: talis enim eſt finis Delegantis. Nullus Prælatus mutare poteſt ea, quæ facta ſunt à Viſitatore, & à Commiſſario Generali, & omnes contrafacientes, & reſiſtentes incurrunt in excommunicationem latæ ſententiæ, ut in Bulla Greg. XIII. & totum irritum eſt, intellige, niſi adſit legitima cauſa.

§. 19. Viſitator deſtinatus ad aliquam Provinciam viſitandam, ſeù aliqua Monaſteria certæ Provinciæ non poteſt viſitare, aut punire Fratres alterius Provinciæ, etiam ſi in ipſa Provincia delinquant; quia facultas tantùm extenditur ad fratres illius Provinciæ viſitandæ. *Federic. de Senis. conſ. 145. n. 5. in fin. verſ. Si verò aliqui. n. 6. Tuſch. lit. I. conc. 428. n. 3. Graff. deciſ. aurea lib. 3. de Viſitatoribus c. 28. num.* 112. Talis enim punitio fratrum Advenarum ſpectat ad Provincialem, qui eſt Ordinarius Iudex in tali Provincia, non autem ad Viſitatorem, qui eſt tantùm Iudex Delegatus. *P. Did. à Meſſan. p. 1. c. 1. de poteſt. & Iuriſdict. Iud. n. 93. in fin.* Excipe tamen in caſu, quo ipſi fratres Advenæ, ſeù extranei delinquerent in ejus perſonam, tunc enim poteſt illos punire, ſi per hoc contingat ſuam Iuriſdictionem turbari, etiam ſi non ponatur in reſcripto. *cap. 1. & ibi Gloſſ. final. Abb. n. 1. & 6. Felin. n. 1. 14. & 15. de offic. Deleg. cap. Prudentiam, cap. Præterea. cap. Suſpicionis. cap. Paſtoralis §. idem, & §. finali.* Nec poſſunt iſti Viſitatores Generales ad aliquam Provinciam viſitandam miſſi Provincialem exuere omni poteſtate, & ſub obedientia Guardiani mittere abſque proceſſu, & ſententia, cùm ſit notabile gravamen. Benè poſſunt, ſicut & Commiſſarii liberè, & licitè rebelles, & contumaces illius Provinciæ,

vinciæ, ad quam ſunt miſſi, in carcerem detrudere, & punire, & etiam contra ipſos excommunicationem fulminare pro Cauſæ expeditione, dummodo non ſit illa perſona privilegiata: Et licèt nemo poſſit eſſe Iudex, & ſententiam ferre per modum Iudicii: in cauſa tamen propria per modum defenſionis poteſt. Quòd maximè procedit in noſtra Minorum Religione, etiam ſi in reſcripto non ponatur facultas excommunicandi, ut patet ex Bulla Greg. XIII. quæ incipit. *Quoniam noſtro Paſtoralis officio &c.* allata à Roderic. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 14. *a.* 4. Et Actuarius debet in Actis regiſtrare cauſam, & facere actum Iuridicum, & declaratorium excommunicationis, totum nempè id factum fuiſſe à Viſitatore ob defenſionem ſui Iuris, & declarare eos incurriſſe in Bulla Greg. XIII., ac etiam contra ipſos Cedolones affigere pro Iurium defenſione.

§. 20. Et licèt aliqui ſentiant, quòd Viſitator viſitans aliquam Provinciam vivente Generali, cum facultate celebrandi ſuo tempore Capitulum, ſi tempore Viſitationis moriatur Generalis, non poſſit illud ampliùs celebrare, cùm jam functus ſit officio ſuo, & eius auctoritas in morte Generalis expiret, ut ipſi putant, ex eò quia res adhuc ſit integra quoad celebrationem Capituli, quamvis non ſit integra quoad Viſitationem. Nihilominùs contraria opinio mihi videtur eſſe tutior, ac Iuri magis conſona, utpotè majoribus rationibus ſuſulta. Nam certum eſt, & evidens, quòd ſi Viſitator habet in patentalibus literis facultatem celebrandi ſuo tempore Capitulum, & iſtas literas fecit publicare per ſuum Tabellionem, ſeù Segretarium coràm Fratribus ad hunc effectum congregatis, & Teſtibus, tunc res non dicitur ampliùs integra neque quoad Viſitationem, neque quoad celebrationem Capituli, cùm per hujuſmodi publicationem actum Iuriſdictionis jam dicatur cepiſſe exercere, ideoque ex tunc res non dicitur ampliùs integra, ut etiam habetur ex noſtro P. Didaco *p.* 1. *c.* 1. *n.* 124, ubi alios comulat, & de communi loquitur.

§. 21. Cùm igitur in literis, ut ſupra, publicatis contineatur utraque facultas à Delegante conceſſa Viſitatori Delegato, ſcilicèt, viſitandi Provinciam, & peracta Viſitatione celebrandi Capitulum per hanc ſolemnem publicationem jam exercuit actum Iuriſdictionis, & Ius ſibi acquiſivit reſpectu utriuſque nimirùm & Viſitationis, & Capituli, & ſic reſpectu utriuſque jam res non eſt ampliùs integra: Undè etiam ſi ſuperveniat mors Delegantis, non tamen dicitur expiraſſe facultatem Delegati quoad utrumque nempè, quoad Viſitationem, & quoad Capitulum, ac per conſequens reſpectu neutrius indigebit novo mandato, ſeù Commiſſione ſucceſſoris; ſi quidem per ſolemnem publicationem patentalium jam ſibi acquiſivit utrumque Ius, videlicèt, & Ius viſitandi Provinciam, & Ius celebrandi Capitulum. Et ſic per dictam ſolemnem publicationem jam ſibi perpetravit Iuriſdictionem, & quoad viſitandam Provinciam, & quoad Capitulum celebrandum. Et ſicut facta publicatione ſolemni Patentalium nedum tamen inchoata Viſitatione jam perpetuata eſt Iuriſdictio, & poteſt Viſitationem inſtituere etiam ſuperveniente morte Generalis abſque novo mandato, ſeù Commiſſione ſucceſſoris. Ità facta prædicta publicatione ſolemni Patentalium nedum tamen inchoato Capitulo jam perpetuata erit etiam quoad celebrationem Capituli, & illud poterit celebrare etiam ſuperveniente morte Generalis abſque novo mandato, ſeù Commiſſione

ſuc-

ſucceſſoris, cùm utrumque complectatur publicata Commiſſio.

§. 22. Nec dicatur quis eſſe duo diſtincta Viſitatio Provinciæ, & celebratio Capituli, nec unam facultatem eſſe cum altera connexam. Nam hoc eſt falſum; quia cùm Capitulum ſit complementum Viſitationis, dum in illo viſitantur inſigniores Patres, nempè, omnes Prælati Provinciæ, videlicèt, Guardiani, & Diſcreti, quòd in decurſu Viſitationis Provinciæ non fuit præſtitum, ipſaque Viſitatio tota ordinetur ad Capitulum tanquam media ad ſuum finem ultimatum, ac ipſa Commiſſio præcipiat utrumque per conſequens Viſitatio Provinciæ, & celebratio Capituli non ſunt duo diſtincta, ſed facultas celebrandi Capitulum complectitur tanquam aliquid annexum, & connexum in facultate viſitandi Provinciam, & ſic facta publicatione Patentalium, ſicut cenſenda eſt perpetuata Iuriſdictio, & quoad Viſitationem, & quoad Capitulum, eſtò, quòd illa fuerit inchoata, iſtud verò nondum fuerit inchoatum, ità Viſitator quemadmodum non indiget novo mandato ſucceſſoris reſpectu Viſitationis, ſic pariter non indigebit reſpectu Capituli. Contrariumque ſentientes, cenſendum eſt id factum, dictumvè fuiſſe ex quadam decentia, & convenientia, vel ex conſuetudine, ſeù ſtylo Religionis, non autem ex eſſentiali, & abſoluta neceſſitate, ità ut, ſi ſecùs fiat, actus omninò corruat, ſi non adſit novum mandatum ſucceſſoris, niſi conſuetudo legitimè præſcripta, vel ſtylus Religionis, ſeù Ius, ſi quod eſt, in contrarium facerent. Quæ omnia multò magis videntur habere locum, ſi jam per literas Citatoriales fuiſſet intimatum Capitulum pro certo loco, die, & menſe; &c.

FORMULA DELEGATIONUM.

Diverſarum formularum. Praxis Prima.

Cùm frequenter contingat Iudices Ordinarios ſuas aliis committere vices, formæ diverſarum Commiſſionum, cum modo illas exequendi, hîc ſubnectendæ erunt.

Forma Commiſsionis ad pluras Cauſas.

§. 1. R. in Chriſto Patri N. de N. noſtri Ordinis Concionatori &c.
F. N. de N. ejuſdem Ordinis Miniſter Generalis, ſalutem in Domino.

Cùm plura, & varia in diem occurrant negotia, quibus per nos ipſos omnibus, & ſingulis providere minimè valeamus; ſicut præſertim modò accidit in aliquibus Cauſis Provinciæ N., in cujus Viſitationis decurſum, ac etiam poſtea diverſæ Denunciationes, ſeù inſtantiæ fuerunt coràm nobis preſentatæ reclamantium contra P. P. N. & N. &c. Quapropter te de cujus prudentia, Religionis zelo, & ſcientia plurimum in Domino confidimus virtute præſentium Commiſſarium Generalem vices noſtras per omnia gerentem conſtituimus, & declaramus, dantes tibi facultatem, & omnimodam noſtram auctoritatem procedendi, prout de Iure, in denunciationibus, ſeù inſtantiis à nobis admiſſis ſi, & in quantum &c.

ad

ad quas &c. nec non proſequendi cauſam, & cauſas omnes uſque ad ſententias definitivas, ſeù decreta incluſivè. Et ad ſupradicta perficienda omnimodam noſtram facultatem tibi impartimus quocumque te conferendi cum ſociis tibi benè viſis, atque Actuario per te eligendo. Teque & eoſdem à Iuriſdictione omnium Prælatorum nobis inferiorum eximimus. Fratres à Monaſteriis dictæ Provinciæ & aliarum, quatenùs opus ſit, ad te vocandi, examinandi &c. Sicut pariter Sæculares, & Regulares aliorum Ordinum, quatenùs voluntariè examini ſe ſubjaciant, & aliis ſervatis ſervandis &c. Eaque omnia faciendi, quæ & quomodo nos ipſi facere, & perficere valeremus, ſi perſonaliter adeſſemus: Quæ omnia, & ſingula haberi volumus pro ſufficienter expreſſis etiam ſi forſitan majori expreſſione verborum indigerent. In quorum fidem præſentes manu noſtra propria ſubſcripſimus, & ſigillo majori noſtri officii munitas dedimus. Romæ &c. hac die &c. F.N. Generalis.

Forma Subdelegationis ad aliquam Cauſam.

§. 2. NEgotiorum nobis commiſſorum à Reverendiſs. P. Generali multitudine, & gravitate diſtracti, non valentes per nos metipſos omnibus perſonaliter adeſſe; nè tamen zizania importuna fruges Seraphicas vel ſoffocent, vel convellant. Tibi P. N. &c. de cujus perſonæ induſtria plurimùm confidimus, committimus, ut cum ſocio tibi benè viſo, atque Actuario per te eligendo ad Conventum N. accedas, ibique de tali crimine, (*explica*) cujus ad nos *accuſatio*, vel *Denunciatio* vel *clamoroſa inſinuatio* à probis viris ſæpiùs prolata eſt, inquiras; contra ſontes, & indiciatos proceſſum informativum inſtituas, omniaque alia facias, uſque ad ſententiam definitivam, (*vel uſque ad conſtitutionem Rei*) excluſivè, quæ de Iure facienda ſunt: Ad cujus rei firmitatem, & executionem, præcipimus ſub præcepto Sanctæ Obedientiæ, vel &c. Patribus, & fratribus dicti Conventus, ut te in noſtrum Commiſſarium, immò verius P. Generalis in hac parte Delegatum, recipiant, & in ſpectantibus ad tuam Commiſſionem tibi promptè faveant, & obediant. Vale. Datum &c. *ſubſcriptio*.

Forma Commiſſionis ad unam Cauſam.

§. 3. Cùm ad nos per Iudicialem Denunciationem delatum fuerit F.N. de N. noſtri Ordinis Sacerdotem tale facinus perpetraſſe (*explica*) prout latiùs in eadem Denunciatione à Nobis ſi, & in quantum admiſſa ad quam &c. optantes, ut noſtri muneris eſt, ac rei gravitas expoſcit in hac Cauſa, ſeù Cauſis procedere cum gravioribus negotiis præpediti per nos id præſtare non poſſimus. Tibi R. P. N., de cujus prudentia, Religionis zelo, doctrina, & omnimoda ſufficientia plurimum in Domino confidimus, id negotii committere operæ pretium duximus. Quapropter virtute, ac tenore præſentium Te Commiſſarium noſtrum ſuper prędictam Cauſam, ſive Cauſas inſtituimus, & declaramus, facultatem tibi, & omnimodam noſtram auctoritatem impertientes. Ad quem, aut ad quos effectus fratres vocare poteris, & ad ea loca, ad quæ opus fuerit cum ſocio, ſive ſociis Tibi benè viſis ad S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

obedientiæ, meritum te conferre, ibique mandamus tibi, ut Inquiſitionem inſtituas, Teſtes examines, proceſſum compilas, & in ipſo proceſſu complendo poſſis in carcere trudere, & ea omnia, & eo modo præſtare, quæ & quomodo Nos ipſi præſtare valeremus, ſi præſentes adeſſemus uſque ad ſententiam diſinitivam incluſivè. Præcipimus autem omnibus, & ſingulis fratribus tàm dictæ Provinciæ, quàm alijs quibuſcumque Nobis ſubditis, ut tibi, ac Nobis, in ijs, quæ ad præfatæ cauſæ, ſive cauſarum cum eiſdem annexis, & connexis, emergentibus, & dependentibus expeditionem tuo judicio ſpectabunt obediant, & pareant. Eximentes etiam te cum ſocio, aut ſociis tuis à quorumcumq; Superiorum nobis inferiorum poteſtate, & obedientia, quæ omnia, & ſingula pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, etiamſi forſitan majori verborum expreſſione indigerent. In quorum fidem &c. Datum &c.

Forma Delegationis ob Accuſationem, vel Clamoroſam inſinuationem.

§. 4. Cùm ad noſtrum Tribunal fuiſſent porrecti libelli, ſeù litteræ ſcriptæ à P. N. de N. &c. in quibus accuſabatur f. N. de N. noſtrę Religionis Sacerdos, prout latiùs in ipſis continetur: *Vel* Moti à clamoroſis inſinuationibus, ad nos à probis, & fide dignis ſæpiùs delatis, quòd f. N. commiſerit tale delictum &c. *(explica)* & cum gravioribus negotiis eſſemus impediti, ità ut per nos non poſſemus, ut tenebamur, procedere contra hujuſmodi criminoſos; nè tali a delicta impunita remaneant, nevè in noſtra Religione multa ſcelera in perniciem tranſeant aliorum, confiſi de tua legalitate, experientia, Religionis zelo, ac in rebus gerendis dexteritate, tibi præfato P. N. &c. in noſtrum Commiſſarium eligimus, & per præſentes committimus, quatenùs his receptis cùm ſocio, aut ſocijs tibi benè viſis ad Conventum, vel ad Provinciam N. te conferas, ibique juxta Canonicarum ſanctionum, ac noſtrorum Statutorum tenorem in hujuſmodi delicta inquiras, recipiendo indicia, Teſtes examinando, Reum, vel Reos conſtituendo in rigoroſo examine, procedendo per torturam ſervatis ſervandis ſi opus fuerit, pro ut ratio, & Cauſæ merita tibi ſuggeſſerint; ac ea omnia, & eo modo præſtando, quæ, & quomodo Nos ipſi præſtare valeremus, ſi præſentes adeſſemus, uſque ad ſententiam definitivam incluſivè, *vel* excluſivè. Ad quem, ſeù ad quos effectus tibi facultatem, & omnimodam noſtram auctoritatem, & Iuriſdictionem impartimus. Præcipiendo omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat ad meritum ſalutaris obedientiæ, & ſub aliis pœnis noſtro arbitrio reſervatis, vel in Iure contra rebelles latis, ut te in noſtrum Commiſſarium recipiant, ac in omnibus ad Cauſam ſpectantibus tibi obediant, faveant pariter, & aſſiſtant. Eximentes etiam te cum ſocio, aut ſocijs tuis à quorumcumque Superiorum nobis inferiorum poteſtate, & obedientia. Quæ omnia &c. ut ſupra.

Forma Commiſſionis ad viſitandam Provinciam.

§. 5. Rev. in Chriſto P. N. de N. noſtri Seraphici Ordinis Concionatori.

F. N. de N. ejuſdem Ordinis Miniſter Generalis ſalutem in Domino.

Cùm ex noſtri Generalatus munere, & Officio, pro Sacra Catholica, & Orthodoxa ſtabilienda Doctrina, Regulari diſciplina reſtituenda, ac conſervanda, bonis moribus tuendis, praviſque corrigendis, alijſque prout utilitas ſuadet, ac neceſſitas

ceſſitas poſtulat peragendis univerſam Seraphicam Religionem noſtram N. viſitare teneamur, ac obligati ſimus: Cùmque ob locorum diſtantiam non minùs quàm ob multiplicem negotiorum, rerumque occupationem, hoc non ſemper per nos ipſos, ut optaremus, perſonaliter exequi valeamus; Tale munus Religionis prudentiæ, doctrinæ, ac ſcientiæ inſignibus committere cogimur. Quapropter cùm imineat celebratio Capituli Provinciæ noſtræ N., quam ejuſdem Provinciæ viſitatio præcedere debet, ſatagamuſque aliquem ad hoc munus deputare, qui noſtri Officii, gravioribus curis, & negotiis impliciti, partes ſuſcipiat. Te præfatum Patrem N. de cujus ſcientia, prudentia, ac in rebus gerendis dexteritate, nec non morum probitate, integritate, Religioniſque zelo plurimum in Domino confidimus, in noſtrum Commiſſarium, ac Viſitatorem Generalem ejuſdem Provinciæ harum ſerie, & tenore cum plenitudine poteſtatis noſtræ in utroque foro tàm in capite, quàm in membris inſtituimus, eligimus, & deputamus, dantes tibi, ac impartientes omnem noſtram neceſſariam, & opportunam auctoritatem, qua de Iure, & conſuetudine & Apoſtolicis ſanctionibus hujuſmodi Commiſſarii, & Viſitatores potiri, & gaudere ſolent. Ac inſuper, quatenùs opus ſit, dantes tibi facultatem, & poteſtatem, ut in caſibus emergentibus alios ſimiles Commiſſarios cum eadem, vel minori auctoritate ſubdelegare valeas, & poſſis, prout melius tibi expedire videbitur. Mandantes ſub præcepto Sanctæ obedientiæ, & in ſubſidium excommunicationis latæ ſententiæ, aliiſque pœnis noſtro arbitrio reſervatis, & ſpecialiter contra rebellantes latis, tàm P. Provinciali, quàm aliis Superioribus cunctiſque Fratribus ejuſdem Provinciæ, ut te in legitimum Commiſſarium, ac Viſitatorem noſtrum, ſicut etiam ſubdelegatos tuos recognoſcant, pacificè recipiant, ac in omnibus, quæ non fuerint Regulæ noſtræ, animæque contraria promptè obediant, & humiliter ac Nobis pareant, faveant, & aſſiſtant. Tibique ac illis etiam prædicta Viſitatione Generali peracta uſque ad expreſſam præſentium literarum revocationem per nos faciendam, debitum exhibeant honorem, reverentiam, & obedientiam. Monemus autem Te, ut munus injunctam cum omni integritate, & ſinceritate exequaris, vitia convellas, virtutes fundes, pacem foveas, & zelo Seraphico ardens corda filiorum ad Patres convertens lucrum ex Viſitatione integrum in gazophilatium Domini comportes, benedictionem à Deo, & à Seraphico P.N.S.Franciſco ac nobis reportaturus: Cui concedimus ut Socios, Secretarium ac Conſultorem tuo arbitratu ex quamcumque Provincia eligere, & vocare poſſis. In quorum fidem has manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigillo maiori officii noſtri muniri juſſimus. Datum &c.

Loco ✠ ſigilli. F. N. Min. Generalis.

Alia ſimilis forma.

§. 6. Reverendo in Chriſto P. N. de N. noſtri Ordinis Concionatori.

F. N. de N. ejuſdem Ordinis Miniſter Generalis ſalutem in Domino.

QUemadmodum providus Agricultor ad uberiorem ejus futura frugiem, temporum vires ſolicitè obſervat, arbores ordine diſponit, & nè illarum vices altius diffusè evaneſcant, nimiam frundium, ramorumque frequentiam comprimit,

& reſecat, ac ibidem inordinata, & indiſpoſita, ſi quæ ſint, ad meliorem formam reducere ſatagit. Ità Nos Seraphici agri curæ, ſuperna diſpoſitione præpoſiti, efficacem, & fructuoſam operam in illius cultura impendere credimus, cùm ad ea vigilantiæ noſtræ ſtudium ſedulò convertimus, & præcipuè circa illa, quæ morum correctionem, diſciplinæ regularis obſervantiam, ac Prælatorum electionem concernunt, aciem mentis dirigimus. Ad quod certè aſſequendum, cùm opportuna, ac ſalutaris emineat Provinciarum, ac Religioſorum nobis commiſſorum Viſitatio, hinc eſt, ut ad ipſam, vel per Nos, vel per alios, ſi gravioribus Curis impediti non valemus id agere, diligenter obeundam incitemur, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Cùm igitur in noſtra Provincia N. quædam ſint diſponenda negotia, pro quibus nos intereſſe, ſicut cupimus, non poſſimus, hinc te præfatum P. N., de cujus prudentia, doctrina, induſtria, ac Religionis zelo maximè confidimus, virtute præſentium Commiſſarium, & Viſitatorem noſtrum Generalem vices noſtras per omnia gerentem ſuper eandem Provinciam conſtituimus, & declaramus: Tibi facultatem noſtram in utroque foro viſitandi, monendi, corrigendi, puniendi, cauſas cognoſcendi, ac terminandi, ligandi, & abſolvendi à caſibus reſervatis, diſpenſandi ſuper irregularitatibus per cenſuras Eccleſiaſticas, & alias pœnas coercendi, & compellendi etiam per carceres, ſi opus fuerit, Novitios ad Ordinem ſuſcipiendi, Capitulum convocandi, & celebrandi, ubi, & quandò tibi magis expedire videbitur, electiones confirmandi, & generaliter ea omnia, & ſingula, quæ per nos ipſos facere poſſemus, ſi perſonaliter adeſſemus, etiam ſi noſtrum ſpeciale mandatum requirerent, perficiendi plenariam auctoritatem, & omnimodam noſtram poteſtatem impartientes. Ad quorum effectus ſocios, Secretarium, & Conſultorem tuo arbitrio ex quacumque Provincia, ut eligere, & vocare poſſis, concedimus. Præcipientes etiam tàm Superioribus, quàm univerſis fratribus in dicta Provincia exiſtentibus nobis ſubditis ſub præcepto Sanctę Obedientię excommunicationiſque majoris latæ ſententiæ nec non officiorum, quæ obtinent, privatione, ipſo facto incurrendis pœnis, ut tibi, perindè, ac Nobis in omnibus promptè obediant pro toto tempore, quo in dicta Provincia commoraberis, ac deinceps uſque ad quindecim dies, poſtquam ab ea receſſeris. Peracto autem Capitulo, & omnibus expeditis, quæ ad tuum Officium pertinere poterunt, ad tuam Provinciam N. reddire curaberis. In quorum fidem &c. *ut ſupra &c.*

Supraſcritæ Commiſſiones perlegendæ erunt in publico Refectorio in ingreſſu Provinciæ ad quam Viſitator dirigitur viſitandam; Item expedire debet litteras per omnes Conventus ſuæ Iuriſdictionis, quibus ſuum adventum notificet, Viſitationem indicat, orationes ſpeciales, & ſuffragia injungat; exitum fratribus, tàm extra Provinciam, quàm extra ſui Conventus limites interdicat; obedientias omnes Provincialis ſuſpendat; aliaque mandet, quæ ex præſcripto probatæ conſuetudinis fieri debere iudicaverit. Congruum etiam erit, ut dictæ Commiſſiones publicentur coràm Capitulo Provinciali, ante eiuſdem electionem. In progreſſu autem Viſitationis, vel Cauſarum ſibi commiſſarum expeditione, omnia adamuſſim obſervet, quæ in formulis ſequentibus adnotata erunt; quæ etiam poterunt inſervire non ſolùm Iudici-

bus

bus Ordinariis, ſed etiam Delegatis mutatis mutandis; & idem dicitur de propoſitis formulis, quæ ſimiliter poterunt congruenter aptari pro Commiſſione ad viſitandum unum, vel plura Monaſteria.

Forma Inquiſitionis generalis paternæ, Praxis II.

In nomine Domini. Amen.

§. I. HÆc eſt Inquiſitio, ſeù Viſitatio generalis, quam facere intendit P. N. de N. Miniſter Generalis, vel *Provincialis*, vel *P. Viſitator Generalis* in Conventu N. die . . . . Cùm perveniſſemus ad Conventum N., & fuiſſemus benignè recepti à P. N. Guardiano, & alijs fratribus, non contulimus ad Eccleſiam, in qua flexis genibus Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum adoravimus; breviq; oratione facta diſcendentes ad Cellam nobis paratam perreximus; poſt aliqualem verò quietem eodem die, hora prandij, *vel cenæ* convocatis omnibus in Refectorio fratribus, verbum Dei propoſuimus, & Viſitationem intimavimus; omnes in Domino cum Sanctæ obedientiæ merito admonentes, ut dicerent, quæ de Iure dicenda veniunt, nec odio, nec prava animi affectione; ſed ſola charitate, & regularis obſervantiæ zelo moverentur. Poſtea viſitavimus Eccleſiam, incipiendo à Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, quod religiosè compoſitum, & cuſtoditum reperimus: Altaria deindè, Reliquias Sanctorum, Oleum infirmorum, Sacriſtiam, cum ſacra ſuppellectile, univerſamque Eccleſiam: Poſtmodùm cellas fratrum; Officinas Conventus, quæ omnia divino cultui accommodata, & noſtræ profeſſioni reſpondentia invenimus: *Si tamen ità ſit*. Tandem vocatis fratribus ab ultimis, & junioribus incipientes eorum ſingulos interrogavimus ſuper ſequentibus articulis.

1. An ſacri ritus, & cæremoniæ ex præſcripto Eccleſiæ, & noſtrarum Conſtitutionum ſerventur. 2. An ad divina officia die, noctuque ad miſſas item audiendas, vel celebrandas cum devotione, & maturitate omnes conveniant cum ea corporis, & animi compoſitione, quæ de jure, & conſuetudine ſervari debet, & ſolet. 3. An in Eccleſia indevotè, & ſæculariter aliquis gradiatur, moretur, & converſetur. 4. An communis victus in Refectorio obſervetur, omneſque ad benedictionem conveniant, & religiosè compoſiti lectioni ſacræ non minus, quàm refectioni vacant. 5. An ſint qui paupertatis, obedientiæ, vel caſtitatis vota tranſgrediantur. 6. An quæſtus pecuniarii, & aliàs à regula non permiſſi fiant. 7. An fratrum aliquis ſcandalo ſit ſæcularibus. 8. An reperiatur aliquis proprietarius. 9. An Guardianus in obeundo ſuo munere prudenter, fideliter, & diligenter ſe præbeat. 10. An Apoſtolicæ, & noſtræ Religionis Conſtitutiones ſuis temporibus legantur, & cuſtodiantur. *Si erit Viſitator ſubjungat*. 11. An P. Provincialis ſuo muneri ſatisfecerit, an exemplares ſocios habuerit: an aliquem injuſtè vexaverit: an regulæ obſervationi vacaverit: an vitia publica punierit: an Provinciam ſuis temporibus viſitaverit, juſtitiam, & æquitatem cum integritate, & indifferentia miniſtraverit: an Conſtitutiones ſervaverit; an aliquem iniuſtè offenderit; an partibus adhæſerit: an communitati, vel particularibus ipſe, vel ſocii gravis fuerit. 12. An in tota

Provincia ſint abuſus Regulæ, vel Conſtitutionum traſgreſſores: vel reperiantur in illa perturbatores, ſeductores, diſcordiarum ſeminatores, Morum corruptores, fautoreſque malorum. Vocatus igitur primo f. N. Laicus ætatis ſuæ annorum 26. Religionis verò 4 monitus, & interrogatus ſuper primo reſpondit &c. ſuper ſecundo reſpondit &c. *& ſic de cæteris.* Quibus receptis juſſus fuit ſuæ depoſitioni ſe ſubſcribere

Io f. N. confermo quanto di ſopra.

Si autem ſcribere neſciat, deſcribat ſua manu ſignum crucis. Et quia neſcit ſcribere ſua manu appoſuit ſignum Crucis, ut ſequitur.

Io f. N. ho detto quanto di ſopra, e perche non sò ſcrivere ho fatto il ſegno della Croçe ✠

Eodem modo vocantur alij Fratres illius Conventus, & ultimo loco Guardianus, Et ſic peracta Viſitatione vocentur articulati, & manifeſtentur eis articuli, ſuppreſſo nomine articulantis, ut ſe expurgent, & ſi culpabiles inveniantur in Refectorio puniantur, & Provincialis, ſeù Viſitator regiſtret hoc modo.

Viſitatis igitur omnibus Religioſis Conventus N., & maturè conſideratis omnibus articulis in præſenti Viſitatione adductis, & productis contra fratres N. & N. &c. Vocati fuerunt Articulati, & lecti ſunt eis per extenſum articuli, & maturè conſideratis excuſationibus, rationibus, & diffenſionibus perſonaliter productis, reperti ſunt culpabiles, & correctione, & pœnitentia digni. Eoſdem iterùm in Capitulo, *vel Refectorio* vocavimus, de votorum obſervantia, & regolaris diſciplinæ admonuimus; aliquos publicos, vel particulares defectus paterne correximus; *(hîc adnotentur perſonæ pænitentiatæ, & penitentiæ colatæ)* nonnulla ad prædictorum tutamen, vel fugam opportunè in ſcriptis ordinavimus, videlicèt, Che &c. & data omnibus benedictione viſitationem complevimus die menſis &c. *Et totam Viſitationem ſui officij ſigilli impreſſione corroboret, & ſubſcribat.*

Ità eſt f. N. de N. Provincialis, *vel Viſitator.*

Forma Inquiſitionis generalis Iudicialis ex officio.

§. 2. In Dei nomine. Amen.

ANno Domini 1687 die vero . . . Menſis &c. Sacrorum Canonum, noſtrarumque Conſtitutionum veſtigiis inhęrendo, Reu. Adm. P. &c. volens ſuo muneri ſatisfacere, vocato me fratre N. ſuo Secretario, quem Actuarium creavit, & à quo fidelitatis juramentum exegit. *Et hoc ſemper apponi debet, ubi de deputatione Actuarij incidet ſermo*, acceſſit ad Conventum N. eumdem in capite, & in membris viſitaturus, & poſtquam fuit benignè receptus convocatis fratribus in Refectorio ipſis Viſitationem intimavit, exhortatione præmiſſa, nè, quæ taceri debent, ſine diſcretione dicerent, ſed ea tantùm revelarent, quæ de Iure Superioribus dici merentur; eiſdem ſanctæ obedientiæ præcepto injungens, nè odio, aut inordinata affectione adverſus ſuos fratres moverentur, nevè aliquid contra juſtitiæ, & charitatis regulas effutirent; Viſitatis deinde Sanctiſſimo Sacramento, totaque Eccleſia cum ſuis Altaribus: Sacriſtia cum ſacris vaſis, & ſuppellectile: Conventu cum cellis, Fratrum, & Officinis, vocari ad ſe fecit f. N. de N. Laicus ætatis ſuæ

ſuæ &c. & præſtito ei juramento de veritate dicenda prout juravit tactis ſacris Scripturis ad opportunas interrogationes reſpondit, ut infra &c. *Servetur modus viſitandi ſupra recenſitus, nihil penitùs immutando, immo ſuperaddendo ea, quæ pro ſua prudentia, neceſſaria eſſet judicabit.*

Si ex Viſitatione generali emergant indicia de aliquo gravi delicto contra aliquem fratrem, tunc deſcendendum eſt ad ſpecialem Inquiſitionem, ut infra ſuo loco adnotabimus.

Tempore Viſitationis, cùm de Iure communi totum externum regimen contentioſum Provinciæ ad Viſitatores pertineat, ad Prælatos verò Provinciæ tantùm voluntaria Iuriſdictio ſpectet. Ideò ſi cauſa, vel cauſæ præſertim incoactæ committenda, vel committendæ fuerint Provinciali ejuſdem Provinciæ, forma talis Commiſſionis erit tenoris ſequentis.

§. 3. Cùm R. P. Provincialis hujus Provinciæ N. in adventu noſtro ad hanc Provinciam viſitandam, cauſam, & cauſas præſentaſſet contra f. N. de N. &c. cum omnibus in proceſſo actitatis, non valentes per nos ipſos gravioribus Viſitationis curis præpediti, neque per noſtrum Ordinarium Conſultorem multipliter pariter occupatum prædictam cauſam ſeù cauſas proſequi ea diligentia, qua decet. Mandamus prædicto P. Provinciali, ut ipſe vel ſolus, vel cum uno, vel cum pluribus vel cum omnibus R. P. Deffinitoribus hujus Provinciæ uſque ad ſententiam definitivam incluſivè prout de jure eam proſequatur. Omnibus &c. In quorum &c. *Hæc commiſſio regiſtranda erit in calce proceſſus à Provinciali incepto.*

Si erit facienda recuſatio Viſitationis, hoc ſpectat ad Provincialem, & ad Deffinitores, & forma illum recuſandi erit ſequentis tenoris. Caveant tamen à prædicta recuſatione, nè deteriùs ipſis aliquid contingat. Et antequam ad talem recuſationem deveniant attentè perluſtrent, & maturè conſiderent Bullam Pontificiam contra rebellantes Viſitatoribus Generalibus in Bullario regiſtratam.

Forma recuſandi Viſitatorem.

§. 4. CORam vobis R. P. N. Concionatori &c. deſtinato à Reverendiſs. P. Generali hujus noſtræ Provinciæ N. Viſitatore. Comparent perſonaliter infraſcripti PP. N. de N. ejuſdem Provinciæ Provincialis, nec non ipſius deffinitores, & tàm nomine proprio, quàm communi nomine tamquam totam repreſentantes Provinciam, nomine cujus pariter dicunt, quòd P. V. R. ſit valdè adverſaria eorum nationi, *vel ſi ob aliam juſtam cauſam recuſetur, explicetur,* & ex hac cauſa, aliiſque loco, & tempore exprimendis vehementiſſime ſuſpecta redditur. Cùmque periculoſum admodum ſit coram ſuſpecto Iudice Ius dicere, recta ratio ſuadet, ut P. V. R., ejuſque Iudicium recuſent, prout de facto recuſant, proteſtantes de nullitate omnium poſt hoc agendorum. Ità dicunt, proteſtantur & recuſant hoc, & omni meliori modo, via, & forma, quibus de Iure poſſunt. In quorum fidem &c.
Datum &c. Ego F. N. &c. Provincialis recuſo.

Et ſic pariter deffinitores ſubſcribant

Prædicta formula poteſt quoque inſervire ad Iudicem ſuſpectum recuſandum, mutatis, mutandis &c.

Forma

Forma contra inobedientes, & reſiſtentes.

§. 5. IN Nomine Domini. Amen. Nos f. N. de N. Viſitator Generalis in Provincia N. &c. cui præſentium monemus R. P. N. de N. hujus Provinciæ Provincialem, nec non R. R. P. P. N. & N. Deffinitores, ut intra terminum ſex dierum à die hujus monitionis noſtræ incipiendorum, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos pro tertio, & ultimo termino peremptorio, ac monitione Canonica aſſignamus ✠, ſe diſponant, vel ad probandas coram nobis cauſas recuſationis, et ſuſpicionis; vel ad nos recognoſcendum, et recipiendum in Viſitatorem hujus Provinciæ. Quòd ſi infra dictum tempus non comparuerint ad probandas dictas Cauſas recuſationis, et ſuſpenſionis, vel non ſe diſpoſuerint ad nos recipiendum, et recognoſcendum in eorum Viſitatorem contra ipſos procedemus ad ſulminationem cenſurarum in Bulla Greg. XIII., quæ incipit. Quoniam noſtro Paſtoralis officio &c. contentarum. In quorum fidem. Datum &c. *ſubſcriptiones &c.*

Supradictum Monitorium poteſt etiam inſervire ad alia mutatis mutandis v.g. aſſignamus ✠, reſtituet f. N. librum, quem ab ea abſtulit; quòd ſi infra dictum tempus noſtris non obedierit mandatis ex nunc illum excommunicatum, ſeù ſuſpenſum declaramus. In quorum fidem &c.

Forma relationis.

FIdem faccio Ego f. N. de N. &c. præſentaſſe R.R. P. P. N. & N. &c. copiam ſupraſcripti Monitorii die.... &c. præſentibus N. & N. &c. & in fidem me ſubſcribo hac die.... In Conventu &c. *ſubſcriptiones*.

Forma ferrendi Cenſuras.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

§. 6. NOs f. N. de N. Viſitator Generalis in Provincia N. volentes viſitare eamdem Provinciam, & in ipſam noſtram Iuriſdictionem exercere juxta Commiſſionem Reverendiſs. P. Generalis, lectam in publico Refectorio N. die... &c., vel intimatam, vel notificatam per P. N. de N. &c. Patribus N. & N. Provinciali, & reſpectivè Deffinitoribus. Nihilominùs prædicti P.P. N. & N. &c. non obſtantibus monitionibus de facto reſiſtunt, ſe opponunt, & nolunt nos in Viſitatorem acceptare, nec pro Viſitatore recognoſcere, *aut Viſitationi reſiſtunt*, dicendo, vel faciendo hoc, & hoc, *(explica)* Idcircò pro manifeſta violentia nobis illata, ac pro noſtrorum Iurium defenſione, & nè parum humilibus prodeſſe videatur obedientia ſi contumacibus, & inobedientibus nihil oblit præceptorum contemptus. Auctoritate Dei Omnipotentis Patris, Filii, & Spiritus Sancti, nec non Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli eoſdem P. P. N. & N., eorum ſic exigente contumacia, & inobedientia his ſcriptis excommunicamus, & ab officiis ſuſpendimus, ſeù interdicimus, tandiùque ipſos vitandos denunciamus, quouſque ſe diſponunt ad nos in eorum Viſitatorem recognoſcendum, et acceptandum. Et inſuper declaramus ipſos P. P. N. et N. incidiſſe in omnes pœnas in prædicta Bulla Greg. XIII. contentas. In quorum fidem &c. Datum in Con. N. &c. die.... &c.

Ita eſt ego f. N. de N. Viſitator Generalis

Ego f. N. Actuarius &c.

TRACTATUS SECUNDUS SPECIALIS.

Quam formam Iuris ſervare debeat Iudex Regularis in Regularium Iudicijs. Regula prima.

§. 1. QUatuor omninò ſub pœna nullitatis in ſuis Iudicijs ſervare debet Iudex Regularis; ſcilicèt, Modum procedendi, Præparatoria ad Iudicium, Sententiam, & Pœnas. Modus procedendi ex triplici potiſſimum capite exordium ſumit; nimirùm, vel ab Inquiſitione, vel à Denuntiatione, vel ab Accuſatione, & apud nos Capuccinos juxta tenorem noſtrarum Iudicialium inſtructionum additur quartus modus procedendi, nempè, per viam Articulorum Iuratorum. Hæc enim Iudici Regulari regulariter viam aperiunt, qua contra criminoſos procedere valeat: neque enim Iudici ullo modo ſine vel Articulante, vel Accuſatore, vel Denuntiatore, vel infamia præcedente, vel aliquo alio, qui vicem ipſorum ſuppleat, adverſus aliquem procedere licet: quocumque enim modo Iudex procedat, vel ex officio, vel ad inſtantiam partis, ſemper quadruplici illa via ad Iudicium graditur. Præparatoria ad Iudicium ſunt, Citatio teſtium, & Rei: Delatio juramenti; Conceſſio termini competentis, vel ad comparendum, vel ad probandum; Exceptiones, Defenſiones, Appellationes, & alia eſſentialia Iudicij, quibus non ſervatis proceſſus eſt nullus. Sententia debet eſſe conformis legibus, Canonibus, & Ordinum ſtatutis. Pœna tandem debet & ipſa eſſe delicto conformis quantùmvis ſit arbitraria; quia juxta menſuram delicti, erit & plagarum modus. *Deut.* 25.

§. 2. In Iudiciis Regularium ex conceſſione Bonif. VIII. & Clem. V. poteſt Iudex excludere modum ordinarium procedendi, & illum ſolum admittere, qui Summarius dicitur; in quo de plano, & ſola rei veritate inſpecta, rimulis omnibus, & apicibus, ſeù ſolemnitatibus Iuris poſtpoſitis, proceditur. Iſtæ ſolemnitates Iuris ſunt, Citatio die non feriata, Libelli porrectio in ſcriptis, Litis conteſtatio ſolemnis, Teſtium multitudo, Prolixæ dilationes, Teſtium poſt publicatas atteſtationes receptio, Appellationes fruſtatoriæ, ſententiæ ſedendo prolatio, Citationum intervalla, Interlocutoriæ, & cætera hujuſmodi, quæ ad eſſentiam Iuris non ſpectant. Eſſentialia verò, quæ ſub pœna nullitatis actuum, & privationis officii obſervari debent à Iudice Regulari ſunt, Primum, quòd Iudex ſine accuſatione, denuntiatione, infamia, articulis, vel indicijs non procedat, ut dictum eſt. Secundum, quòd Teſtes tàm pro Reo, quàm contra Reum legitimè producti cum jura-

mento audiantur, & examinentur. Tertium, quòd Reus citetur; nec abſens, niſi contumax, condemnetur. Quartum, quòd tempus ad neceſſarias probationes, excuſationes, & defenſiones Reo tribuatur. Quintum, quòd Reo petenti in ſua Cauſa Conſiliarium, ſeù procuratorem, intra Ordinem tamen, nunquam autem extra, non denegetur. Sextum, quòd juſtæ Rei exceptiones, & appellationes admittantur, & Teſtes ab ipſo productos examinet, Septimum, quòd Reus non condemnetur pœna ordinaria, niſi per plures teſtes convictus, vel confeſſus fuerit. Octavum quòd ſententia ſecundùm allegata, & approbata ſive ad abſolutionem, ſive ad condamnationem Rei, non verò ſecundùm zelum, & affectum Iudicis proferatur. Nonum, quòd ante ſententiam fiat litis conteſtatio non ſolemnis, cùm hæc ſit de apicibus, ſed eò modo quo fieri poteſt, & debet inter Regulares, apud quos in Criminalibus loco libelli, ſeù petitionis ſuccedit examen Iudiciale, & reſponſio Rei medio juramento facta. Et in hoc ſenſu intelligendum eſt noſtrum Statutum quando dicit *Nolumus dari libellum, nec litem conteſtari* &c. non quòd ſtatutum deneget litis conteſtationem, quia eſſet iniuſtiſſimum, cùm ſit unum de ſubſtantialibus Iudicij, immò teſte Fagnano *in 2. Dec. in cap. Olim de lit. cont ſt. n. 5.* fundamentum, & lapis angularis judicij: ſed debet intelligi, quòd in loco libelli, ſeù petitionis ſuccedat examen Iudicis, ac prætenſi Rei reſponſio, & tunc lis dicitur conteſtata, quando iſte ſub juramento reſpondit. Quæ omnia debent eſſe in ſcriptis redacta, ac juridicè præſentata, & ideò ſubdit Fagn. *ibid.* Per petitionem in Iure propoſitam, & congruam reſponſionem ſecutam animo litigandi; quia extra judicium non fit litis conteſtatio. §. *offeratur. 3. q. 1. c. 1. & l. voluit ff. de inter. action.* Undè non ſufficit reſpondere in ſcriptis, & extra judicium, ſed oportet in Iudicio porrigere reſponſiones, *ut in c. 1. de libel. oblat. & in Auth. offeratur, & ibi Gloſ. 1.* Et non ſufficit qualiſcumque reſponſio, ſed oportet, ut ſit relativa ad libellum, ſeù in propoſito ad interrogationem, vel ad articulos, *ut notat Bald. in c. Dudum il 2. n. 19. de elect.* & ideò dicitur congrua reſponſio, idèſt in Iure, ſcilicèt, Iudicialiter facta ſive negando, ſive confirmando, ut dicit Gloſſa *in cap. Olim de lit. conteſt.* Et quamvis Bald. *in l. Vnica* teneat fieri conteſtationem per confuſionem, ſeù reſponſionem Rei in figura Iudicii emanatam, licèt fuerit dubium, an hoc fecerit animo litigandi, ſeù procedendi in cauſa, nec nè? Imol. tamen contrarium ſentit *in l. Dominus §. qui confitetur ff. de legat.* Ubi dicit, ſervandam eſſe mentem confitentis, ſi de illa conſtet; ſed ſi non conſtat, non fieri litis conteſtationem. Et hæc opinio verior videtur etiam Fagn. *ibid. n. 35.* Vel dic, quòd debet intelligi Statutum de libellis frivolis, & minus rationabilibus, non autem de legitimis, & rationabilibus; *quia ut inquiunt Alex. conſ. 103. n. 8. vol. 5. Bertaz. de clauſ. clauſ. 22. gloſſ. 1. Menoch. de arbitr. caſ. 197. n. 3. Barboſ. in cap. ex parte il 2. de off. Deleg. n. 2.* non eſt veriſimile, quòd Statutum per verba generalia velit tollere Iuris obſervantiam. Et hoc idem docet Bart. *in l. omnes popoli. n. 65. ff. de Iuſt. & Iur.* Ubi dicit, quòd clauſula *rejecta legum interpretatione*, cenſetur rejecta ſolùm frivola, non verò Iuſta. Decimum, quòd ſententia feratur in ſcriptis, & niſi poſt lapſum terminum ei aſſignatum ad ſe defendendum, etiam ſi Reus ipſi termino renunciet. Undecimum, quòd Reus citetur ad audiendam ſententiam, & publicetur præſen-

tibus

tibus Reo, & duobus Teſtibus ad talem effectum vocatis. Et tandem, quòd dicta ſententia ſubſcribatur à Iudice, à Reo, à Teſtibus, & ab Actuario.

Quomodo Iudex procedere debeat per viam Inquiſitionis. Reg. 2.

§. 1. INquiſitio, ut à nomine exordiar, nihil aliud eſt, quàm criminum à Iudice competenti canonicè, & ex officio facta, inveſtigatio; cujus Inquiſitionis tria ſunt genera, ſcilicèt, Generalis, Specialis, & mixta. Generalis reſpicit omnia delicta, & omnes omninò perſonas, ſpectatque ad Generales, Provinciales, & Viſitatores. Specialis inſtituitur contra ſpeciales perſonas de certis criminibus. Mixta, vel eſt ſpecialis quoad delicta, & generalis quoad perſonas; ut cùm ſcitur crimen, ignoratur verò Auctor: Vel eſt generalis quoad delicta, & ſpecialis quoad perſonas; ut cùm fratres alicujus Conventus infamati ſunt de tranſgreſſionibus Regulæ, eæ autem neſciuntur.

§. 2. In generali Inquiſitione Prælatus à nullo juramentum exquirere debet, cùm perfectum judicium non ſit, benè poteſt præcipere per ſanctam obedientiam, ut dicant, quæ Dei gloriam, & Religionis candorem concernunt, dummodo occulta non ſint. *c. Roman. de cenſib. in §. ſanè*. Quòd ſi fortè in ea aliquis invenitur infamatus, vel denunciatus de aliquo gravi crimine ex hac inquiſitione contra ipſum ad ſpecialem Inquiſitionem deveniendum eſt: & in tali caſu redigenda eſt in ſcriptis medio juramento generalis Inquiſitio, ut cauſa appareat, quare de Inquiſitione generali deventum ſit ad ſpecialem, niſi forſan crimen Prælato tanquam Patri fuerit delatum: tunc enim à ſpeciali Inquiſitione prorsùs abſtinendum eſt, cùm via judicialiter procedendi ex fraterna delatione illi prorſus intercludatur.

Item cavere debet Prælatus nè in generali Inquiſitione de aliqua particulari perſona inquirat ſpecialiter an hoc, vel illud crimen commiſerit? niſi crimen adeò leve ſit, ut in judicium vocari poſſit; neque cuiquam præcipiat, ut ſibi tanquam Iudici, occultum aliquod crimen patefaciat: quòd ſi fecerit, ultra mortalem culpam, quam committit, officio deſtituendus eſt, & ſubditus quibuſvis præceptis adactus reſpondere non tenetur, quòd maximè procedit, quando nulla præceſſit infamia, ut potè non juridicè interrogatus; & ſpecialis inquiſitio, quæ ſuper hujuſcemodi diffamationem fortè inſtitueretur, nulla eſſet ipſo facto; ità quòd ſi quis de occulto crimine à Iudice in generali Inquiſitione interrogatus illud detexerit, delinquens ex illius depoſitione nullatenùs ſecundùm Iura puniri poteſt. Crimen verò quoad propoſitum ſpectat, illud occultum dicitur, quòd quamvis duobus, vel tribus Teſtibus notum ſit, & probari poſſit, de illo tamen nulla extat infamia: Ab hac tamen reſtrictione Provinciales excluduntur, ad quos ſindicandos Viſitatores deſtinantur; undè illis integrum erit de Provincialium regimine in genere, & in ſpecie inquirere nominatim, etiam nulla infamia præcedente, non tamen ad illorum vitam, & mores deſcendendo, quòd etiam de Viſitatore ſuo prædeceſſore, & de Guardianis fieri debet. *c. Inquiſit. de accuſat. juxta gloſ. & cap. ex*

quæ de Stat. Monach. §. *ſequentes.*

§. 3. In hac Viſitatione generali habent Prælati Ius generaliter inquirendi ſuper omnia delicta tàm publica, quàm privata, tàm manifeſta, quàm occulta, tàm nociva Communitati, quàm non nociva, cum hac differentia, quòd penitùs improbabilia, & occulta non ſunt manifeſtanda, niſi ut Patri; probabilia verò ſaltem per unum Teſtem omni exceptione majorem poſſunt, & aliquando etiam debent manifeſtari ut Iudici. Et illa, quæ manifeſtantur tanquam Patri, nullo modo ad forum contentioſum deduci poſſunt. Quo fit, ut Prælati adverſus hujuſmodi occultos criminoſos judicialiter procedentes, quandoquidem abſque præcedenti infamia, vel judiciali denunciatione procedunt, ſimul & Actoris, & Iudicis perſonam induant, quòd eſt à Iure prohibitum, & ſuam ipſorum conſcientiam ad mortem vulnerant. Attamen nè delicta impunita remaneant, ſi quis in generali Inquiſitione per duos, vel tres teſtes convictus fuerit de aliquo occulto delicto, de quo nulla laborat infamia, is non publicè, ſed coràm iiſdem teſtibus ſecretò puniendus eſt, niſi atrox delictum eſſet, cujus correctio cæteris tranſiret in exemplum. Et ſi principalis ipſe in Inquiſitione generali, vel alio quocumque modo, antequam infamia notatus ſit, vel ab Accuſatore præventus ſuum crimen Iudici fateatur, publicè puniri non poteſt, etiamſi poſtmodum accuſatus eſſet, ſed illi coram Deffinitoribus, vel probatis aliquibus Patribus, ſalutaris pœnitentia imponi debet, ſumpta tamen in ſcriptis ipſius depoſitione, nè relabendi occaſionem ex impunitate arripiat. Et idem dicitur, ſi unus, vel alter ſubditus occultum delictum aperiat imprudens, & in Inquiſitione generali nulla contra Reum reſultet infamia, Iudex in tali caſu non poteſt contra ipſum procedere, niſi tantummodo illum paternè, & ſecretò admonendo.

§. 4. Et tandem in generali Inquiſitione omnes univerſaliter tàm benevoli, quàm malevoli, infames, & ſuſpecti, & qui alioquin à teſtimonio ferendo Iure ipſo repellendi eſſent abſque diſcrimine admittuntur; quia cùm in hac generali Inquiſitione, ſeù Viſitatione nemo aliorum teſtimonio condemnari poſſit, vocanda eſt potiùs actus gubernationis, & quoddam præambulum ad Iudicium, ſi neceſſarium fuerit, quàm actus Iudicialis: Undè ſi poſtea ex ea deſcendendum eſt contra aliquem ad ſpecialem Inquiſitionem, qui à Iure teſtimonio ferendo repelluntur, omninò à Iudice excludi debent. Et in hac generali Viſitatione, ſeù Inquiſitione tenentur omnes Religioſi, ſub culpa violatæ obedientiæ, & pœnis arbitrarijs delicta notabilia, quæ ſciverint, juxta ſuperius tradita Prælatis Viſitantibus ſive tanquam Patribus, ſive tanquam Iudicibus revelare, etiamſi fratris crimen antea ſecretò correxerint: quòd maximè procedit, ſi per obedientiæ præceptum adacti fuerint; renuentes autem, aut aliter dogmatizantes, in pœnas arbitrarias incidiſſe certum eſt. Neque ſubditi in dubium revocare debent, an hujuſmodi præcepto parendum ſit: cum enim illud neque contra Regulam, neque contra animam militet, nimis ſanè temerarium eſſet, adverſus ipſum inſurgere: tale præceptum tamen intelligendum eſt ſano modo, ut nihil Prælatus præcipiat contra Ius naturale, aut Divinum. Si quis autem in Viſitatione fratrum defectus non manifeſtaverit, ſed malitiosè, vel calidè eos in aliud tempus, cujuſcumque Ordinis Prælato manifeſtandos,

ſtandos, aut litteras contra quempiam ſervaverit, & poſtea in Iudicio, ſeù Viſitatione deduxerit, produxeritvè, audiri non debet, ſed eò ipſo actibus legitimis perpetuò privari, & infamis declarari. *c. qualiter, & quandò 2. c. cùm oporteat. c. Inquiſit. de accuſat.* Et in noſtro modo procedendi *in 1. ſubſt. n. mihi* 88. Definitur, quòd poſt Viſitationem generalem, aut alicujus Viſitatoris generalis perpetuum ſilentium imponatur.

De Inquiſitione ſpeciali. Reg. 3.

§. 1. PLuribus modis Prælato viam ad delicti alicujus Inquiſitionem ſpecialem parari, certum eſt, ac apud omnes indubitatum. Primo ex Inquiſitione Generali, quæ in Prælatorum Viſitationibus fieri ſolet. Secundo, Ex infamia, & clamoroſa inſinuatione delicti extra Inquiſitionem generalem. Tertio, ex judiciis ſufficientibus, qui ad plenam probationem pertingant, ità quòd talia indicia aliquam infamiam de delinquente faciant; poſtremò ex rebellione delinquentis poſt paternam Iudicis correctionem de quibus ſigillatim agendum eſt. Et quoad primum. In generali Inquiſitione crimen tripliciter ad Prælati notitiam pervenire poteſt. Primo, cùm illud aperitur ei tanquam Patri, & in hoc caſu non poteſt Iudicialiter procedere, ſed paternali tantùm correctione delinquentem admonere debet, niſi delictum in publicum eſſet damnum. Secundo, tanquam Iudici; in quo caſu cùm criminis delator Denunciatoris, vel Accuſatoris perſonam induat, id non alia, quàm Inquiſitionis via procedere debet, niſi forſitan Delator formalem Denunciationem, vel Accuſationem præſentaret. Tertio, neutro modo, quando, ſcilicet, delator criminis nihil exprimit, & tunc Iudici liberùm erit ex generali Inquiſitione ad ſpecialem devenire. Et hic præcipuè eſt modus à nobis propoſitus, quo Iudex ex officio, & per viam Inquiſitionis ex generali ad ſpecialem Inquiſitionem procedit; quia cùm in generali Viſitatione Prælatus juſtè procedat ſubditos generaliter interrogando, ſi iſti generaliter interrogati nominant in ſpecie aliquem delinquentem, & poſſunt ſaltem ſemiplenè probare delictum oppoſitum, vel revelatum, nempè ſi habeant alium teſtem omni exceptione majorem, qui ex propria ſcientia de eodem delicto deponat, ſtatim aperitur Iudici via ad inquirendum ſpecialiter etiam nulla præcedente infamia, & ad formandum proceſſum contra nominatum: & in hoc caſu debet vocare primum revelatorem, & iſte primò vocatus debet repetere cum juramento, quod dixerat in Viſitatione generali. *Decia. reſp. 39. n.* 125. licèt ſecundùm Bertaz. *conſ.* 251. *n.* 103. iſte primus cenſeatur quaſi Denunciator factus ex ordine Iudicis. Nec refert, quòd Teſtes fortè peccaverit revelando delinquentem; quia quoties Iudex juſtè interrogat, ſi interrogati etiam malè detegant aliquod delictum, tenetur Iudex contra delinquentem procedere per ſpecialem Inquiſitionem, & illum punire; cùm ſic nullam alicui irroget injuriam, ex eo quòd crimen jam deductum eſt in publicam Iudicis notitiam. *Navar. in rubric. de Iud. n. 87. & corol. 61. n. 648. & corol. 62. n. 769. Leſſ. de juſt. lib. 2. c. 29. n.* 125. Non debet tamen Prælatus extorquere aliquod crimen occultum per metum gravem, autem per injuſtas interrogationes; quia tunc

procedere non poſſet. Et tandem, ut citra calumniam ex generali Inquiſitione Iudex ad ſpecialem deſcendere valeat, conſultum erit, ut alibi adnotavimus, quòd Acta generalis Inquiſitionis deſcribat ſecundùm formulam ſuperius deſcriptam.

§. 2. Specialis Inquiſitio, quæ ex generali deducitur, niſi infamiam præceſſerit per duos ſaltem teſtes initio proceſſus probata nullo modo fieri poteſt. Et Acta aliter facta nulla ſunt, niſi Reus præſens de hujuſmodi probatione non excipiat, ut ex ipſo Iure colligitur. *c. licèt Heli de Simon. c. Deus omnipotens*, & communiter Doctores. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus abſque præcedenti infamia, Prælatus poteſt ex generali deſcendere ad ſpecialem Inquiſitionem. Primus eſt, cùm quis coràm Iudice ſive competente, ſive non crimen in Iudicio cùm juramento confitetur: ſive illud ex profeſſo, ſive incidenter, ſive ſit delicti criconſtantia, ſive aliud diſtinctum crimen. Ac etiam ſi in Iudicio conſtet Iudici per teſtium depoſitiones (tametſi incidenter) commiſſum eſſe crimen: tunc illa notitia, ſeù notorietas Iuris, quæ gerit vicem Accuſatoris ſupplet infamiam. Undè ex tali confeſſione judiciali facta cum juramento coram Iudice etiam incompetente reſultat publicum Iuris, & aperit viam Iudici competenti, ut contra talem confeſſum valeat inquirere, & procedere ad ſententiam per ſpecialem Inquiſitionem; in alio tamen proceſſu de novo formando, ſi delictum ſit à principali diſtinctum; Si verò eſt annexum, vel connexum, ſeù dependens à principali, in eodem Iudicio puniri debet: ut ſi Inquiſitus de furto, reperiatur res ſacras furatas eſſe. Sunt aliqui, qui ducunt, quòd etiam confeſſio extrajudicialis aperit viam Iudici ad inquirendũ ſpecialiter nulla prȩcedente infamia, & præcipuè ex noſtris P. Bover. *in direct. cap. 6. verſ. Novus.* Sed revera non ſufficit, etiam ſi facta eſſe coram duobus, vel incidenter coram Prælato lapsù linguæ, vel alio modo, ut ſi Prælatus aperiret ſubditi litteras, in quibus proprium crimen fateretur; in his enim caſibus haberet tantùm Ius Prælatus fraternaliter corrigendi, non autem Iudicialiter procedendi, niſi crimen vergeret in publicum damnum, vel hujuſmodi confeſſio facta eſſet coram multis, ità quòd ex ea oborta eſſet infamia, tunc enim poſſet inquiri non ratione confeſſionis, ſed ratione infamiæ. *Sanch. in opuſ. lib. 6. c. 3. dub. 19. n. 3.* Si autem ex ea nulla oriatur infamia, aut plenè probata non fuerit talis confeſſio coram multis facta non ſufficit ad ſpecialiter inquirendum; quia debet eſſe plenè probata, ſicut & fama, cujus loco ipſa ſuccedit.

§. 3. Secundus eſt, ſi crimen in Iudicio committatur; ut ſi Accuſator, vel Teſtis calumnioſè agit, vel tergiverſatur, aut falſum deponit, aut falſam Scripturam producit; in tali enim caſu Iudex ad ſpecialem Inquiſitionem procedere poteſt nulla præcedente infamia, vel in eodem, vel in diverſo Iudicio, prout melius expedire videbitur. Et idem dic, ſi quis aliquem gravi injuria afficeret, aut percuteret in conſpectu Iudicis pro Tribunali ſedentis coram multis; tunc Iudex procedere poteſt ad punitionem delinquentis in continenti etiam Iuris ordine non ſervato, & ſine ſolemnitate; & hoc incontinenti durat per tres dies: & ſi non fuit captus tempore delicti, eò quòd fugam arripuit, & poſtea fuit captus, debet citari, ut videatur quam afferat defenſionem; & quando ſe abſentaret, & erit procedendum contra ipſum, tanquam contra contumacem. Secùs eſſet, ſi crimen tantùm coram Iudice ſine Teſtibus perpetraretur, de eo enim abſque præcedente infamia inquirere

non

non poſſet. Et ſi Iudex aliquem deprehenderent in flagranti crimine, & delinquens negaret crimen, poſſet quidem torqueri, at non condemnari, niſi duo, vel tres Teſtes conteſtes de ipſo crimine deponant, illud fuiſſe ab eo perpetratum. *Clar. q.8. Aret. in pract. c.* 15. Immò nec contra ipſum ſpecialiter inquirere poteſt, ſi ſolus delictum perpetratum vidit, niſi diffamatio pręcedat; cùm judicium dumtaxat ſecundùm allegata, & probata fieri debeat; quia idem non poteſt eſſe Iudex, & teſtis: Et Iudici aſſerenti infamiam præceſſiſſe non creditur, niſi ex proceſſu id appareat. *Fulgoſ. conſ.* 107. *Navar. in rub. de Iud. n.* 1. *c.*5. *verſ. altera*. Et ſi ab aliis deprehenderetur, & ab actu maleficii duceretur ad Iudicem, & ibi facta relatione coram Iudice, & Actuario, Iudex poſſet procedere ex abrupto ſine proceſſu, & ſine Juris ordine ad ſententiam.

§. 4. Tertius eſt, ſi delicta ſint attrocia, & exceptuata; ut læſæ majeſtatis Divinæ, vel humanæ, Homicidii perſonæ eminentis, ſubornatio in electionibus, Simonia, Sacrilegium in Religioſo &c. Quartus eſt, quando delictum eſt ità evidens, & notorium, quod ſe offert, & exhibet oculis omnium degentium in loco delicti, vel conſpectui majoris partis loci, ità clarè, & apertè, ut aliqua probabilitate negari non poſſit, nullaque tergiverſatione celari; & ex tribus cauſatur iſtud Notorium. Primò, ex qualitate loci, ut non fiat in loco ſecretò, ſed publico, ubi ſolet convenire communitas; ut in Refectorio, vel Choro. Secundò, ex qualitate temporis, ut non fiat de nocte, ſed de die. Tertiò, ut ſit commiſſum in præſentia ſaltem majoris partis degentium v. g. in Conventu. Et quia non eſt in Iure definitum quanta debeat eſſe quantitas perſonarum, ut major illius pars faciat Notorium, arbitrio Iudicis remittitur.

§. 5. Et quamvis *manifeſtum* ſit quid ſpecie diſtinctum à Notorio. Nihilominùs Doctores arbitrantur *Manifeſtum* accipi pro notorio; *ut in cap. Statuimus il* 1. *de off. Iud. Deleg. in* 6. Et Barboſ. *in d. cap. n.* 11. explicat manifeſtum pro Notorio. Manifeſtum igitur, ſeù Notorium dicitur etiam illud, quod in populo eſt divulgatum vel per facti evidentiam, vel per actuum frequentiam, vel per famam ab omnibus approbatam, ità ut celari non poſſit. Et tunc pro divulgato habetur, quòd coram decem teſtibus eſt patratum, cùm in tali caſu non poſſit manere occultum: & idcircò Ioa. And. *in d. cap. num.* 4. *ex Hoſt.* dicit impoſſibile eſſe, quòd factum notorium non ſit famoſum, maximè tot teſtibus videntibus, quot ſufficiunt ad conſtituendum populum, nempè decem: Undè ad hoc, ut aliquod delictum dicatur patratum coram populo, ſufficit, ut ſit factum coram decem teſtibus de viſu. Sicut, quòd erit factum coram ſex, erit factum coram majori parte popoli; & quamvis hoc non ſufficiat ad notorium propriè, & ſtrictè, ſufficiet tamen ad hoc, ut adeò ſit manifeſtum & tali certitudine apud Civitatem, vel Monaſterium diffamatum, ut non poſſit aliqua probabili tergiverſatione celari. Et ſic in parvis Monaſteriis ſufficit, quòd delictum ſit commiſſum coram majori parte illorum, qui ibidem commorantur, & in tali caſu Iudex poteſt procedere abſque ulla diffamatione præcedente; quia evidentia facti habetur pro Accuſatore. Verum quidem eſt, quòd, ut Iudex procedere poſſit ex abrupto, non ſolùm teſtes debent deponere, delictum fuiſſe commiſſum in loco publico Monaſterii, & coràm majori parte Reli-

gioſorum

gioſorum illius, ſed inſuper debent deponere qualitates tales, ut clarè conſtet factum commiſſum fuiſſe cum delicto, non autem ob juſtam defenſionem, aut aliquam aliam excuſationem. *Clar. q. 9. n. 2. & q. 19. n. 3.* Quòd ſi delictum eſt evidens, delicti verò patrator ignoratur, nec ulla adſunt indicia, aut infamia perſonæ, Iudex generaliter de auctore criminis inquirere poteſt; nimirùm quis illud perpetravit, & indicio contra aliquem habito, contra judicatum abſque diffamatione procedere poterit.

§. 6. Quintus eſt, quando delinquens ſecreta prius, & fraterna admonitione, deindè coram Teſtibus correctus, & poſtea denunciatus Prælato tanquam Patri, & à Prælato iterùm paternè admonitus non modò non propoſuerit, nec promiſerit ſe emendare, quinimmò pertinaciter, & protervè crimen negaverit, & crimen illud ſaltem per unum teſtem occulatum, & omni exceptioni majori comprobari poterit, tunc ſive ſperetur emenda, ſive non, nulla præcedente infamia poteſt Prælatus tranſire ad ordinem Iudicialem contra delinquente; quia rebellio ipſa ſuccedit loco accuſatoris: Undè Prælatus poteſt ſpecialiter inquirere, & contra delinquentem procedere via juridica ipſum conſtituendo, & ad ulteriora procedendo, & hoc duplici modo: Primò obligando delatorem ad denunciandum Iuridicè, dummodò delictum ſaltem probari poſſit per unum teſtem omni exceptione majorem. Secundò via rebellionis, ut ſupra dictum eſt. Et tandem, quando evidentia adſunt indicia contra aliquem de patrato delicto, & illa congruenter probata ſunt ſaltem per duos Teſtes; ut ſi furtum ſit factum jam notorium, fur autem ignoretur, inveniantur tamen aliqua apud fratrem, quæ furtum indicent: tunc conſtito de delicto, licèt præciſè ignoretur delinquens, poterit Iudex ſine fama ad ſpecialem Inquiſitionem contra talem furem devenire. Item ſi de commiſſo crimine adſit in Communitate, vel ejus majori parte vehemens ſuſpicio contra aliquem, poteſt Iudex contra illum ſpecialiter inquirere; quia talis ſuſpicio tunc ſe habet velut clamoroſa inſinuatio, ſi publicè per ora hominum feratur, ut ſuppleat vicem infamiæ. *Banneſ. 2. 2. q. 69. art. 2. Filliuc. tract. 40. c. 7. n. 143. Navar. in rubric. de Iud. n. 95.* Aut quando indicia incidenter in aliquo proceſſu indicialiter ſunt probata; quia tunc inducunt notorium Iuris, quæ notorietas Iuris, dicitur Accuſator fictus. In his omnibus caſibus ſine præcedente infamia contra ſpeciales perſonas procedi poteſt, ſicut etiam quandò à Prælato ſit inquiſitio ad examinanda merita, vel demerita eligendorum.

§. 7. Præſuppoſito igitur, quòd ad ſpecialem Inquiſitionem contra aliquem Iudex procedere non poſſit, niſi infamia, vel clamoroſa inſinuatio præcedat, præterquam in caſibus ſupra adnotatis; reſtat nunc videndum, quid ſit infamia, & clamoroſa inſinuatio, & quomodo inter ſe differant, ac etiam quomodo ſint probandæ. Proquo ſciendum eſt primò Famam eſſe communem opinionem voce manifeſtatam ex ſuſpicione provenientem, quæ ſi circa malum, vel delictum verſatur, infamia dicitur. Clamoroſa verò inſinuatio eſt eadem fama, vel infamia ad aures Iudicis non ſemel, aut bis, ſed ſæpiùs prolata. Quæ infamia, ſeù clamoroſa inſinuatio, adeò ut legitima ſit, ità quòd his præcedentibus Iudex ſpecialiter inquirere valeat, quatuor requiſita neceſſaria ſunt. Primum, ut talis fama non à malevolis, vel indignis, ſed ab honeſtis, ac probis viris, atque fide dignis originem trahat. Infamia

mia enim, quæ ortum habet à malevolis, vel indignis repelli debet, nec ſufficientem ad ſpecialem Inquiſitionem viam aperit, niſi fama, & veritas delicti haberi non poſſit, quàm à perſonis inhabilibus, & infamibus; prout in delictis commiſſis in lupanari, vel alio ſimili loco. *Farin. q. 42. n. 160.* Secundum eſt, ut de ipſa diffamatione conſtet in Actis. Tertium eſt, ut diffamatio præcedat Inquiſitionem; nam ſi intervenerit poſt formatam Inquiſitionem proceſſus non reconvaleſcit, etiam ſi Inquiſitus eſſet convictus per teſtes poſtea productos, ac etiam præcedere debet capturam Rei. Quartum, quòd probetur ad minus per duos Teſtes. *Gloſ. in l. 3.* Et teſtes deponentes ſuper fama contra valdè diffamatum, non eſt neceſſe, ut ſint omni exceptione majores. *Carer. in cap. obſervare curabit. n. 65. Bertaz. ad conſ. 162. lit. B. verſ. tertio requiritur.* Et debent teſtificare ſe ità publicè, vel in Urbe, vel in Conventu audiviſſe, vel ità paſſim dici. Præterea teſtes de infamia deponentes interrogandi ſunt à Iudice à quibus audierint ad cognoſcendum, & diſtinguendum, nùm ortum habuerit ab honeſtis viris, & fide dignis, vel à malevolis, & inhabilibus, qui ſi nullum nominant, infamia non probatur: Undè Iudex debet diligenter attendere, ac ſolicitè inveſtigare, ut uſque ad famæ auctores perveniat, ut cognoſcere poſſit, utrùm infamia rectè, & legitimè probata ſit, aliter non poteſt procedere ad ſpecialem Inquiſitionem. *Farin. q. 9. n. 6.* ubi multos cumulat. Et quamvis ipſe Farin. *conſ. 55. n. 50.* & alii dicant, quòd in criminalibus non ſit neceſſè nominare eos, à quibus audierint; debent tamen intelligi, quando fama, vel communis opinio orta eſſet ex aliqua cauſa rationabili, aliàs debent nominare à quibus audierint: & quando interrogantur à quibus perſonis illud publicè audierint, ſi reſponderent ſe neſcire, vel non recordari; tunc eorum teſtimonium non eſſet recipiendum, & receptum nihil probat. *Vivia. com. opin. 898. n. 6.*

§. 8. Quòd ſi duæ famæ contrariæ ſimul, & eodem tempore in eodem proceſſu probatæ concurrant, una in favorem, & altera in præjudicium prætenſi Rei, bona fama ſemper prævalere debet, & eſt anteponenda alteri malæ famæ contra ipſum probatæ. Quinimmò ſi Reus probaret ſe per triennium honeſtè & Religioſè converſatum fuiſſe, infamia contra ipſum probata abſtergeretur. Et teſtes interrogati de fama, ſufficit, ut reſpondeant lato modo; nempè eſſe quandam vocem, quæ de aliquo publicè, & paſſim circumfertur, vel quòd eſt communis proclamatio, ſeù dictum Monaſterii &c. nam vulgaris modus loquendi ſemper eſt præferendus in explicatione cujuſcunque ſermonis. *cap. ex lit. de ſponſ.* & ſi dicunt ſe neſcire, nihil probant. *Clar. q. 6. n. 18. Farin. q. 47. n. 219. & ſeqq.* An autem ad ſpecialiter inquirendum clamoroſa inſinuatio præter ſimplicem infamiam ſemper ſit neceſſaria? Communis Iuriſtarum, & Summiſtorum ſententia eſt pro parte affirmativa; nempè non ſufficere ſimplicem infamiam, quando Inquiſitio contra Prælatum, aut Conventum inſtituitur, ſed debet eſſe vehemens, ità ut clamoroſa inſinuatio infamiam ipſam ad aures Iudicis ſæpè detulerit, & talis quòd ſcandalum generet, ſi Iudex non inquireret. Cùm verò Inquiſitio contra ſubditum ſit facienda, ſufficit quòd infamia abſque clamoroſa inſinuatione præcedat, etiam quòd non ſit ſcandaloſa. *Clar. q. 6. n. 21. Farin. q. 9. n. 5. in fine.* Hoc autem procedit, quando inquiritur contra Prælatum Sæcularem: quando autem inquiritur contra Prælatum Regu-

Regularem, ſat eſt infamia, quæ requiritur adverſus alium privatum. *Sanch. lib. 6. moral. c. 3. dub. 25. n. 6. Sylv. Inquiſitio 1. q. 4. diſt. 1. & 2. & Ang. n. 2.*

§. 9. Quæ infamia non ſolùm debet eſſet in ordine ad delictum, ſed etiam ad delinquentem: ità ut Iudex ante Inquiſitionem ſpecialem ſaltem per duos Teſtes probet famam tàm delicti, quàm delinquentis præceſſiſſe. Atque hæc probatio in processu ante omnem Iudicis Inquiſitionem apparere debet ex duplici ratione. Prima eſt, quia probationes, quæ valent ad condemnandum Reum ex proceſſu conſtare debent: Quapropter cùm fama præcedens tàm delicti, quàm delinquentis una ſit ex probationibus, quæ ad Rei condemnationem concurrunt, hic infertur, utramque famam in proceſſu de neceſſitate, tanquam unum ex ſubſtantialibus ſervandam eſſe. Nec ſufficit, quòd ex Teſtium probationibus in proceſſu utriuſque famæ probatio appareat, ſed inſuper ante proceſſum conſtare debet, ut Iudicium per precedentem infamiam ritè, ac rectè inchoatum eſſe dignoſcatur, nè Iudex Actoris ſimul, & Iudicis partes agere videatur; proceſſus enim tali pacto confectus eſſet ipſo Iure nullus. Secunda ratio eſt, quia jam ſtatutum eſt in textu *cap. quoniam contra extra de prob.* non eſſe præſtandam fidem, ut alibi diximus, Iudici aſſerenti famam præceſſiſſe, niſi ex actibus conſtet. Sciendum tamen eſt, quòd ſi Iudex infamiam, vel probationem infamiæ prætermitteret, & tali pacto ad Inquiſitionem ſpecialem procederet ipſo Reo præſente, tacente, & non opponente, vel de tali nullitate non proteſtante valent Acta, & ex ipſis Reus condemnari poſſet, *ut colligitur ex cap. 1. & 2. de Accuſat. 1. n. 6. Clar. q. 9. n. 9.* quòd intelligi debet, quando fama præcedit Inquiſitionem veritatis, & tantùm Reo præſente, & non reclamante omittitur ipſius famæ inquiſitio. *Megal. in prax. c. 1. n. 2. & 3.* Et talis oppoſitio ſecundùm Clarum *ibid.* fieri debet ante litis conteſtationem. Ex quibus infertur, quòd diffamatus de uno crimine non poteſt inquiri, neque interrogari de aliis criminibus occultis, de quibus non eſt diffamatus: Et quamvis alii aliter teneant, ut Pallud. Armella, Tabien &c. contraria tamen opinio eſt communior inter Doctores; quia poteſt dari caſus, quòd aliquis ſit diffamatus de adulterio v. g. & nihilominùs ſit in pacifica poſſeſſione ſuæ bonæ famæ quoad furtum. *Caet. 2. 2. q. 69. a. 2. Sot. de Iuſt. lib. 5. q. 6. a. 2.* Et ſic etiam ſtatuitur in noſtro modo procedendi *n. mihi* 100. Et alia opinio contraria poſſet admitti tantùm in delictis ejuſdem ſpeciei; videlicèt, ſi quis eſſet diffamatus, quòd eſſet famoſus latro, nam tunc poteſt de omnibus furtis interrogari, hoc tamen non admittitur apud nos, niſi in duobus caſibus adnotatis in Statutis *n. mihi* 101. 102.

§. 10. In hac ſpeciali Inquiſitione, ac etiam in omnibus aliis actibus ad contentioſum forum ſpectantibus (paterno foro excepto) Iudex Actuarium, ſeù ſcribam peritum, & fidelem ſibi eligere debet, qui omnia Cauſæ merita in ſcriptis redigat; ab eoque fidelitatis juramentum excipiat, quòd eſt de eſſentia talis officii, cujus in ipſo proceſſu monumentum appareat. Et quia Scriptores noſtri non ſunt illius Authoritatis, cujus ſunt Tabelliones, optimè conſultum fuit in noſtris Statutis *num. mihi* 140, ut Iudex in Reo examinando aſſumat ſecum alium fratrem maturum, qui Rei conſtituta ſubſcribat: Aſſumere autem Aſſeſſores ad Teſtium depoſitiones excipiendas, nec Religioni honorificum, nec Cauſis, ut plurimum, utile evadit, in

quibus

quibus ſilentium maximè commendatur; niſi hanc aſſiſtentiam in aliqua repetitione Teſtium, vel in examine mulierum, vel in aliquo alio notabili Cauſæ actu Iudex expedire cognoverit. Sicuti etiam ad hanc ſpecialem Inquiſitionem ex officio Iudex deſcendi non poteſt, niſi conſtito priùs de corpore delicti; ſi eſt facti permanentis, juxta regulam, & praxim ſuo loco inferius aſſignandum.

De Inquiſitione mixta ex generali, & ſpeciali. *Reg.* 4.

§. 1. INquiſitio mixta, alia eſt generalis quoad perſonas, & ſpecialis quoad delicta: alia generalis quoad delicta, & ſpecialis quoad perſonas. Et utraque poteſt reſultare, vel ex generali Inquiſitione quando ſcilicèt, ex ea per plures teſtes indicia, probationes, ſeù præſumptiones ſufficientes erumpunt, quæ viam ad ſpecialem Inquiſitionem aperiant: Vel extra generalem Inquiſitionem, quando, videlicèt, præcedit fama delicti, aut delinquentis, ex qua Iudex ad inquirendum excitatur. In prima, quæ eſt generalis quoad perſonas, & ſpecialis quoad delicta, & quæ tunc fit, quando ad aures Iudicis pervenit delictum aliquod fuiſſe perpetratum, & ignoratur Auctor: Et in hoc caſu ſi delictum eſt facti permanentis proceſſus inchoari non poteſt, niſi priùs conſtet de corpore delicti; quo conſtito, Iudex poteſt duplici modo inquirere: Primò generaliter, Quis delictum illud commiſerit? Secundò ſpecialiter, an v. g. Petrus illud perpetraverit? In primo poteſt Iudex abſque ulla præcedente infamia delinquentis inquirere in genere de auctore delicti; nimirùm an ſciant, quis commiſerit tale delictum? & ſi reſpondeant negativè, interrogandi ſunt de infamia contra aliquem, & circunſtantiis, nempè de hora commiſſi delicti, de armis, ſeù inſtrumentis, quibus fuit commiſſum. Si hora commiſſi criminis, viſus fuit aliquis ibi pertranſire, quibus indumentis erat veſtitus, de Statura, & ſic de aliis indiciis ſecundùm exigentiam negotii, & facti. Et ſi teſtes generaliter interrogati aliquem nominant in particolari: Vel ex illa generali Inquiſitione contra aliquem particolarem reſultant indicia, quæ ad ſemiplenam probationem pertingant, poteſt Iudex, ſive Prælatus ſpecialiter, & determinatè contra nominatum, ſeù indiciatum inquirere, & cætera præſtare, quæ de Iure noverit eſſe preſtanda. In ſecundo verò debet præcedere infamia, vel clamoroſa inſinuatio, & de illa in Actis proceſſus conſtare, ut ritè, ac validè procedere valeat.

§. 2. In altera autem Inquiſitione, quæ eſt generalis quoad delicta, & ſpecialis quoad perſonas, non eſt facienda, niſi quando ad aures Iudicis pervenit, quòd e. g. in tali Conventu à Religioſis ibidem commorantibus multa contra Ius, vel Regulam perpetrata ſunt. Vel in Syndicatu Prælatorum, quando, ſcilicèt, ſuam Iuriſdictionem, & Prælationem conficiunt: Et in hoc caſu non eſt opus præcedere delictorum infamiam, ſed ſufficit, quòd Prælatus generaliter inquirat, quomodo Religioſi illius Conventus, vel Syndicatui expoſitus in obſervantia Regulæ, vel in adminiſtratione ſui officii ſe geſſerint; formando interrogatoria non de ſingulari

delicto, ſed tantùm de incerto; nimirùm quale delictum circa in obſervantiam Regulæ, vel adminiſtrationem ſui officii commiſerint? Et cætera omnia adamuſſim ſervare debet, quæ in ſolemni, & ſpeciali Inquiſitione ſervari ſolent, præter interrogationes.

§. 3. Cautus tamen, & valdè prudens debet eſſe Iudex, vel Prælatus in hac Inquiſitione non procedendo ad illam, niſi verè Infamia non ſolùm, ſed etiam clamoroſa inſinuatio præcedat, quæ non ſemel (agitur enim de re gravi) ſed ſæpiùs infamiam ipſam ad illius aures detulerit. Neque ipſam clamoroſam inſinuationem accipiat, niſi à probis, & honeſtis viris originem duxerit, ac duobus ſaltem teſtibus comprobata fuerit.

De Corpore Delicti. Regula 5.

§. 1. ANte quamcumque informationem tenetur Iudex inquirere de corpore delicti, præcipuè ſi eſt facti permanentis, & facere conſtare de illo in Actis, aliàs proceſſus eſſet omninò nullus, ità quòd etiam ſi Reus fuiſſet confeſſus, nihil illi noceret ſuamet confeſſio ſive ſpontanea, ſive in tortura, adeò ut non poſſit damnari niſi conſtet de corpore delicti. *l. 1. §. item illud. ff. ad Syllan. Marſil. conſ. 13. & 14. Maſcard. de probat. §. Præter quam. n. 48.* Sed Reus debet abſolvi cum clauſula Rebus ſic ſtantibus. Vel etiam ex capite Innocentiæ, ſi facta tota diligentia conſtat non adeſſe delictum. *Guaz. def. 4. c. 3. n. 5.* Delictum enim vel eſt permanens poſt factum; ut vulnus, incendium, furtum cum fractura &c. Vel eſt tranſiens; ut injuriæ, blaſphemiæ, fornicatio, furtum ſine fractura &c. In his namque indicia, & conjecturæ ſufficiunt, cùm plenæ probationes haberi non poſſint, itàut conſtet delictum fuiſſe commiſſum: & ſi proceditur ad inſtantiam partis, ſatis eſt, ſi Iudex examinet teſtes capiendo informationes contra Reum, quæ unico contextu probent delictum eſſe commiſſum, & à tali delinquente. Debet tamen Iudex non inquirere contra Reum, niſi ipſius conſtet commiſſum eſſe delictum, etiam ſi teſtes deponant ex ſe tale delictum à tali perſona fuiſſe commiſſum. *Clar. q. 4. Boſſ. tit. de exam. Reorum n. 6.* In illis autem, ſcilicèt, in delictis facti permanentis, debet omninò conſtare per oculorum inſpectionem, & per integram deſcriptionem in Actis regiſtrandam; itàut antequam ulla Inquiſitio fiat, locus incendii, vulnus cadaveris inquiſitio, vel fractura inſpiciatur.

§. 2. In Cauſa veneni, vel lethalis vulneris, vel deflorationis Virginis, in quibus delictis Fratres periti non ſunt, ad conſtandum de corpore delicti adhibeat Iudex Medicos, Chirurgos, & peritos in arte; ex quorum jurata depoſitione conſtare faciat qualitates corporis delicti; ſi tamen in illis locis talium copia fuerit; & deſcribi faciat omnia reperta circa cadaver, quantitatem vulneris, ligamenta &c. examinando ſaltem duos Teſtes ſuper repertis, & viſis. Et ſi occiſus repertus fuerit, cujus nomen patria, cognomen neſciantur, deſcribatur per accidentia extrinſeca, & apparentia ſtaturæ, coloris, veſtium &c. adnotantur vulnera, & ipſorum forma, & qualitates, nimirum ſi erant mortalia, vel levia, & in qua parte corporis. *Idem Boſſ. de delict. n. 4. Foller. in prax. fol. 15. n. 4.* Et quia crimen Veneni eſt

difficilis probationis probatur per indicia, & per ſenſibilia ſigna, quæ cauſat. Verùm hæc ſigna debent eſſe certa, qualia non ſunt ſpuma oris, vomitus, livor corporis; quia hæc etiam ab innato veneno oriuntur. Conſulendi ſunt per hoc neceſſariò Medici ſuper tali crimine, & eorum atteſtationibus ſtandum eſt, & ſufficit, quòd deponant ſolùm de credulitate. *Farin. p. 2. n. 30.* Immò iſti non debent deponere de veritate, ſed de credulitate, & judicio, nimirùm deponere ſe judicare, quòd mors, vel infirmitas ſit de veneno propinato. *Guaz. def. 4. c. 5. n. 7.* Ubi *n.* 8. dicit, quòd ſufficit, quòd periti aſſerant ſe eſſe peritos, ſed hoc debet conſtare per alios teſtes: & ubi agitur de pœna mortis non ſufficit unus peritus. *Paſſar. q. 20. n. 39.* Et ultra atteſtationem medicorum requiritur etiam alia probatio, nempè per ſigna tendentia ad venenum datum. *Moſcatel. in pract. rub. de homic. ſimpl. n. 21. Cabal. in tract. de homic. n. 621. Guaz. def. 4. c. 5. n. 5.*

§. 3. Vulneratum interroget de auctore, cauſa, tempore, loco, credulitate, & præſumptione ejus, qui cum vulneravit, de ſocijs, de armis, de complicibus &c. & omnia cum juramento depoſita in ſcriptis apparere faciat; quia contra quem vulneratus nominat, procedi poteſt ad inquirendum, & nolentem nominare cogat Prælatus præceptis, & carcere, vel diligenti cuſtodia, prout vulnerum qualitas permittet. *Bologin. conſ. 5. vol. 2. Ignat. in l. Cajus ff. ad Syllan. Arg. tex. in l. cum legeretur ff. de legib.* 1. Nominatus autem à vulnerato ſi ſit ſuſpectus de fuga, poterit ad cuſtodiam ante informationes detrudi in carcerem.

§. 4 Corpus delicti in furto probatur ſi conſtat rem furatam fuiſſe ibidem cùm fuit furata, vel paulò ante. *Maſc. concl.* 829. *n.* 5. *Farin. q. 2. n.* 14. Nec ſufficit, ut aliqui volunt, ſi probetur rem furatam interdum fuiſſe in illo loco, in quo furtum fuit commiſſum, ad hoc ut præſumatur etiam fuiſſe tempore commiſſi furti per illam regulam, quòd qui ſemel poſſedit adhuc etiam de præſenti poſſidere præſumatur; ſed neceſſe eſt, quòd probetur rem furatam tempore commiſſi furti fuiſſe in illo loco, in quo furtum factum fuit. *Roland. conſil. 51. nu. 18. lib. 1. Gram. conſ. 54. n. 2. Foller in pract. crim. in verb. capt. informat. n. 12. Marſil. de probat. conſil. 829. n. 4. lib. 2. Bonifat. de furt. §. 2. n. 10.*, & multi alii apud Moder. Roman. *q. 2. n. 14. verſ. & præterea.* Quæ probatio ſi criminaliter agatur, debet fieri non per conjecturas, & indicia, ſed per Teſtes ut ait Cravet. *conſ. 244. in princ. Boſſ. tit. de delict. n. 17. & ſeqq.* quem ſequitur Maſcar. *de probat. concl. 30. nu. 7. in fin. lib. 2.* Et inſuper probandum erit, quòd res ſubtracta de illo loco ad alium locum fuerit aſportata, cùm hæc conditio ſit neceſſaria ad probandum corpus delicti in ſententia *Iaſ. in l. 3. n. 1. & ſeqq. ff. ad aqu. poſſeſ. & Ioa. de Amic. concl. 60. n. 5.* Vel quòd haberet animum furandi, *uti vult Cavalc. deciſ. 16. n. 5. & Marc-Ant. Macerat. lib. 3. reſol. 20. n. 2. in fin.* Et ſi furtum factum fuit cum fractura, probatur ulteriùs per recognitionem fracturæ. *Clar. q. 4. Farin. loc. cit. n. 19.*

§. 5. At ubi furtum non reliquit poſt ſe veſtigium, ideſt, quando non eſt facti permanentis, ſufficit, quòd conſtet per indicia, & conjecturas; & ſunt primò querella partis bonæ famæ, & hæc ſufficit ad inquirendum, non autem ad interrogandum Reum, & multò minus ad illum torquendum. *Clar. q. 4. Maſcar. concl.* 430. *n. 2. Farin. q. 2. n. 16.* Et idem dicitur de acclamatione facta in continenti poſt fa-

ctum ab illo, cujus res fuit furata, quæ eſt ſecunda conjectura. *Clar. q. 60. Farin. ibid. n.* 17. Tertia conjectura eſt fama orta in vicinia, quæ ſit de re certa, & legitimè probata. Quarta eſt fuga furis juncta Domini conqueſtione *Maſc. concl.* 831. *n. 6. & 7. Clar. ibid. Farin. loc. cit. n.* 30. Et ſi res furata inventa fuerit penes aliquem, ſufficit, quòd appareat rem non fuiſſe furantis, quòd ſatis præſumitur ex eò quòd de loco alieno furtim fuerit ſublata. *Paſſer. q. 20. n.* 32.

§. 6. Crimen falſi, cùm ſit difficilis probationis, ſufficit ſi probetur per indicia, & conjecturas: Si tamen falſitas eſt in Scriptura debet conſtare de ea cum ſua falſitate. *Bord. c. 6. n.* 17. Et quandò falſitas de per ſe non eſt nocibilis, nequit vocari falſitas; ſed remanet impropriatum nomen illius, & conſequenter excluditur punitio. *Conciol. reſol. 3. & n. 2. Bart. in l. quid ſit falſum 23. n. 1. 2. ff. ad l. Cornel. de fal. & ex Farin. conſ.* 114. *n.* 12. *& n.* 38. *lib.* 2. Ut igitur falſitas ſit punibilis requiritur dolus verus, & indubitatus, nec ſufficit dolus præſumptus. *Ciriac. controv.* 131. *n.* 15. *Gaet. de cred. c. 2. tit. 5. n.* 912. *Vermigl. conſ.* 237. *n.* 3. Ubi quòd talis concluſio procedit abſque ulla dubitatione, *& conſ. 409. n. 6.* firmans, hanc eſſe veriorem opinionem, & communiorem Doctorum ſententiam, & tradit Calvin. *de æquit. lib. 2. cap. 190. n. 7. & n. 80. ad* 83. Nec dicatur prædictas auctoritates procedere ad excuſandum ſolummodo falſarium à pœna ordinaria de falſis, quamvis non conſtet de dolo, ut apud Foller. *in prax. verſ. item quòd commiſit falſit. n. 46. Bajard. ad Clar. in §. falſum. n.* 307. Nam præterquam quòd in oppoſitum extant multiſſimi tenentes pro communi; ut, ſcilicèt, ceſſante dolo non ſit locus alicui pœnæ, & inter quos Cravet. *conſ. 319. n. 15. Cephal. in crim. falſi. conſ.* 230. *n.* 19. *Calvin. ibid.*, referenda hìc videtur Doctrina Concioli, videlicèt, quòd tunc punibilis dicitur falſitas, quandò delictum falſitatis habet cumulativè Dolum, mutationem veri, & nocumentum ità taliter, ut uno tantùm de his tribus deficiente, deficit quoque quælibet pœna, quæ poſſet dici hujuſmodi falſario injungenda, ut per quam plurimos Claſſicos notat idem Conciol. *in reſol. 2. n. 1.* Et reſpondendo objectioni ſupradictæ ſub n. 3. addit in propoſitum, nempè; *Ut falſitas ſine dolo nulla pœna puniantur, neque ordinaria, neque Stelionatus, ut voluerunt Corn. Soccin. Jun. Becc. &c. In ded. conſ.* 109. *n.* 28., *& n.* 54. *lib.* 1. *Ubi contrarium tenentes refellit, & dicit hanc eſſe veriorem, & magis communem Doctorum opinionem, & ab ea non eſſe recedendum.* Et paulò infra ſubdit, prædictam contrariam opinionem eſſe falſam. Et ratio potiſſima eſt, quia non debet eſſe pœna, ubi non eſt delictum. *l. aliud eſt fraus. ff. de verb. ſignif.* nec poteſt dari delictum, ubi non intrat dolus, & præſentem in materia falſi. *l. nec exemplum l. ſi quis decurio C. de falſ. Rot. p. 1. diverſor. deciſ. 159. per totum.* Et ſic ceſſante dolo, ceſſabit & delictum, ac per conſequens ceſſabit pœna. *Natt. conſ. 592. n.* 1.

§. 7. Et idem dicitur de Scriptura, quæ contineat libellum famoſum; iſta enim debet recognoſci cum qualitate papyri, & characterum, & aliis ſignis. Ad probandum autem Scriptorem aliæ probationes ſunt neceſſariæ, nempè, per duos teſtes de viſu, qui deponant de contentis in libello, & dicant ſe vidiſſe illum ſcribi, & etiam per teſtes de nota manu, & per confrontationem literarum; ſed duæ iſtæ probationes ſine aliis adminiculis non ſufficiunt ad torturam. *Farin. q. 70. n.* 14. *Bord. c. 6. n.* 24.

n. 24. Quæ confrontatio, ſeù comparatio characteris, ut afficiat, fieri debet coram Iudice,& debent eligi periti de conſenſu partium, cum aliis à circonſtantiis à Doctoribus in tali caſu præſcriptis, aliàs relatio non tenet, & eſt nulla. Ità communiter Doctores relati à Farin. *conſ.* 70. *num.* 15. *& ſeqq.*, quia certitudo characteris, vel Scripturæ, debet conſtare Iudici Cauſæ, non peritis. *Menoch. caſ.* 114. *num.* 29. *Farin. in frag. lit. C. n.* 456. *Thom. Treviſ. deciſ.* 52. *n.* 20. *in fin.* Item per confeſſionem adverſarii contra quem eſt ſcripta, & etiam per recognitionem illius, qui illam ſcripſit, vel per conſpirationem, & examen Teſtium, & tandem per contumaciam non recognoſcentis: Et Scriptura ſic recognita plenè probat. *Paſſer. q.* 19. *n.* 2. Teſtes verò deponentes ſe vidiſſe illum ſcribi, ad hoc ut probent plenè, debent etiam deponere de tenore, & rebus in eadem Scriptura contentis, aliàs non plenè probant. *Guaz. def.* 20. *c.* 23. *num.* 9. Et quando fit per comparationem ad alias Scripturas, illæ aliæ Scripturæ debent eſſe omninò certæ, quòd ſint Scripturæ manu illius, cujus dicitur eſſe Scriptura recognoſcenda. *Guaz. ibid. n.* 4. Et quia hujuſmodi recognitiones ſunt de ſe falaces, & incertę, ideò ſine aliis adminiculis nec faciunt indicium ad torturam, nec ſemiplenè probant. *Paſſer. loc. cit. n.* 7.

§. 8. Delicta carnis, quæ poſt ſe non relinquunt veſtigia, & ſunt facti tranſeuntis non probantur niſi per Teſtes, & indicia: Sed ſi ſunt facti permanentis, & poſt ſe relinquunt veſtigia, illud veſtigium probandum eſt, ut ſupra adnotavimus per inſpectionem mulierum obſtetricum, vel peritorum deponentium ſub juramento. Et quia poteſt dari caſus, quòd puella v. g. ex ſe ſine viri concubitu, fregerit ſignaculum ſuæ Virginitatis, & eorum aſſertionibus, qui ſe faciunt complices delicti non eſt credendum; idcircò fractura in puellis non ſemper probat aliquem alium deliquiſſe, de quo videatur *Farin. q.* 43. *n.* 92. *Guaz. def.* 4. *c.* 6. *n.* 14.

§. 9. Ambitus, ſeù procuratio officiorum, dignitatum &c. apud Superiores Regulares per Sæcularium favores eſt grave delictum, & probatur primò ſi conſtat de litteris fautricibus regiſtrandis in proceſſu; ſecundò ſi conſtat de illarum litterarum uſu, & præſentatione. *Bord. c.* 62., & quia talis præſentatio, ſeù porrectio eſt difficilis probationis, cùm ſæpiſſimè porrigantur. Prælato nullo præſente, ſufficit, quòd probetur per indicia, præſumptiones, & conjecturas, & corpus delicti erit probatum. Et idem dicitur de omnibus aliis delictis difficilis probationis; & talis probatio per indicia, præſumptiones, & conjecturas debet eſſe certa, & non dubia; quia Iudex non poteſt probare delinquentem, de quo eſt dubium an deliquerit. *Paſſer. q.* 20. *num.* 18. Et debet probare, quòd illicitum dolosè, & ſceleſtè fuerit commiſſum. *l.* 1. *§. item illud. ff. ad Syllan. Farin. q.* 2. *n.* 1. *&* 4. *Scac. tract. crim. q.* 93. *n.* 6. *Guaz. def.* 4. *c.* 2. *n.* 1. Et in dubio an factum fuerit ſcelere patratum, per ſe loquendo, ſumenda eſt interpretatio ſceleris excluſiva. *l. meriti. ff. pro ſocio.*

§. 10. Sciendum tamen eſt, quòd in delictis facti permanentis probato corpore delicti; ſi delinquens innoteſcit per querellam, aut Denunciationem proceditur contra illum per Inquiſitionem ſpecialem, vel per Denunciationem ad ſumendas informationes: ſed ſi nullus eſt Denunciatus, & ignoratur delinquens, proceditur ad illum inveniendum per Inquiſitionem generalem ex parte delinquentium: In qua

qua Inquiſitione primus, qui nominat delinquentem non gerit vicem Accuſatoris vel Denunciatoris; quia corpus delicti probatum illud eſt, quod accuſat, ſed verè eſt Teſtis, & pro tali haberi debet. *Paſſer. ibid. n.* 44. Ex quo explanata remanet illa difficultas, an cùm unus ſolus ſit conſcius delicti alterius, poſſit eſſe teſtis contra delinquentem, & interrogari à Iudice? Si delictum eſt facti permanentis, & de illo conſtat, Iudex nedum poteſt, ſed tenetur inquirere de delinquente generaliter, & poteſt examinare teſtes, & inquirere in genere, an ſciant quis delictum commiſerit, delicto ipſo clamante, & Iure inſtante, ut in ſingulari inquiratur de delinquente, de quo jam conſtat in genere. Et tunc ille, qui eſt conſcius delinquentis, quia poteſt eſſe, & de facto eſt verè teſtis, tenetur delinquentem manifeſtare, niſi ex aliqua juſta Cauſa excuſetur. *Paſſer. loc. cit.* Si verò delictum eſt facti tranſeuntis, & taliter occultum, quod unus ſolus eſt conſcius illius, & extrajudicialiter manifeſtat delictum; iſte non poteſt eſſe ſimul Denunciator extrajudicialis delinquentis, & teſtis legitimus, ac Iudicialis contra illum; quia talis revelans occultum delictum proximi delinquentis eſt iniuſtus, & ſuum proximum inordinatè infamat, & per conſequens criminoſus; & idcircò non poteſt eſſe teſtis legitimus, nec ſemiplenè probat, undè nec ſufficienter probat, ut Reus poſſit interrogari; quia quis quis ille ſit, qui primò Iudici delinquentem manifeſtavit, requiſitus de cauſa ſcientiæ, non poterit niſi dicere, quòd id audivit ab aliquo, & interrogatus ille alius pariter teſtificabitur de auditu, & tandem reſolvetur Inquiſitio in hoc, quia id auditum fuit ab illo unico, qui eſt conſcius, & ſic ille in ſubſtantia erit Denunciator, & per conſequens non poteſt eſſe Teſtis: quòd maximè procedit, quando unicus delicti conſcius fraudolenter agens manifeſtaret extrajudicialiter delinquentem eo fine, ut ille innoteſceret Iudici, & ut poſtea à Iudice vocatus ipſe eſſet teſtis; in quo caſu non ſolum non eſſet legitimus, ſed valdè ſuſpectus. Si autem non manifeſtat cum fraude, poteſt in hoc caſu eſſe legitimus teſtis, & quando nihil aliud obſtet, ſemiplenè probat etiam in delictis facti tranſeuntis. *Paſſer. ibid. n.* 45. Et ratio eſt, quia ſi ex illa manifeſtatione extrajudiciali delinquens fuit infamatus, eò quòd, ſcilicèt, ille manifeſtavit pluribus delictum, undè poſtea fuit manifeſtum majori parti popoli, probata illa fama, benè poteſt Iudex inquirere contra delinquentem: Et quando dicitur, quòd Denunciator non poteſt eſſe Teſtis, intelligitur de Denunciatione Iudiciali.

§. 11. Quærelatus, & confeſſus delictum facti tranſeuntis, condemnari poteſt, etiam ſi de illius corpore non conſtet; quia hæc aliter probari non poſſunt. Secùs dicendum eſt de delicto facti permanentis, in quo nihil operatur confeſſio Rei, ut ſupra adnotavimus, ſi de corpore delicti formaliter non conſtet. Ex qua regula excipitur caſus occiſi, cujus corpus non reperitur, ſed apparent aliqua ſigna effuſi ſanguinis, aut alia ſigna denotantia dictam occiſionem; in tali enim caſu, ſi ad dicta ſigna accederet Rei confeſſio, condemnari poterit. *Leo Zambel. c. 9. in fine &c.*

Formæ

Formæ diverſæ inchoandi proceſſum, ſecundùm diverſos modos inquirendi, ut ſupra aſsignatos. Praxis prima.

IN quocumque proceſſu ſemper apponi debet titulus continens cauſam, videlicèt,

Cauſæ deſcriptio, ſeù proceſſus de furto commiſſo per f. N. de N. &c.
Informatio contra f. N. de N. de tentato homicidio &c.
Proceſſus exceptivus contra P. N. de N. ne eligi poſſit in Prælatum &c.
Informatio de ſubornatione votorum contra P. N. de N. &c.
Proceſſus informativus contra f. N. pro Apoſtaſiâ ab ipſo commiſſa.

Forma Inquiſitionis ſpecialis ex generali emergentis.

§. 1. In nomine Domini. Amen.

HÆc eſt ſpecialis Inquiſitio, quam facere intendit Adm. R. P. N. Provincialis &c. contra f. N. in Inquiſitione generali habita in Conventu N. indiciatum, quòd Apoſtaſiam commiſerit, ut in Actis Viſitationis apparet. Quapropter nè delicta impunita remaneant, decrevit ſuper hoc informationes ſumere, teſtes examinare, & alia præſtare, quæ de Iure cognoverit eſſe præſtanda. Et ad hunc effectum ſibi in Actuarium elegit P. N. de N. noſtri Ordinis Sacerdotem de ſecreto, & fidelitate juratum, cum facultate eum mutandi toties, quoties opus fuerit. Acta ſunt hæc in Conventu N. die . . menſe . . . . Anno &c.

Ità eſt f. N. Provincialis &c. Ego f. N. Actuarius &c.

§. 2. Anno igitur die, menſe, & loco quibus ſupra, coram eodem Adm. R. P. Provinciali &c. vocatus fuit f. N. de N. teſtis ex officio aſſumptus ætatis ſuæ annorum, ut dixit, . . . Religionis verò . . . & delato ei iuramento de veritate dicenda, pro ut iuravit tactis ſacris Scripturis (vel ſi eſt Sacerdos) tacto pectore more Sacerdotali juravit, ad opportunas interrogationes reſpondit, ut infra.

Inter. An ſciat cauſam ſuæ vocationis, & præſentis examinis? ℞. &c.
Inter. Ex quo tempore in hoc Conventu de familia commoratur? ℞. &c.
Inter. Quinam ſint fratres, qui ſecum in tali Conventu commorantur? ℞. &c.
Inter. An ex quo hìc manet de familia, ſciat aliquem fratrem vota tranſgreſſum eſſe? ℞.
Inter. Quomodo id ſciat? ℞. &c.
Inter. An de nocte, vel de die à Conventu exierit? ℞. &c.
Inter. In quo loco erat ipſe, quando illum exeuntem vidit? ℞.
Inter. Quomodo de nocte illum videre potuit? ℞.
Inter. An ſciat cauſam talis fugæ, & quo iverit? ℞.
Inter. An habuerit complices, vel Conſiliarios talis fugæ? ℞. &c.
Inter. An alii viderint illum fugientem? ℞.
Inter. Si ipſe Teſtis ſit Amicus, vel inimicus talis fratris? ℞.

Inter.

Inter. An ex odio, vel pro veritate talia depoſuerit? ℟.

Inter. An habeat, ſeù velit aliquid aliud dicere? ℟.

Quibus habitis, & acceptatis teſtem dimiſit cum præcepto di ſilentio tenendo, juſſum prius ſuæ depoſitioni ſe ſubſcribere, prout infra.

Io f. N. da N. hò depoſto come ſopra.

f. N. Provincialis &c. Ego f. N. Actuarius. &c.

Forma examinandi Teſtes ex officio in Inquiſitione ſpeciali, quoad famam. Praxis ſecunda.

SI in generali Inquiſitione reperiatur aliquis graviter infamatus de aliquo delicto, & deſcendendum ſit ad ſpecialem Inquiſitionem ex infamiæ indicio procedatur in hunc, qui ſequitur modum.

§. 1. Cùm in generali Inquiſitione facta in Conventu N. per Admodum R. P. &c. repertus fuerit f. N. de N. graviter infamatus de ſuſpecto conſortio *vel &c.* cum quadam muliere, *(explicetur nomen)* nec talis infamia ortum habuerit à malevolis, & vilibus, ſed ab honeſtis, probiſque perſonis, & fide dignis, ne delicta impunita remaneant: Idem P. &c. decrevit talem infamiam ſpeciali. Inquiſitione perquirere, & ulteriùs progredi prout de Iure. Quapropter plurimum de integritate P. N. noſtri Ordinis Sacerdotis confiſus ipſum ſibi in Actuarium elegit de ſecreto, & fidelitate juratum, cum facultate eum mutandi &c. *cætera ut ſupra*. Acta ſunt hæc &c.

§. 2. Die igitur menſe, anno, & loco quibus ſupra coràm eodem P. N. &c. Vocatus fuit f. N. de N. teſtis ex officio aſſumptus &c. *Vide ſupra*.

Inter. An ſciat cauſam ſuæ vocationis, & præſentis examinis? ℟. &c.

Inter. Quantum temporis in hoc Conventu moratur? ℟. &c.

Inter. An fratres ibidem commorantes exemplares ſint, & compoſiti? ℟. &c.

Inter. An omnes ſint ferventes in ſervitio Dei? ℟. &c.

Inter. An ſit aliquis ſcandaloſus? An quis laboret mala fama. ℟.

Inter. Quomodo id ſciat? A quibus audierit? An ſciat quid ſit fama publica? ℟. &c.

Inter. An aliquem offenſionem contentionem, vel rixam cum dicto f. N. ab ipſo nominato aliquando habuerit? An odio, vel zelo depoſuerit?

Inter. An ſuo examini aliquid addere, vel minuere velit? ℟.

Et relectum confirmavit, & propria manu ſubſcripſit.

Subſcriptiones, ut ſupra

Vel ſi Teſtis neſcit ſcribere, dicat. Et cùm neſciret ſcribere fecit ſignum ✠

Forma procedendi contra infamatum.

POſtquam per duos ſaltem teſtes integros examinatos conſtiterit aliquem eſſe infamatum, & Iudex habuerit indicium ſufficiens ad procedendum, ſic iniri poterit proceſſus.

Videns

§. 2. Videns Admodum R. P. N. prædictum f. N. eſſe ſufficienter infamatum de ſuſpecto conſortio, quòdque contra ipſum procedere poſſit, decrevit capiendas eſſe adverſus illum opportunas informationes, & de Iure ulteriùs procedendum. Quapropter vocari fecit primò f. N. de N. teſtem ex officio aſſumptum, ætatis ſuæ annorum, ut dixit, ... Religionis verò ....cui præmiſſa exortatione, delatoque juramento de veritate dicenda, pro ut juravit tactis Sacris Scripturis, ad opportunas interrogationes reſpondit, ut infra.

Inter. An ſciat, vel imaginetur cauſam ſuæ vocationis, & præſentis examinis? ℟.

Inter. An omnes fratres in hoc Conventu commorantes cognoſcat? ℟. &c. dictum eſt ei, ut omnes recenſeat.

Inter. An ſingulariter cognoſcat f. N. de N. Quomodo illum cognoſcat?

Inter. Ex quo tempore illum cognoſcit? An cum illo ſpecialem converſationem habuerit? An cum illo è Conventu aliquoties exierit? ℟.

Inter. Quem conceptum habeat de illo, & qua exiſtimatione apud ipſum laboret? Undè hoc eliceat? An ſciat ipſum dixiſſe verba inhoneſta, & ſcandaloſa? An viderit, vel audierit aliquem actum inhoneſtum ab ipſo factum? Dictum eſt ei ut explicet actum. Quando, & quomodo viderit.

An in particulari recordetur alicujus vel fratris, vel ſecularis, qui de converſatione, verbis, vel actibus hujus fratris fuerit ſcandalizatus. Quomodo id ſciat? Si viderit ipſe eum frequentaſſe talem domum? In quo conceptu, vel æſtimatione ſint apud ipſum, & alios mulieres ibidem commorantes? Quomodo id ſciat? An alii ſint informati de tali conſortio ſuſpecto? &c. An odio, vel paſſione talia depoſuerit? An aliquid addere, vel minuere velit? Et relectum confirmavit, & propria manu ſubſcripſit. Acta ſunt hæc in Conventu N. die ... anno ....

Subſcriptiones ut ſupra

Et in hanc formam examinentur cæteri teſtes.

Forma examinandi de fama delata extra Viſitationem. Praxis Tertia.

ALiquando accidit deferri ad Aures Superioris delictum aliquod per clamoroſam inſinuationem, ſive oretenus, ſive per litteras, & eo caſu paululum immutandum eſt exordium examinis ut infra.

§. 1. Hæc eſt Inquiſitio generalis, quam facere intendit P. Admodum R. N. Provincialis &c contra, & adverſus f. N. male audientem de ſuſpecto conſortio &c. fama publica præcedente, & clamoroſa inſinuatione non tantùm ſemel ad aures ſuas, ſed ſæpè ſæpius deferente orta non à malevolis, ſed à Religioſis probis, & fide dignis. Ideò nè delicta remaneant impunita: idem qui ſupra decrevit talem infamiam, & clamoroſam inſinuationem ſpeciali Inquiſitione perquirere, informationes ſumere, ac etiam ſuper omnia annexa, & connexa, & ſuper quemcunque & quomodocumque contra quemcumque ex hac cauſa, & cauſis oriri poterunt. Teſtes medio

dio juramento examinare, & omnia alia pro ut de Iure ſunt præſtare electio ſibi in Actuario in hoc cauſa & cauſis me infraſcripto N. de N. de ſecreto, & fidelitate jurato. Actum &c.

Deindè Iudex vocare debet ad Iudiciale examen vel illos à quibus audivit, vel à quibus per Epiſtolam, vel Epiſtolas fuit admonitus, & in tali caſu priùs faciat regiſtrare in actis Epiſtolam ſequenti Decreto.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

DElata Epiſtola ad manus Admodum R. P. N. &c. per fratrem N. de N. ſcripta ſub die .... quæ incipit &c. & deſinit &c. cum ſubſcriptione &c. & cùm in ea multa contineantur, ex quibus informationes legitimè, & de Iure debeant, ac ſint ſumendæ prædictos P. N. &c. ſuo muneri ſatisfacere volens, ac ritè procedere juſſit eam in actis inſeri, prout de facto inſerta fuit per me Actuarium infraſcriptum ſignata lit. A., & decrevit, prout præſenti decreto decernit devenire ad ejuſdem Epiſtolæ recognitionem, & alia quæ iure ſunt præſtanda præſtare, & hoc & omni meliori modo. Acta ſunt hæc in Conventu N. die,.... anno....

Ità eſt f. N. Provincialis &c. Ego f. N. Actuarius.

§. 2. Eodem die, anno, & loco quibus ſupra Coram Admodum R. P. N. &c. in camera ſuæ ſolitæ reſidentiæ vocatus comparuit f. N. de N. ætatis ſuæ annorum .... Religionis verò ... Delatoque ei juramento de veritate dicenda, prout Iuravit &c. ad opportunas interrogationes reſpondit ut infra.

Inter. An ſciat ſcribere? Reſp. &c. Inter. An ſcripſerit aliquam Epiſtolam P. Provinciali? An ſciat, vel recordetur cujus tenoris fuerit dicta Epiſtola? An recognoſceret dictam Epiſtolam? Si reſpondit. Ità Pater. Tunc Admodum R. P. Provincialis &c. juſſit ut exhiberetur, præbereturque in manibus dicta Epiſtola, eamque in manibus accipiens alta voce legit. Deindè

Inter. An illa ſit Epiſtola à ſe ſcripta. Si Reſp. Ità Pater. Dictum eſt ei, ut benè, & diligenter illam inſpiciat; poſtquam autem ea iterùm, atque iterùm vidit. Inter. An verè, & benè cognoſcat dictam Epiſtolam eſſe illam, quam ipſe ſcripſit? Inter. Quo animo illam ſcripſit? Quomodo ſciat ea, quæ ſcripſit? An talia viderit, vel ab aliis audierit? A quibus? An perſonæ, à quibus dicit audiviſſe ſint fide digni? Quo tempore vidit, vel audierit? Quo loco? Quibus præſentibus. In quo loco erat ipſe quando vidit? An diutiùs diſtulerit ſcribere talia? Quare diſtulerit? An delictum ſit publicum, vel ſecretum? An cum dicto fratre, de quo talia ſcripſit, habuerit litem, rixam, vel inimicitiam, & qua de cauſa. An fraternaliter ipſum correxit? Quoties? An correxerit coràm teſtibus. (*ſi non correxit*) quare non correxit? An ſit ſolitus talia facere? An ſit bonæ, vel malæ famæ? An fuerit aliàs inquiſitus, vel ab aliis correctus? *Et alia interrogatoria faciet &c. & tandem*

Inter. An ſuo examini addere, vel minuere aliquid velit?

Et relectum confirmavit, & propria manu ſubſcripſit, & dimiſſus fuit cum præcepto de ſilentio ſervando.

Subſcriptiones ut ſupra.

Si

Si examen aliquo impedimento expediri non poteſt, tunc ità ſcribitur.

§. 3. Quoniam ob urgentiora negotia, vel ob horæ tarditatem hoc examen compleri non poteſt, juſſit Admodum R. &c. pro nunc terminari examen, animo tamen continuandi illud, cùm primùm commoditas accerſerit, & relecto examine facit ab illo ſubſcribi, acceptatis ſi, & in quantum &c. eius depoſitionibus, et dimiſſus fuit cum præcepto de ſilentio ſervando. *Fiant ſolitæ ſubſcriptiones. Deindè* Die,...anno...In Conventu &c. Præfatus Admodum R. P. &c. regrediens ad perficiendum examen Patris N. &c. ipſum in Ius vocavit, & ipſi iterùm Iuramentum præſtitit de veritate dicenda, prout juravit &c. ad opportunas interrogationes reſpondit ut infra &c.

Si verò diffamatio, ſeù clamoroſa inſinuatio non per litteras, ſed ore tenus pervenit ad aures Iudicis, procedat prout in praxibus ſupra allatis, examinando illos à quibus audivit.

Forma procedendi in Inquiſitione ſpeciali quoad delictum, & generali quoad perſonas. Praxis IV.

In nomine Domini. Amen.

§. 1. HÆc eſt Inquiſitio ſpecialis quidem quoad delictum, generalis verò quoad perſonas, quæ fit ab Admodum R.P. N. &c. eò quòd fama, & clamoroſa inſinuatione ad illius aures pervenerit tale delictum perpetratum fuiſſe *(explicetur ſpecies delicti:)* cujus Auctor ignoratur. Quapropter ut ſuo officio ſatisfaciat, & aliorum ſcandalo proſpiciat decrevit de Auctore criminis generaliter inquirere, informationes ſumere, Teſtes examinare, & alia prout de jure fuerit præſtare. Ad quem effectum ſibi in Actuarium elegit P. N. de N. &c. de ſecreto, & fidelitate juratum. Acta ſunt hæc in Conventu N. die...anno...

Ità eſt f. N. Provincialis &c. Ego f. N. Actuarius.

Deindè procedat Iudex ad examen generale juxta praxes ſupra allatas, et ſi aliquis fuerit nominatus formet Decretum ut infra.

§. 2. Attenta depoſitione ſubſcripta P. N. de N. &c. Teſtes examinati in generali Inquiſitione, nec non alterius teſtis, ex qua colligitur auctorem criminis eſſe fratrem N. de N. &c. ab ipſis nominatum ejuſque nominatione viam aperuerint ad ſpecialiter contra nominatum inquirendum. Admodum R. P. N. &c. decrevit prout præſenti Decreto decernit ſpecialiter contra eumdem f. N. inquirere, informationes ſumere, teſtes examinare, & alia prout de Iure preſtare. Omni &c. In quorum &c. Dat. in Conventu N. die....anno....

Ità eſt f. N. Provincialis. Ego f. N. Actuarius.

Et ſic procedat ad examen aliorum, quos noverit eſſe informatos: & ſic Teſtes eſſent varii, & diſcordes inter ſe adjuvandi ſunt non quidem ſuggeſtivis interrogationibus, ad hoc ut integrè, & completè omnia deponant, ità ut omnes concordes ſint in conſtitutis ſaltem quoad eſſentialia.

Forma Inquiſitionis ſpecialis quoad perſonas, generalis verò quoad delictum. Praxis V.

In nomine Domini.

§. 1. HÆc eſt Inquiſitio, quæ fit ab Adm. R. P. N. &c. ſpecialis quidem quoad perſonas, generalis verò quoad delictum; eò quòd fama, & clamoroſa inſinuatione non ab improbis, et malevolis, ſed à probis, atque honeſtis viris exorta ad illius aures pervenerit plura adverſus Regulæ obſervantiam in multorum ſcandalum in Conventu N. perpetrari. Quapropter decrevit ad ipſum Monaſterium accedere, informationes ſumere, teſtes examinare, et alia pro ut de Iure fuerit præſtare. Acta in Conventu N. die... anno... per me infraſcriptum Actuarium ad hoc ſpecialiter electum, ac de Secreto, et fidelitate juratum etc. *Reliqua ut ſupra.*

Forma deſcribendi corpus delicti manifeſti. Praxis VI.

In nomine Domini. Amen.

§. 1. QUoniam ad aures Adm. R. P. N. etc. pervenit, *vel per Accuſationem, vel per Denuntiationem, vel per clamoroſam inſinuationem factam à F. N. &c.* vulneratum fuiſſe in Conventu N. a quodam ex fratribus ejuſdem Conventus P. N. de N. noſtri Ordinis Sacerdotem, ad reprimendam perverſorum audaciam facta primò electione Actuarii in perſona P. N. de N. etc. de fidelitate, et ſecretò iurati, cum proteſtatione tamen illum mutandi toties, quoties opus fuerit, decrevit de Iure procedere, et primum de corpore delicti inveſtigare. Undè poſtquam perſonaliter acceſſit ad dictum Conventum N. et ſe contulit ad Cellam Infermariæ ſignatam vidit, et reperit P. N. de N. jacentem in lecto vulneratum pluribus vulneribus, quorum unum erat in capite longitudinis trium digitorum, ut videbatur ferro aliquo ſcindente cæſim factum, alterum in ſiniſtro brachio ſupra cubitum latum, et profundum, quod ſimiliter videbatur cæſim ferro factum magnitudinis quatuor digitorum; quæ omnia diſcooperta propriis oculis vidit idem Pater etc. præſentibus P. P. N. N. teſtibus vocatis, et rogatis. Datum in noſtro Conventu N. etc. die.... anno etc. Ità eſt f. N. etc. Ego f. N. fui Præſens, et vidi ut ſupra etc.

Ego f. N. Actuarius.

Dato, quod vulnera propter adhibita medicamenta videri non potuiſſent tunc dicatur. Vulnus capitis, et ejus qualitas propter adhibita medicamenta, et periculum videri non potuit. *Vel ſi alii mittantur poterit concipi in hunc modum.*

§. 2. Quoniam ad aures Adm. R. P. N. &c. pervenit &c. vulneratum fuiſſe &c. *ut ſupra.* Undè cùm non poſſet perſonaliter adire ad dictum Conventum N. ad ipſum

ipſum miſit eundem P. N. Actuarium, ut adhibitis idoneis teſtibus inquireret de corpore delicti, & diligenter in Actis regiſtraret. Datum in Conv. N. &c. die &c.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

De mandato Adm. R. P. N. &c. fuit per me N. Actuarium viſitatus in Conventu N., & propriè in cella Infirmorum P. N. in lecto, vulneratus in capite propè tempora; erat autem vulnus factum, vel ictu ligni, vel lapidis, ut videbatur, ad magnitudinem ovi. Item in crure ſiniſtro, quod ligatum erat, & medicamentis involutum, dixitque vulneratus, & Infirmarius eſſe confractum. Acta ſunt hæc coram P. P. N. N. teſtibus ad hoc ſpecialiter vocatis, & per me Actuarium excepta. die . . . &c.

F. N. Teſtis; F. N. Teſtis. Ego f. N. Actuarius

Poſtea examinentur prædicti duo teſtes ſubſcripti ſequenti forma.

§. 3. Die &c. In Conventu &c. in cella ſolitæ reſidentiæ, & coràm P. Adm. R. &c. vocatus fuit in teſtem P. N. de N. noſtri Ordinis Sacerdos, ætatis ſuæ annorum, ut dixit, 40. Religionis verò 20; & delato ei juramento de veritate dicenda, prout juravit tacto pectore ad opportunas interrogationes reſpondit ut infra

Hic faciendæ ſunt diverſæ interrogationes quoad locum, modum, tempus delictum, circunſtantias, perſonas præſentes, cauſam delicti, & cauſam ſcientiæ, & quoad alia ſimilia.

Eodem modo examinetur alter Teſtis, & ſi non integrè deponeret, pro ut depoſuit ſufficienter primus, ſed eſſet deficiens, juvandus eſſet interrogatoriis non ſuggeſtivis ad omnia completè deponenda; nempè, ad exprimendas partes corporis, in quibus ſunt vulnera, & horum longitudinem, & profunditatem. Et poſtea utrumque examen erit terminandum.

Et relectum confirmavit, & propria manu ſubſcripſit.

In nomine Domini. Amen.

§. 4. ATtentis ſupraſcriptis cùm plenè in Actis conſtet de corpore delicti Adm. R. P. N. &c. decrevit prout præſenti decreto decernit ſuper delicto, vel delictis, de quo, vel de quibus ſupra inquirere, informationes ſumere vulneratum, & teſtes examinare, & alia prout de Iure præſtare omni &c. In quorum fidem &c. Datum &c. die &c.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Die . . . In Conventu &c. Acceſſit Adm. R. P. N. &c. ad Cellam, in qua vulneratus jacebat P. N. noſtri Ordinis Sacerdos, & exhibito ei juramento prout tacto pectore more Sacerdotali juravit, eum ut infra interrogavit.

Quomodo reperiatur vulneratus, & à quo tempore? Quis illum vulneravit, & ob quam cauſam? Quo inſtrumento, quo loco, quibus auxiliis, qua corporis parte? Qui aderant, vel audire potuerunt tamquam proximiores?

Si ignoret auctorem interrogetur.

An cum aliquo inimicitiam habeat, & quam ob cauſam? An verbis iniurioſis aliquem offenderit, vel minis? An ſibi aliquis minatus fuerit vulnera, mortem? Si inimicitia aliis nota ſit, & quomodo id ſciverint? Si aliqui, dum rixarentur inter ſe, adfuerint? &c.

Po-

Poſtea examinentur teſtes juxta praxes ſuperius, & inferius deſcriptas, ac ſuo loco deſcribendas. Si aliquis ex Teſtibus ſeù Denuntiator in examine detexerit inſtrumentum, cum quo fuit vulneratus, ſic erit ſubjungendum.

Dictúm eſt ei, ut cum P. N. Actuario ad videndum pergat, an in dicto loco culter ille reperiatur, & eo invento in judicio præſentet, poſt hæc autem dictus P. Actuarius una cum Patre N. &c. de mandato P. Iudicis ivit. Non multum poſt verò prædicti reverſi ſunt ſimul, cultrumque detulerunt longitudinis trium circiter palmorum, latitudinis verò duorum circiter digitorum ſine cuſpide, totumque ferreum, & præſentaverunt eum in Iudicio dicentes. Iſte eſt culter, quo f. N. &c. eundem P. N. vulneravit, quem in ſolito reperimus loco, ubi in culina ſervari ſolet.

Tunc P. N. Iudex juſſit mihi Actuario, ut eumdem cultrum ſervarem, & in Actis insererem cum ſua imagine, quæ eſt, ut hîc infra immediatè apparet, ſed in pluribus diviſa partibus ad hoc ut in præſenti quinterno cum ejus menſura regiſtraretur, prout regiſtrata fuit.

Hîc lineis culter adamuſſim repræſentetur, poſtea Iudex interroget illum fratrem, qui cum Actuario ivit pro dicto cultro ſequenti forma.

Utrum benè noſcat iſtum in Iudicio ab eo præſentatum cultrum? An ſciat illum eſſe, quo f. N. vulneravit P. N. &c.? Quomodo illum cognoſcat? Quot vulnera, & in qua parte corporis inflicta fuerunt: quomodo id ſciat? Utrum ſciat quare illum vulneravit? In quo loco eum vulneravit? Quibus præſentibus? &c. Et relectum confirmavit, & propria manu ſubſcripſit, dimiſſuſque fuit cum præcepto de ſilentio tenendo &c. *Subſcriptiones ut ſupra.*

Si dubitetur de delicto, putà ſi quis in cella mortuus, vel in puteo demerſus reperiatur, fiat prius inquiſitio de corpore, & poſtea de cauſa mortis, hoc modo.

§. 5. Viſum, & repertum fuit per me N. Actuarium, *vel Guardianum* ex commiſſione P. Adm. R. N. &c. in Conventu N. in cella, quæ inhabitabatur a f. N. cadaver ipſius fratris, in lecto ſtratum, & extinctum, lividum circa labia, & ungues manuum, & pedum cum ſpuma livida, quæ de ore cadebat, cum quibuſdam maculis nigris è regione cordis, & pectoris. *Si autem talia ſigna non adſint; non apponantur. Sunt enim ſigna veneni.* Erat autem habitu, caputio, corda, & femoralibus indutum: in manicis habebat regulam, diſciplinam &c. *Si verò eſſet aqua, vel laqueo præfocatus, dicatur.*

Viſum, & repertum &c. in piſcina ſita in horto Conventus N. cadaver cujuſdam fratris noſtri mediocris ſtaturæ, barbæ nigræ, annorum circiter 40. indutum habitu noſtro etc. *Vel ſi cognoſcatur.* cadaver fratris N. natans ſuper aquam, mortuum, & extinctum, quod extractum repertum fuit ſemitumens, & totum lividum, indutum &c. *ſi de laqueo*, cadaver f. N. in ſuamet cella, *vel ſi alibi deſcribatur locus* laqueo è trabe quadam pendente, ſuſpenſum, extinctum jam, & frigidum, manibus ſolutum; habitu, corda, & femoralibus indutum, nigrum in facie, ore, & oculis torvum, ac diſtortum etc. *Vel* Cadaver f. N. jacens ſuper ſuum lectum, cum laqueo circa collum apprimè compreſſo, cujus manus circa laqueum erant applicatæ, lingua autem ex ore prominebat etc. Quæ omnia vidi, & adnota-

vi

vi ego infraſcriptus Actuarius ad hoc ſpecialiter electus præſentibus P. P. N. N. teſtibus vocatis, hac die etc. *Subſcriptiones Teſtium, & Actuarij.*

Vel ſi de occiſo agatur, ſic erit deſcribendum.

§. 6. Viſum, & repertum per me f. N. Provincialem, *vel ſi eſt Actuarius* per f. N. Actuarium ad hoc ſpecialiter electum præſentibus P.N. Provinciale etc. & P.P. N. N. teſtibus de ejuſdem P. Provincialis mandato cadaver f. N. etc. ætatis ſuæ annorum circiter 40; Religionis verò 20. indutum habitu noſtro etc. Iacebat autem humi in ſua cella, *vel in ſilva* tribus vulneribus confoſſum. Primo in gutture cæſim, facto (ut apparebat) gladio: altero in pectore punctim, enſe, vel pugione; tertio in ventre ſubtus ombilicum, profundè demerſo enſe, vel pugione. Erant autem duo hæc longitudinis quatuor digitorum; primum verò totum guttur ſecuerat. Et totum ferè corpus, ac etiam humus erat ſanguine perfuſa. Hæc omnia à me viſa, & adnotata ſunt præſentibus quibus ſupra hac die &c. in Conventu &c.

Subſcriptiones ſolitæ.

Si recognitio corporis delicti erit de furto cum fractura ſic erit dicendum?

§. 7. Viſum, & repertum fuit per me N. Provincialem &c. oſtium Sacriſtię Conventus N. fractum, & ſecuris ictibus in fruſtra diſiectum: in eaque armarium, in quo calices, & vaſa ſervantur, vi apertum detractis ſeris, & foribus ſuo loco dimotis. &c. Acta ſunt hæc coràm infraſcriptis teſtibus ad hoc ſpecialiter vocatis, & per me Actuarium de ſecreto, & fidelitate juratum, fideliter adnotata hac die &c. *Subſcriptiones.*

Cùm de ſcriptura, libello famoſo, veneno, deſloratione, vel dubio mortis genere agitur, in quibus delictum conſtare non poteſt, niſi cum peritorum Iudicio; forma in tali caſu adhibenda erit ſequentis tenoris, cuicumque delicto, accommodati.

Forma recognoſcendi Characterem per peritos. *Praxis VII.*

§. 1. Die &c. In Conventu &c. Cùm non poſſit Adm. R. P. N. &c. alio modo devenire in cognitionem characteris P.N. de N. niſi per comparationem ipſiuſmet characteris: Cùmque in manu Adm. R. P. Iudicis extent duæ litterę originales ſcriptæ, & ſubſcriptæ manu propria dicti P. N. de N., & ab ipſo tanquam ſuæ recognitæ, de quibus in Actis &c. Idcircò ſuo muneri ſatisfacere volens decrevit, prout præſenti decreto decernit eligere, ſicuti de facto elegit duos Patres in arte ſcribendi peritos, nempè P. P. N. & N. Concionatores, & ad ipſos conſegnare dictas litteras originales una cum Epiſtola, *ſeù Scriptura* recognoſcenda, ad hoc, ut facta comparatione illarum referant cum eorum juramento, & in ſcriptis, quidquid in Domino judicare videbuntur, aſſignando eis terminum ſex dierum, qui incipere debent à die acceptationis illarum ad referendum in Iudicium &c. In quorum fidem &c.

Ità eſt f. N. Provincialis &c. Ego f. N. Actuarius &c.

§. 2. Die &c. loco &c. Supradicti duo Patres N. et N. periti electi, et comparatores

tores litterarum, & ſcripturarum de quibus ſupra in Decreto &c. habita notitia eorum electionis acceperunt officium, & munus eis impoſitum, offerentes ſe paratos in termino eis præſcripto præſentare in Actis eorum relationem juratam, & in ſcriptis redactam. Quare Admodum R. P. N. & juſſit mihi Actuario conſignare dictis Patribus peritis, prout de facto actu conſignavi ſupradictas litteras, & Epiſtolam, *ſeù Scripturam* ad finem, & effectum, quibus ſupra &c.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

§. 3. Die &c. loco &c. Coràm Admod. R. P. N. &c. perſonaliter comparuerunt prædicti P. P. N. & N. periti electi, ſeù comparatores, & in Iudicio præſentaverunt ſupradictas duas litteras, & Epiſtolam, *ſeù Scripturam* una cum eorum relatione in ſcriptis redacta, & juramento firmata ſequentis tenoris, quæ per me Actuarium de mandato P. N. Iudicis inſerta fuit in Actis &c.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius &c.

Relatione de Periti.

§. 4. NOi infraſcritti periti giudicialmēte eletti dal M.R.P.N.&c.à ſpecialmente vedere, collationare, e comparare frà di loro le ſeguenti ſcritture, cioè da una parte una Scrittura originale, *ſeù un' Epiſtola*, che comincia &c. e termina &c. inſerta nel proceſſo informativo di tal cauſa. E dall' altra parte due lettere originali ſcritte, e ſottoſcritte di propria mano dal P. N., come in eſſe ſi legge, la prima poſta nel proceſſo fol. &c. la quale comincia &c. e termina &c. diretta al P.N. de N., la ſeconda à fol. etc. che comincia etc. e termina etc. diretta al P.N. de N.

Fattaſi dunque da noi tanto per una parte, quanto per l' altra d' eſſe Scritture diſtintamente come ſopraparticolare refleſſione, e diligenti, e reiterati Scrutinii ſopra la reale comparatione trà le parole, lettere, vocali, e conſonanti tratti, corpi, & aſte, contenute nelle ſudette lettere, e ſcritture, & in cadauna d' eſſe da una parte, e dall' altra frà l' altre parole, lettere dell' alfabetto, numeri, ſillabe, e caratteri ſcritti, & ſpreſſi nell' altra ſcrittura ſudetta.

Diciamo, e riferiamo col noſtro giuramento (& in queſto noſtro ſentimento vogliamo credere concorrerà chiunque habbia notitia e prattica anche ordinaria dell' arte dello ſcrivere.) come conforma al noſtro giudicio concordano reſpetivè ut infra, aſſieme la ſudetta Scrittura con le altre due lettere originali del P. N. ſudetto ne tratti, corpi, aſte, numeri, ſillabe, carateri, parole, e ſingularmente nell' a. b. d. f. g. h. l. n. piccole. Nelle lettere grandi A. F. O. Q. Nelle duplicate ff. tt. ſſ. nelle parole *queſto* in più luoghi. *Col* in un luogo ſolo, la data, e milleſimo 1693. E queſto è il noſtro giudicio, quale perche habbia ogni maggiore validità in giudicio e fuori lo ſottoſcriviamo di proprio pugno, e confirmiamo col noſtro giuramento, e tutto ciò giudicialmente preſentiamo al ſudetto M. R. P. N. &c. in queſto giorno .... Meſe.... et anno.....

Io f. N. da N. etc. uno de periti eletto affermo quanto di ſopra.
Io f. N. da N. etc. uno de periti eletto affermo quanto di ſopra.

For-

Forma habendi Corpus delicti in Defloratione Virginis.

§. 5. DIe etc. loco etc. Vocata fuit N. obſtetrix, et cum juramento, ac licentia ſui Superioris interrogata, ſi ipſa novit N. Puellam? Reſp.....
Inter. Si vidit illam, et in pudendis inſpexit? Reſp.....
Inter. Si Virginitatis ſignaculum in illa integrum, vel fractum invenit? Reſp.
Inter. Si ipſa aliàs idem judicium ſuper aliis puellis tulit? Reſp.....
Inter. Si à ſemet, vel ab alio defloratam judicat? Reſp.....
Quibus acceptis fuit dimiſſa, juſſa prius ſuæ depoſitioni ſe ſubſcribere *vel ſignum Crucis apponere*.

Io N. Mamana ho detto etc. Ego f. N. Iudex. Ego f. N. Actuarius.

Si de veneno, vel dubio mortis agitur, in hunc modum erit procedendum.

Forma habendi corpus delicti in veneno.

§. 1. DIe... &c. loco &c. Cùm de morte P. N. pateat, quippè repertus eſt mortuus in cella &c. de cauſa autem mortis non conſtet, an, ſcilicèt per veneni aſſumptionem, an verò naturaliter acciderit; R. Adm. P. N. &c. nè in tam gravi negotio, juſtitiæ, ſuoque officio deſit, decrevit vocandum, & examinandum eſſe Peritum. Quare habita facultate à D Gubernatore Civitatis, vocari ad ſe fecit D. N. Medicum Phyſicum ordinarium, & rogavit eum, ut diligenter cadaver cum ſuis ſignis inſpiceret. (*Hæc forma mutatis mutandis erit præmittenda in recognitione deflorationis Virginis*).

Quo facto eidem juramentum exhibuit, prout Iuravit, & coràm me Actuario in hunc modum interrogavit.
Si ipſe noverit P. N. jam defunctum, dum in vivis ageret? Reſp.....
Si ejus complexionem probè tenuerit, vel eundem aliquando curaverit? Reſp.
Si cognoſcat ex his maculis, ſpuma, livore &c. mortis cauſam? Reſp.....
Si judicat fuiſſe ex veneno extrinſecùs aſſumpto, vel ingenito? Reſp.....
Reddat cauſam ſcientiæ ſui Iudicii? Reſp.....
Monitus agi de graviſſimo ſcelere, & pœna &c. Reſp. . . .
Tunc Pater lectam ſibi ſuam depoſitionem ei mandavit ſubſcribere, ut infra.

Io N. &c. Medico affermo come di ſopra.
f. N. &c. Iudex. f. N. Actuarius.

Forma inquirendi Auctorem occultum delicti manifeſti. Praxis VIII.

In nomine Domini. Amen.

§. 1. Die.. &c. In Conventu &c. Vocatus coram R. Adm. P. N. &c. in camera ſolitæ reſidentiæ P. N de N. etc. ætatis ſuæ annorum . . . Religionis verò . . . . teſtis ex officio aſſumptus, delatoque ei juramento, prout tacto pectore more Sacerdotali juravit, monitus de veritate dicenda.

Interrogatus prout infra reſpondit.

1. An cognoſcat P. N. in hoc Conventu jam defunctum?

An noverit mortuum, bonæ, vel infirmæ valetudinis fuiſſe?

De cauſa ſcientiæ. Cujus complexionis eſſet, hilaris, triſtis, merens? etc. Quomodo id ſciat? An ſciat aliquem cum defuncto inimicitias habuiſſe, altercatum fuiſſe, injurias, minas, contumelias inter ipſos interceſſiſſe? Afferat cauſam ſcientiæ ſui dicti.

An cognoſcat aliquem, qui de herbarum virtute, de medicamentis in Conventu ſit peritus, vel locutus fuerit? An etiam de venenis?

An aliquem ſimplicia, vel mineralia noverit conquiſiſſe, & quomodo hoc ſciat? Si aliquem de genere mortis P. N. loquentem audivit?

Si de veneni ſuſpicio vehemens ſit in Conventu, & apud quos?

Si de aliquo audierit, quod tale venenum propinarit, & à quibus?

Si ipſe teſtis ſuſpicionem habet de aliquo, & de quo, quòd venenum dederit. Afferat cauſam ſuſpicionis etc.

Si de veneno non conſtet clarè ſic erit interrogandum.

An ſciat P. N. mortuum, antequam in morbum incideret, cibum aliquem noxium comediſſe? Quis tales cibos attulit, dedit, accommodavit?

Quis infirmi curam geſſit? Quæ morbi ſimptomata apparebant?

Si vomitiones, tormina, ſitis vehemens, livoris &c. Quot horas poſt ſumptionem cibi, vel decubuit, vel vomere incepit?

Si ab aliquo audivit P. N. veneno necatum fuiſſe, & à quo?

Si audivit vomitiones, & maculas in corpore apparentes, fuiſſe veneni indicia?

Si audivit cujus coloris fuiſſent vomitiones, & à quibus? An ſciat, hæc purgamenta, & ejectiones à medico oſtenſas fuiſſe, cui, & quid judicaverit medicus? An ſciat, vel audierit, quo mortis genere defunctus fuerit? Quid ipſe credat, vel ſuſpicetur? Quæ cauſa ſcientiæ?

Si fuerit aliud delictum dubium ſic erit interrogandum.

§. 2. An noverit P. N. defunctum cum aliquo inimicitias habuiſſe?

Quæ cauſæ inimicitiæ? Quamdiù duraverit? Si aliis innotuerit?

Si reconciliatione deſierit inimicitia? Reddat cauſam ſcientiæ ſui dicti. Si mortuus dum viveret, morbo comitiali laborabat, vel aliis gravioribus? Si eum aliquando conqueſtum fuiſſe noverit, quod cordis doloribus opprimeretur, capitis

ver-

vertiginibus agitaretur, dæmonum illuſionibus, vel timoribus exerceretur? Si ſpiritu triſtitiæ, vel deſperationis eum aliquando noverit agitatum? Si ebrietate nimia, vel crapula? Si ſecum conqueſtus fuerit; quòd ei mors ab aliquo comminata fuiſſet, vel hoc ab aliis audiverit? Si ſcit mortuum invitum in eo conventu manſiſſe? Si aliquando actus, aut verba dementiæ, ſtoliditatis, vel deſperationis eundem feciſſe, vel dixiſſe audivit? Quæ tandem ſigna, & verba fuerunt iſta? Coràm quibus ea acciderunt? An ſciat quo violento mortis genere defunctus obierit? An ab aliis audierit? quid ipſe teſtis Iudicet, & qua de cauſa? quis habetur auctor hujus mortis.

Quis P. N. laqueo ſuffocavit, *vel* in puteum demerſit? Undè movetur ipſe vel alii ad hoc dicendum, vel judicandum? quomodo ſciat alios hoc credere, vel ſuſpicari? qui ſint conteſtes? etc.

Si cauſa erit de aliquo vulnerato, ſeù occiſo, ſic erit interrogandum.

An cognoſcat P. N. in hoc Conventu vulneratum, ſeù occiſum?

An ſciat eum cum aliquo fratre inimicitias habuiſſe? An cum aliquo rixatum eſſe? Cum quo, & quando, & ubi? qua de cauſa? An talis inimicitia aliis innotuerit, & quibus? An aliquando in amicitiam redierint? An inter ſe ipſos familiariter converſarentur poſt reconciliationem? An aliquis fuerit præſens, dum inter ſe altercarentur conviciis? An Superior hoc ſciverit, ut quid fecerit? An noverit aliquem arma quæſiiſſe, vel in Conventum introduxiſſe? quomodo id ſciat? Ubi repoſita, undè habita talia arma? qui fuerunt complices, vel fautores, vel conſcii? etc.

Forma inquirendi ſpecialiter prò delicto incidenter in Iudicio detecto. Praxis IX.

Cùm ſpecialiter inquiritur, habitis in Decreto clauſulis ſuper annexis & connexis, emergentibus, & dependèntibus &c. Si in proceſſu Inquiſitionis detegatur incidenter aliquod novum delictum poteſt Iudex procedere nulla infamia præcedente, maximè ſi delictū de quo agitur in proceſſu poſſit eſſe indiciū propter connexionem alterius delicti, & ſit quid tangens negotium principale in proceſſu: Si autem crimen detegatur incidenter, & ſit omninò ſeparatum, poterit ex notorietate Iuris, quæ gerit vicem Accuſatoris, & aperit viam Iudici ad inquirendum nova tela texere, etiam ſi ex cauſa civili crimen ſit detectum incidenter, & ſic procedere inchoando novum proceſſum, Teſtes repetere juratos, ut fidem faciant in novo proceſſu, vocare in Iudicium Reum, & alia, quæ ſunt de Iure peragere forma autem ſervanda hæc eſt.

In nomine Domini. Amen.

§. 1. Cùm ex actis actitatis Iuridicè, & Iudicialiter coram Adm. R. Patre &c. contra f. N. inquiſitum &c. de crimine prout in proceſſu, & ex ipſo nobis conſtet eumdem Fratrem per dicta multorū Teſtium (*ſi ſint plures*) commiſiſ-

ſe aliud delictum, nempè &c. *hic ponenda eſt ſpecies delicti*, & munus officii noſtri ſit delinquentes non impunitos relinquere nè ſcandala majora oriantur ex nimia indulgentia, nec Iuridicè punire poſſimus, niſi priùs conſtet de delicto, & delinquente. Ideò nobis congruum videtur, priùs de delicti veritate, et delinquentis inquirendum eſſe: & idcircò, ut officio noſtro fungamur, decrevimus, prout præſenti Decreto decernimus ex officio procedere, reducendo omnia, quæ adverſus ipſum ſunt producta, ac in priori judicio probata, ac alios Teſtes ſumere, & Inquiſitionem inſtituere ſuper annexis, & connexis, emergentibus, & dependentibus, & omnia alia peragere, quæ de Iure ſunt peragenda, hoc, & omni meliori modo. Datum in Conventu N. &c. hac die... &c. *Subſcriptiones*

Eadem penè forma mutatis mutandis uti poterit Iudex ſi detegatur aliquem eſſe ſocium criminis.

Forma, qua Iudex vult in cauſa civili propter incidenter detectum crimen deducere cauſam ad forum criminale.

In nomine Domini. Amen.

§. 2. EX actitatis coram nobis contra f. N. &c. pro cujuſdã libelli reſtitutione, conſtat dictum f. N. crimen furti commiſiſſe: Volens Adm. R. P.N.&c. officio ſuo fungi ob boni publici tuendi gratiam, & ne delicta impunita remaneant, decrevit prout præſenti decreto decernit contra dictum f. N. ex officio procedere, deducendo omnia, quæ adverſus ipſum deducta, & probata ſunt in priori Iudicio, Teſtes examinare, & alia prout de Iure præſtare, non ſolùm hoc, ſed & omni meliori modo. Datum in Conventu N. hac die...&c. *Subſcriptiones ut ſupra.*

Forma procedendi contra Reum coram Iudice delinquentem.

QUando quis coram Iudice, aliquod delictum committit, poteſt immediatè ipſum delinquentem punire, non ſolùm ordine Iuris ſervato, ſed etiam ſine proceſſu, & probatione, quando committitur delictum coram Iudice pro Tribunali ſedente, aut in actu exercendi ſuum officium, etiam ſi delinquens non fuerit ſuæ Iuriſdictionis: Cautiùs tamen aget Iudex ſi poſt commiſſum delictum Reum examinet incontinenti in hac forma.

§. 3. Coram P. N. quaſi pro Tribunali ſedente, & ipſum f. N. reum examinante, ipſe reus Dei timore poſt poſito Deum blasfemavit, vel alapam f. N. uni aſſiſtentium impegit &c. *vel ſi commiſit aliud delictum ſpecificetur*. Super quibus idem P. N. Iudex volens de juſtitia providere, ipſum N. vocavit, eumque interrogavit, qua de cauſa talem delictum commiſerit &c.

Si reus confitetur, ſtatim ipſum condemnet; ſi negat, examinentur duo teſtes, qui de facto deponant; & ſtatim ipſum condemnet in ipſa figura Iudicii. Et ſtante

ſic

ſic pro Tribunali &c. *Quòd ſi Iudex diſcedere permittat reum, erit poſteà citandus ad ſententiam, ad hoc ut Iudex juridicè procedere valeat.*

In cauſa falſitatis proceditur eodem modo, quo proceditur in cauſa calumniæ, ſi falſitas, aut quid ſimile detegatur à Iudice, & in tali caſu exceptio falſitatis retardat expeditionem cauſæ principalis, & poteſt puniri etiam à iudice Delegato dumodo conſtet malitiosè, & ſcienter id egerit. Ordo autem ſervandus hic erit.

§. 4. In nomine Domini &c. die ... &c. Examinatis medio juramento Teſtibus in tali cauſa etc. ab Adm. R. P. N. etc. in proceſſu examinum probatum fuerit f. N. de N. falſum depoſuiſſe in Iudicio ſcienter, et malitiosè; volens præfatus N. de juſtitia providere vocavit ipſum f. N., et monitione præmiſſa, manifeſtato priùs ſuæ cauſæ ſtatu de veritate dicenda, præſtito Iuramento Interrogatus. Reſp. etc.

Forma procedendi ex officio contra delinquentem, quandò pluries correptus non vult ſe emendare.

§. 4. IN nomine Domini. Amen. Cùm f. N. de N. etc. ſæpè tùm ſecreto, tùm coràm Teſtibus admonitus fuerit *(ſi verè monitus fuerit)* eò quòd pluries commiſerit tale delictum *(explicetur)* vel cùm paternè eſſet Denunciatus *(ſi verè ſit Denunciatus)* et à nobis paternè correptus de tali crimine etc. non obſtantibus paternis admonitionibus, et charitativis monitionibus præmiſſis, ſemper rebellis extitit, et nunquam ſe emendare voluerit, licèt pluries promiſerit. Hinc Admodum R. P. N. etc. coràm quo pluries delatum fuit tanquam Patre tale delictum &c. à f. f. N. & N. &c. & ab ipſo pluries paternè admonitus, et quidem ſine fructu emendationis; ideò ſuo muneri ſatisfacere volens, ut bono Religionis, et ſaluti ipſius fratris N. etc. provideat, decrevit, prout præſente decreto decernit tranſire ad viam Iudicialem, et per viam Inquiſitionis ſpecialis informationes ſumere, Teſtes medio juramento examinare et alia prout de Iure fuerit præſtare. Qua propter ſibi in Actuarium elegit P. N. de N. etc. de ſecreto, et fidelitate juratum cum proteſtatione tamen illum mutandi toties etc. Acta ſunt hæc in Conventu N. etc. die .... etc. *Subſcriptiones.*

Forma Inquiſitionis generalis faciendæ à Delegato. Praxis X.

In nomine Domini. Amen.

§. 1. HÆc eſt viſitatio Conventus N., quam facere intendit P. N. Commiſſarius Delegatus etc. prout patet ex patentibus litteris ipſius publicè lectis etc. *reliqua vide ſupra tract. 1. prax. 1. §. 5.*

For-

Forma Inquiſitionis ſpecialis per Delegatum.

IN nomine Domini etc. die .... etc. Sacrorum Canonum, et Sacri Concilii Tridentini veſtigiis inhærendo: R. Adm. P. Commiſſarius Delegatus etc. poſt generalem inquiſitionem factam in Conventu N. ad ſpecialem deſcendere voluit, prout infra. Quia in viſitatione generali etc. f. N. fuit repertus reus de tali crimine *(explicetur)* ne delicta impunita remaneant ad ſpecialem Inquiſitionem devenire decrevimus, teſtes examinando, et alia de Iure faciendo, prout præſenti decreto decernimus. Acta ſunt hæc etc.

Forma incipiendi proceſſum per Delegatum. Praxis X I.

§. 1. IN nomine Domini. Amen. Die .... etc. Menſis etc. in Conventu N. etc. Acceptis diebus præterit per nos ab Adm. R. P. N. de N. Miniſtro Generali, *vel Provinciali &c.* litteris commiſſionalibus, et patentibus una cum duobus Epiſtolis, ſeù litteris fratrum noſtrorum in eadem commiſſione memoratorum de, et ſuper quodam prætenſo crimine ſubornationis, ſeù procuratoris votorum in electione diſcreti de proximo facienda in Conventu N., ut dicitur facto, et in dicto loco commiſſo per P. N. de N., et de familia in eodem loco degente in qua quidem commiſſione mihi infraſcripto demandatur Iudicialis Commiſſio talis criminis ſubornationis, ſeù ſubornationum de qua, vel de quibus in eadem Commiſſione, et litteris prædictis continetur, et cum facultate etiam ſuperindè in cauſis prædictis, et earum annexis informationes ſumendi, teſtes examinandi, ac reum, vel reos legitimè conſtituendi, et ſuperindè legitimum proceſſum informativum compilandi uſque ad ſententiam incluſivè, *vel excluſivè*. Quare non mandatis prædictis obtemperare volentes in quantum poſſumus per præſentem noſtrum Decretum Commiſſionem prædictam acceptamus, ac mandamus litteras prædictas poni, et inſeri in proceſſu præſentis Cauſæ etc. inſuper declaramus nos velle ſuperindè procedere, et in primis informationes Iudiciales ſumere et præcipuè P. P. Scriptores, et Teſtes litterarum prædictarum, et alios quoſcumque informatos de præmiſſis formiter examinare, ac reum, ſeù reos conſtituere etc. et ſuperindè informativum proceſſum inſtruere ſecundùm formam, et tenorem ſupradictæ Commiſſionis, ſucceſſivèque pro executione præmiſſorum, et mandatorum, ut ſupra ex nunc eligimus in Actuarium hujus Cauſæ P. N. etc. idoneum præſentem de ſecreto, et fidelitate juratum, ſine præjudicio tamen illum mutandi toties, quoties etc. ſecundùm formam procedendi noſtræ Religionis. Et ità decernimus, decretamus, et declaramus non ſolùm hoc, ſed et omni etc. In quorum fidem etc.

Subſcriptiones ſolitæ.

For-

Forma Decreti pro publicatione Commiſſionis.

§. 2. DIe etc. in Conventu etc. Volens P. Commiſſarius ſuas partes adimplere, ac ſuo debito plenè ſatisfacere antequam ad ulteriora procedat, proceſſum incipiat decrevit prout virtute præſentis Decreti decernit manifeſtam facere ſuam Commiſſionem R. P. N. Provinciali etc. prout de facto illi manifeſtata fuit, & publicè lecta in Conventu N. per me Actuarium infraſcriptum ipſo P. Commiſſario, et teſtibus infraſcriptis præſentibus. Sicque decrevit non ſolùm hoc etc.

Subſcriptiones ſolitæ.

Forma proceſſus per Delegatum ex fama. *Praxis XII.*

§. 1. IN Dei nomine. Amen. Cùm de ſuſpecti conſortij erga quandam mulierem exorta eſſet fama, & percrebuiſſet contra f. N. de N. etc. atque mihi N. Iudici delegato, id manifeſtum juris notitia non eſſet: Idcircò ad ejus probationem ſecundùm Canones, duobus adhibitis ſenioribus, & probatæ vitæ teſtibus procedendum curavimus:

Acta &c. *Subſcriptiones ſolitæ.*

Examinatis teſtibus ſubjungatur Decretum hoc.

§. 2. Nos f. N. Iudex Delegatus, ut in noſtra auctoritate habetur, quæ talis eſt . . . . cùm fratrem N. fama percrebuiſſet habuiſſe ſuſpectum conſortium cum quadam muliere parum honeſta examinatis duobus teſtibus, reipſa comperimus, eius de hac re eſſe vehementer vulneratam famam, ac commaculatam apud graves, & probos viros, idque non una vice tantùm, ſed ſæpiùs ut in actis: quamobrem dicimus, & decernimus, ac declaramus ipſum N. eſſe ſuſpectum, & infamatum de tali crimine apud graves, & probos viros. Et hæc facimus omni meliori modo etc. Lecta, lata, in Conventu N. die . . . etc. *Solitæ ſubſcriptiones.*

Forma Decreti pro Inſtitutione alicujus Actuarii.

§. 3. CUm nobis f. N. de N. etc. Commiſſario Delegato viſum fuiſſet pro præſentis cauſæ, ſeù Cauſarum expeditione novum aſſumere Actuarium, qui omnia actitanda in ſcriptis redigat, & fideliter excipiat, plurimum de integritate P. N. etc. confiſi, ipſum in noſtrum Actuarium virtute præſentis Decreti eligimus, & conſtituimus de ſecreto, & fidelitate juratum, cum proteſtatione tamen etiam illum mutandi toties, quoties opus fuerit. Acta ſunt hæc in Conventu N. hac die . . . etc.

Ità eſt f. N. etc. Ego f. N. Actuarius.

De

De modo procedendi per viam Denunciationis. Regula prima.

§. 1. QUando coram Iudice Regulari aliquis Religioſus comparet, ut Fratrem de aliquo crimine denunciet, vel zelo Religionis ductus, vel ex præcepto facto à Superiore coactus; antequam Iudex depoſitionem in ſcriptis, ſive in Actis recipiat, illum admonere debet, nè contra Fratrem odio, vel intereſſe deponere velit, ſed propter bonum commune ad tollendum ſcandalum etc. Attendatque prudens Iudex perſonam Denunciantis, & conſideret cujus ſit ſtatus, conditionis, qualitatis, & famæ, & an ſit perſona fide digna, & omni exceptione major; quia licèt attento Iure Canonico regulariter quilibet ſuis Prælatis Religioſos denunciare poſſit, attamen infames non admittuntur, cùm de Iure Canonico à denunciando reijciantur, & maximè inter Regulares apud quos oportet, ut Denuncians ſit ſpectatæ probitatis: Nam ſi eſſet malignus, calumniator, inquietus, & hujuſmodi vitiis commaculatus non debet Denunciationem admittere *ex Bover. in direct. p. 1. c. 15. & ex noſtro modo proced. in 1. ſubſt. n. mihi 83.* Item inimici reijciuntur, niſi agant propriam cauſam, quòd adeò verum eſt, ut Iudex peccet mortaliter non repellendo Denunciatorem, quem cognovit non zelo juſtitiæ, ſed ardore vindictæ denunciare; ità communiter Doctores, inter quos Menochius dicit dignoſci talem Denunciatorem ex qualitate perſonæ, ferocitate vultus, & modo denunciandi. Undè diligenter inſpicere debet Iudex illius motus, geſtus, vultum, verba etc. ex quibus omnibus facilè dignoſcere poterit, qua de re moveatur ad deponendum contra Fratrem. Nec ſolùm inimici, ſed etiam de recenti riconciliati à denunciatione reijciendi ſunt. Item conſanguinei inimicorum, et ij, qui faciliter cum inimicis commorantur. Item criminoſi, Apoſtatæ à fide, vel de ea ſuſpecti, perjurii, falſarii, hæretici, pagani, Iudæi. Item de facile litigantes, varii, incoſtantes, et ad detrahendum, et accuſandum faciles. Item conſpiratores, de furto, et de crimine peſſimo convicti, et perſonæ viles: tales enim de Iure Canonico repelluntur. Item excommunicati excommunicatione majori, qui cùm non poſſint exercere actus auctoritatis, neque poſſunt denunciare *ex Caet. 2. 2. q. 68. a. 2.* Item Laicus contra Eccleſiaſticum non admittitur, niſi ſuam proſequatur injuriam, ſeu in criminibus publicis, et exceptis, in quibus admittitur ad denunciandum Eccleſiaſticum; Item ſocius criminis, impubes, minor 20. annorum, et miles, qui à teſtimonio ferendo repellitur, et etiam mulier *juxta allegata per Bover. loc. cit.*

§. 2. Advertendum tamen eſt, quòd ferè omnes ſupradicti in aliquibus caſibus ad denunciandum admittuntur: et primò in exceptis. 2. quando ſuam proſequuntur injuriam. 3. in his, quæ ſunt difficilis probationis, et in hoc ultimo ſocius criminis eſt teſtis idoneus purgata infamia criminis. Et licèt pauper repellatur non ſolùm à teſtimonio ferendo, ſed etiam à denunciando, et accuſando, niſi habeat in bonis 50 aureos: attamen ſi eſt bonæ famæ, et honeſtæ vitæ non repellitur, ſed eſt omni exceptione major *teſte Bellagrand. tract. p. q. 6. n. 24.* Et ex noſtris Statutis

omnes

omnes ad arbitrium Iudicis præter inimicos admittuntur.

§. 3. Nullus Iudicialiter denunciare debet, niſi fraterna, et Evangelica correctione præmiſſa, excepto caſu, quo Iudicialis correctio magis profutura crederetur, et eo minus, ſi Fratrem, remotis etiam labendi occaſionibus, viderit emendatum; jam enim lucratus eſt fratrem, ſi is eum ſecretò corripientem audierit. *D. Th. ſup. c. Heli de ſmon.* Si autem frater non vult ſe emendare, nec fugere occaſiones, tunc poteſt denunciari, et Prælatus tenetur illam acceptare; quia charitas in tali caſu imperat juſtitiæ, ut incipiat proceſſum Iudicialem, quo mediante obtinetur finis charitatis, qui eſt emendatio proximi, et facta probatione debet illum legitimè punire tanquam Iudex. Et etiam ſi Reus fuerit emendatus, aliquando denunciari poteſt, et Iudex denunciationem acceptare debet, ut præſervet eum à recidivo, et hoc maximè procedit in peccato carnis, in quo pluſquam in aliis adeſt periculum recidivationis. *Bict. q.* 15. *num.* 7. Seù dum quis ità peccatis et occaſionibus peccandi innodatus eſt, ut moraliter judicari poſſit, quòd niſi divertatur, iterùm caſurus ſit, vel dum quis in malitia, et prava conſuetudine in luxuriam incidit; in talibus enim caſibus poteſt Iudex à charitativa denũciatione tranſire ad Iudicialem.

§. 4. Denuncians Iudicialiter, tenetur tempus, locum, crimen adnotare, ac teſtes nominare, quos deindè Iudex ex officio examinare debet. Et in tali denunciatione ſi delicta ſint publica, et exceptuata, correctio charitativa non eſt neceſſaria. Privata autem delicta ſunt illa, quæ privatam Denunciantis, vel propriam delinquentis perniciem concernunt: ut Gula, Superbia, Ira etc. Publica verò, quæ in publicum Religionis detrimentum vergunt: ut crimen læſæ majeſtatis vel Divinæ, vel humanæ, Hæreſes, Blaſphemiæ, Sortilegia, Profanationes ſacrorum, Conſpiratio in Generalem, qui eſt Princeps Religionis, et in Provinciales, eorumque Commiſſarios, ac Superiores locales, eorumque Vulnerationes, Percuſſiones, Homicidia, Subornationes in electionibus, Simoniæ, peccatum nefandum, Adulteria, et fornicatio ſaltim quando morale imminet publicationis periculum. Iſta inquam crimina abſque prævia correctione Iudici ſtatim denuntiari poſſunt quantumcumque occulta, et Iudex talem Denunciationem acceptare poteſt, et debet, ut communiter docent Doctores *apud Bict. ibid. n.* 1.

§. 5. Adverte tamen quòd quando delictum eſt ità occultum, quòd uni tantumodò ſit notum, in tali caſu denuntiari non poteſt, nec Iudex acceptare tenetur talem Denunciationem, cùm non ſit materia Iudicii, ſed potiùs correctionis. Si autem alteri omni exceptione majori ſit notum, ità ut ſemiplenè probari poſſit juxta opinionem magis probabilem Iudicialiter deferi poteſt, cùm ſit materia Iudicii etiam abſque prævia correctione, niſi charitas, et prudentia dictaret, aliquando potiùs eſſe correctionem præmittendam, ſi per ipſam æquè delinquentis emendatio ſperetur. Undè quando delictum eſt uni tantumodo notum, ità quòd teſtibus probari non poſſit, nec laborat infamia, nunquam Prælatus huic præcipere debet, ut ſibi tanquam Iudici illud denunciet, quòd eſt intelligendum de gravioribus, et graviſſimis delictis occultis, ſecùs autem de levibus, et gravibus, quæ infamiam non inducunt. *ut habetur in noſtris Statutis in fin. p. ſubſtant. n. mihi* 94.

§. 6. Si facta demùm denunciatione, denunciator inſiſtit apud Iudicem, eum-

que ſtimulat ad procedendum, & puniendum; quia tunc perſonam Accuſatoris, ſub titulo Denunciatoris abſcondit, tenetur Iudex illum cogere, ut ſe denunciationi ſubſcribat, & ad probandum tanquam ſubdolus accuſator, obligetur. *Clar. q. 5. nunquid inſin. & habetur etiam in noſtro modo procedendi in p. ſubſtan. n. mihi* 83. Et licèt purus Denunciator talionis pœnæ non ſubjaceat, quia non eſt accuſator, ſed ſolùm viam aperit Iudici ad inquirendum; attamen ſi falſum denunciaverit, pœna in noſtris Statutis taxata puniri debet; vel pœna extraordinaria, *ut in c. placuit 6. q. 2. c. qualiter, & quando 1. de accuſat. c. dilectus, de Simonia.*

De modo examinandi Denunciationem. Regula 2.

§. 1. IUridicè in ſcriptis, ſeù in Actis redacta denunciatione, antequam Iudex ad ulteriora procedat, debet attentè legere præſentatam denunciationem, ex qua incipit ordiri telam Iudicialem; ideò Iudex debet cautè procedere, & multa conſiderare, & obſervare, ad hoc ut proceſſus ſit validus; & ſingulariter An Denunciatio habeat omnia requiſita, & an omnia in ea ſint benè explicata, ità quòd nihil confuſum in illa reperiatur, quod egeat declaratione, & explicatione. Poſtquam ergo in denunciatione conſtare fecerit, quo anno, menſe, die, loco, & coràm quibus facta fuerit Denunciatio, debet etiam dare operam, ut appareant in dicta denunciatione quædam ſine quibus proceſſus eſſet nullus.

§. 2. Prima, ergo circunſtantia, quæ validum facit proceſſum reſpicit perſonam Denunciantis, cujus ſit profeſſionis, gradus, dignitatis, honoris, Patriæ, famæ, vocis, & ætatis. An, ſcilicèt, ſit perſona gravis, honeſta, bonæ vitæ, & famæ, & cui fides ſit præſtanda. Item an veriſimilia deponat, & ſi reperiatur falſus puniatur ut ſupra. Secunda, reſpicit delictum, quodnam, ſcilicèt, ſit? an leve, grave, gravius, ſeù graviſſimum. Item an ſit facti permanentis, vel tranſeuntis, & quibus circunſtantiis ſit vallatum. An indicia ſint ſufficientia, necnè; an levia, gravia, graviſſima. Tertia, reſpicit locum, ubi, ſcilicèt, factum fuerit delictum; an in loco publico, vel privato; ſacro, vel profano, cum ex qualitate loci, qualificetur etiam delictum ob rationem ſcandali, vel loci ſacri: & ex loco publico Iudex habere poterit majorem copiam teſtium, quàm in privato: & in privato præſumptiones erunt magis vehementes, quàm in publico. Quarta, reſpicit tempus; an, ſcilicèt, perpetratum fuerit delictum de die, vel de nocte, ubi major, vel minor copia teſtium haberi poſſit: & ſicuti ex loco, ſic etiam ex tempore augentur præſumptiones contra Reum maximè ſi delictum eſt de numero illorum, quæ magis nocturno, quàm diurno tempore perpetrantur, & ſit difficilis probationis. Quinta, reſpicit ordinem; an, ſcilicèt, delictum complètè, & conſumatè fuerit factum, an ſolùm attentatum. Sexta, reſpicit cauſam, qua, ſcilicèt, cauſa, & ratione tale facinus perpetratum fuerit; quia ſi ex tali delicto ſequatur Reo aliquod commodum, utilitas, vel ſatisfactio, magis de ipſo ſuſpicandum eſt; & è contra. Septima, reſpicit complices, & ſocios delicti; an, ſcilicèt, tales ſint, quòd de illis Iudex dubitare poſſit, videlicèt, an ſint ſoliti delinquere in eodem genere delicti; & an ſint bonæ, vel malæ famæ, & vitæ. Octava, reſpicit teſtes coràm quibus com-

miſſum eſt delictum; quòd, ſcilicèt, in Denunciatione ſaltem duo teſtes ſint expreſſi, ac fide digni; quia ſi Denunciator, & teſtes eſſent ſuſpecti non eſſet acceptanda, & maximè ſi delictum non eſſet de exceptis. An autem Denunciator poſſit eſſe teſtis, opinio eſt hinc indè: apud nos tamen Denunciatores non admittuntur in teſtes, niſi poſt Denunciationem aliud crimen ad notitiam veniat, vel per infamiam, vel per indicia plenè probata ſufficiẽtia ad Inquiſitionem *ut habetur in fine 3. ſubſt. num. mihi 118. in ſtatutis*. Nona, reſpicit Reum cujus conditionis ſit, & famæ; quia ſi eſſet perſona in dignitate conſtituta, vel in Religione inſignis, aut magni nominis, & vita, & moribus per plures annos probata, non facilè cujuslibet, & præſertim vilium perſonarum, & infimæ plebis denunciationes nullo modo recipi debent, nè talium virorum fama Religioni maximè utilis, & neceſſaria detrimentum patiatur. Immo contra tales non Denunciationem, ſed Accuſationem tantùm acceptet Iudex, quæ ad pœnam talionis Accuſatores obliget. *c. Inquiſ. extr. de accuſat. Rodriq. tom. 2. q. 5. art. 12. c. in omni negotio de teſtibus; & communiter Doctores*.

§. 3. Et ſicuti Iudicis arbitrio committitur, quando Denunciatio admitti debet, ſic debet procurare, ut in depoſitione, & in toto proceſſu conſtent ſupradictæ requiſitæ conditiones (præterquam in caſu in praxibus infra ponendis deſcripto; In quo Iudex acceptare poteſt aliquando Denunciationem, non conſtando neque de delicto, neque de delinquente, niſi per ipſummet, qui damnum eſt paſſus, & procedere juxta formam ſuo loco ponendam). Et Actuarius diligens tenetur exprimere locum, tempus, & occaſionem delicti; nomen, cognomen, patriam, & ætatem deponentis, Teſtium, & Reorum; teneturque Iudex ea omnia in depoſitione, & in examinibus teſtium explicare, quæ faciunt nedum contra reum; ſed etiam pro reo, ne injuſtè gravetur, nec ei via ad ſe defendendum claudatur: Et ſi Teſtes nominati à Denunciatore non probarent delictum Iudex poteſt ex officio alios Teſtes examinare *teſte Bonif. Vital. rubric. quòd ſi accuſation. 140.* Nam quandò delictum eſt deductum in Iudicium, Iudex debet inquirere veritatem eò modo quo poteſt. *l. 2. C. de edendo. l. Iudices. C. de indicijs.* Iudicantes enim oportet cuncta rimari.

§. 4. Et quia delicta ſunt in dublici differentia, ut alibi diximus, quædam, ſcilicèt, facti tranſeuntis, quædam verò facti permanentis: Ideò prudens Iudex conſiderare debet, cujus generis ſit delictum, de quo deponitur, & agitur in Denunciatione; & ſi inveniet delictum eſſe ſecundi generis, facta recognitione Denunciationis, & electione Actuarii, ac Decreto inquirendi de corpore delicti, tenetur procurare; ut in Actis conſtet de corpore delicti juxta praxim ſuperiùs traditam, & non debet ad examen teſtium devenire, neque ad aliquam aliam Inquiſitionem faciendam, niſi priùs conſtiterit de corpore delicti, quando haberi poterit. Nec ſolùm Iudex debet eſſe contentus, quòd de corpore delicti conſtet, ſed etiàm procurare debet, quòd circumſtantiæ, & qualitates appareant; putà, tempus, locus, modus, occaſio &c. Et advertat Iudex, quòd in hujuſmodi delictum non poterit procedere contra reum prætenſum ad incarcerationem, niſi conſtiterit de corpore delicti. Salvo tamen ſi denunciatus non eſſet in fuga, vel de fuga ſuſpectus; quia in tali

caſu ad cuſtodiam incarcerari poteſt. Si verò delictum erit primi generis ideſt, facti tranſeuntis, immediatè poſt examen Denunciationis, devenire debet ad examen teſtium juxta formulas ſuperiùs, & inferiùs poſitas, & ponendas.

§. 5. Et quia non raró accidit, quòd Denunciatio ſit inſerta in quadam Epiſtola, & delictum ſit facti permanentis, Iudex in tali caſu debet ante omnia venire ad recognitionem Epiſtolæ, examinando ſcriptorem, & licèt ex noſtro modo procedendi *in 1. ſubſt. n. mihi* 88. ante talem recognitionem Iudex procedere poſſit uſque ad rei conſtitutionem excluſivè, non tamen poterit reus conſtitui, niſi priùs Denunciationem recognoverit Denunciator, & fuerit ſuper illam examinatus. Per literas miſſivas ſine nomine nullus Iudex moveatur ad procedendum, & inquirendum: Alias proceſſus eſſet nullus.

§. 6. Et quia etiam aliquando delictum, de quo quis eſt Denunciatus, ſeù Inquiſitus conſiſtit in aliqua Epiſtola, ſeù Scriptura ab aliquo confecta, qui poſtea illam deneget. Imperare ei poterit Iudex, ut propria manu in ejus conſtituto verba ſcribat per Iudicem dictanda, & in dictando plura ex verbis in dicta Epiſtola, ſeù ſcriptura ſub diverſo tamen tenore ſcribi faciet, ut ex identitate dictorum faciliùs comparatio manus, & recognitio per peritos fieri poſſit. Advertat tamen prudens Iudex, quod licèt recognitio Epiſtolæ, ſeù alterius ſcripturæ privatæ facta per ſcribentem plenè contra eum probet: attamen ſi recognitio facta fuerit per conteſtes, qui viderunt eumdem illam ſcribere, deponentes de contentis in ſcriptura, multò magis probaret. Si verò conteſtes dicunt præſentes fuiſſe, & ſcribere vidiſſe, nec de ſenſu, ſeù de ipſis in ea contentis teſtificare poſſunt, arbitrio Iudicis remittitur, an plenè, vel ſemiplenè probent. Quòd ſi teſtes dicunt ſcripturam agnoſcere, quia notam habent ſcribentis manum, cùm pluries viderint eum ſcribere, vel pluries ſuas recepiſſe Epiſtolas, ſed non fuiſſe præſentes, nec vidiſſe eam ſcripturam, de qua agitur, ſcribere, tales teſtes licèt conteſtes eſſent, non plenè probarent illam ſcripturam eſſe manum prætenſi rei. Immò quam plures Doctores de commun teſtificantes ſuſtinent, nullam prorsùs eos fidem facere. Et quamvis teſte Farinacio talis recognitio non faciat in criminalibus indicium ad torturam. Maſcardus tamen contrarium ſentit. Ratio autem cur in dictis recognitionibus modica, vel nulla fides adhibeatur, eſt, quia forma ſcribendi quotidiè mutatur, et fingitur. Undè ex ſupradictis infertur, quòd cùm vix legitimæ probationes in recognitione ſcripturarum habeantur, regulariter conſultum erit, ut in ſimilibus caſibus per viam articulorum in ſcriptis redactorum procedatur juxta formam ſuo loco tradendam.

Forma inchoandi proceſſum per viam Denunciationis. Praxis I.

SI Denuncians inſtabit apud Iudicem, quòd Denunciationem Iuridicè coram Notario in ſcriptis recipiat, tenebitur Iudex ex officio illam recipere, quare accerſito quodam Patre diſcreto, & prudente illum ſibi in Actuarium eligere debet ſequenti forma.

In

§. 1. In nomine Domini. Amen. Die etc. In Conventu &c. Coram Adm. R.P. Provinciali &c. comparuit perſonaliter f. N. de N. &c. & inſtavit dicto P. Provinciali, *vel* &c. ut dignaretur recipere in ſcriptis quamdam Denunciationem Iudicialem, contra P.N. de N. Ideo plurimum de integritate P.N.&c.confiſus ipſum ſibi in Actuarium elegit de ſecreto, & fidelitate juratum cum facultate eum mutandi &c. In quorum fidem. *Subſcriptiones.*

His peractis recipere debet in ſcriptis Denunciationem ut infra.

Die &c. loco &c. quibus ſupra ſpontè comparuit coram A. R. P. &c. exiſtente in camera ſuæ ſolitæ reſidentiæ f. N. de N. ætatis ſuæ annorum .... Religionis verò .... dicens ſe velle aliqua deponere juridicè pro exoneratione ſuæ conſcientiæ, zelo Religionis ductus, & ut delicta non remaneant impunita, cui per dictum P. Provincialem datam facultatem dicendi, ſibique facto precepto formali in virtute Sanctæ Obedientæ, *vel* dato juramento, prout juravit tactis Sacris Scripturis de veritate dicenda, monitioneque premiſſa expoſuit ut infra. Io Padre ho più volte fatta la correttione al P. N. da N. che non frequentaſſe la caſa d'una tal donna nominata &c. di poca bona fama, e nome preſſo la Città, mà perche ſempre ha diſprezata la correttione, ne mai ha tralaſciato di frequentarla con ſcandalo de Secolari, lo denuncio à V. P. M. N. acciò lo caſtighi, e s'emendi. Teſtimonii, ponno eſſere li R.P. N. & N. &c. Quo audito, fecit Iurare dictum f. N., quòd dictum P. N. charitativè correxerit, & non reſipuerit, & quòd non odio, aut calumniandi animo Denunciavit, prout tactis ſacris &c. juravit. Acta ſunt hæc in Conventu &c. die &c. quibus ſupra. *Subſcriptiones.*

Si in Denunciatione non nominavit teſtes Iudex formabit ſequentem Decretum.

§. 2. Quibus habitis P. N. præcepit ipſi f. N., ut intra ſpatium unius diei aſſignaret nomina teſtium, aut alia monumenta, quibus mediantibus conſtare poſſit de corpore delicti à ſe delati, ac deinceps de veritate dictorum contra præfatum P. N., ut poſſit contra ipſum de jure procedi, ſecundùm Canonicas ſanctiones: aliàs ſi falſum depoſuerit, ſe puniendum non ambigat, pro ut præſenti Decreto dictum terminum aſſignat. Datum .... die .... &c. *Subſcriptiones.*

Si Denunciator comparet intra terminum aſſignatum ſic erit ſcribendum.

Coram P. N. &c. comparet f. N. & dicit, quòd cùm die ..... &c. fuerit ſibi mandatum ut infra terminum unius diei deberet adducere teſtes pro comprobatione ſuæ juridicæ Denunciationis factæ contra P. N. ſuper ſuſpecto conſortio &c. quapropter modò comparens nominat dictos Teſtes, nempè P. N de N, & N. de N. inſtatque cum omni reverentia provideri ſaluti ejuſdem P.N. non minùs quàm bono religionis iſto, & omni aliò meliori modo &c. Quæ præſentatio, comparitio, & nominatio à P. N. Provinciali fuerit admiſſa ſi & in quantum. Acta ſunt hæc &c. *Subſcriptiones ſolitæ.*

Si verò Denunciator vult in ſcriptis præſentare ſuam Denunciationem erit exprimenda tali pacto.

§. 3. In nomine Domini. Amen. Ego f. N. de N. &c. defero, & Iuridicè denuncio vobis Adm. R. P. Provincialis f. N. de N. noſtri Ordinis Laicum, qualiter die Veneris proximè præterita, ſexta die hujus menſis tale crimen commiſit (*explica.*)

Quod

Quod delictum ego denuncio non odio, nec malevolentia. ſed honoris Dei zelo, & Religionis bono ductus. Datum in Conventu &c. die .... &c. Teſtes ſunt P. N. & P. N. Sacerdotes.

Ego f. N. de N. Sacerdos Iuridicè denuncio ut ſupra.

Si delictum Denunciatum eſt facti permanentis ſic erit incipiendus proceſſus &c.

In nomine Domini. Amen.

DIe &c. In Conventu &c. Coram Adm. R. P. Provinciali præſentata fuit quædam Denunciatio contra f. N. de N. &c. quæ incipit &c. & deſinit &c. Ideò plurimum de integritate P. N. &c. confiſus ipſum ſibi in Actuarium elegit &c. ut ſupra.

Decrevitque prout præſenti Decreto decernit ante omnia inquirere de corpore delicti. In quorum fidem &c. *Subſcriptiones ſolitæ.*

Forma reducendi in Actis corpus delicti habetur ſupra in praxi.

Si verò delictum eſt facti tranſeuntis facta recognitione Denunciationis, erit poſtea deveniendum ad examen teſtium.

Denunciatio facta per litteras miſſivas.

§. 4. CÙm Adm. R. Patri Provinciali &c. miſſæ fuerit duæ Epiſtolæ à fratre N. in quibus denunciabatur, quòd f. N. &c. ſuſpectum conſortium haberet cum quadam muliere laborante malæ famæ, eſſentque ſcriptæ, & ſubſcriptæ manu ipſius, ut credebatur; quarum prima incipit &c. & deſinit &c. ſecunda verò incipit &c. & deſinit. Volens ipſe P. N. &c. malis inſurgentibus, quantum in ſe eſt obviare, ac ritè, rectèque in hac cauſa, ſeù cauſis procedere ſibi in Actuarium elegit P. N. &c. de ſecreto, & fidelitate &c. cui exhibēs dictas litteras juſſit eas in Actis reponi, & inſeri, prout inſertæ fuerunt, ſignatæ lit. A. e B. & decrevit, prout præſenti Decreto decernit accedere ad Conventum N., ibique Tribunali erecto ad recognitionem dictarum litterarum devenire, de hac cauſa, ſeù cauſis inquirere, & alia præſtare, quæ de Iure noverit eſſe præſtanda. Acta ſunt hæc &c.

Subſcriptiones &c.

Examen Scriptoris.

DIe .... In Conventu &c. Cùm perveniſſet Adm. R. P. &c. in eodem Conventu primo ad ſe vocare fecit f. N. ſcriptorem ſupradictarum litterarum ætatis ſuæ annorum .... Religionis verò .... Et præſtito ei juramento, prout etc. eum interrogavit. An ſciat cauſam ſuæ vocationis? Si ſcripſit ipſi Superiori litteras, et quas. Si fecit illas ab aliis ſcribere. Si recordatur materiæ contentæ in illis. *Si reſpondit Ità Pater.* Dictum eſt illis, ut explicet tenorem dictarum litterarum. *Si reſpondit non.*

Inter. An in illis detulit querelam contra aliquem, quæ, & qua de re.

Quid

Quid movit illum ad ſcribendum. Si ſciat alios ſcripſiſſe, vel conſcios eſſe. Quomodo id ſciat. An cognoſceret litteras à ſe ſcriptas?

Tunc P. N. &c. juſſit ipſi tradi, & oſtendi litteras, quibus traditis & benè, ac diligenter conſideratis, & lectis, poſtea illum interrogavit.

An illæ ſint litteræ à ſe ſcriptæ: Si totum in illis expoſitum ſit verum.

An illum contra quem ſcripſit priùs charitativè admonuit. *Si non.*

Quare non corripuerit? Si cum illo unquam habuit rixam, vel contentionem. Si illum admonuit. Coràm quibus &c.

Si non nominavit teſtes talis criminis, formetur Decretum ut ſupra §.2.

Si is, non recognovit litteras à ſe ſcriptas, ſic erit proſequendum.

Videns P. N. &c. quòd frater N. non recognovit litteras, ut à ſe ſcriptas, immò potiùs proteſtatus eſt, ſe nihil omninò ſcire, generalem Inquiſitionem inſtituere decrevit de talium litterarium ſcriptore: quare hac die .... &c. in Conventu &c. vocatus fuit P. N. Sacerdos ætatis ſuæ annorum .... Religionis vero .... & præſtito ei juramento de veritate dicenda, prout juravit tacto pectore more Sacerdotali ad opportunas interrogationes reſpondit, ut infra.

Interrogatus. An ſciat cauſam ſuæ vocationis, & præſentis examinis? An ſciat aliquem ſcripſiſſe ad Superiorem quærelas contra P. N. An habeat notam manum Religioſorum in hoc Conventu degentium. Tunc P. N. &c. juſſit tradi ei dictas litteras, quibus acceptatis ac diligenter perluſtratis, & conſideratis, fuit Interrogatus An ſciat, cujus manus ſit ille character, vel quis eas ſcripſerit. Si poſſit imaginari earumdem Scriptorem. *Et alia interrogatoria faciet prout reſponſiones, & prudentia dictabit, & ſic examinandi erunt ſaltem alij duo Patres, qui ſi nihil deponant ad favorem fiſci, cauſa erit terminanda ſequenti Decreto.*

Die .... &c. in Conventu &c. Cùm per diligentem inquiſitionem nos P.N. Provincialis reperiſſemus vanè, & ſine fundamento P. N. infamia reſperſum de prædictarum litterarum ſcriptura, ut in Actis appareat: Idcircò ipſum innocentem judicavimus de objectis, prout præſenti Decreto judicamus, & abſolvimus ab inſtantia Iudicii. Datum &c. *Subſcriptiones.*

Quoniam non raròaccidit, quòd Denunciatio ſit inſerta in aliqua Epiſtola, Iudex in tali caſu debet procedere juxta tradita in noſtris Statutis in 1. ſubſtant. n. mihi 87., nempè

§. 5. In nomine Domini. Amen. Die .... &c. in Conventu &c. Cùm præterito proximo Ordinario per poſtam ordinariam (*ſi aliter fuerit, aliter narretur*) deveniſſet ad manus Adm. R. P. N. Provincialis &c. quædam Epiſtola quæ incipit &c. & definit &c. & in eadem Epiſtola quamdam Denunciationem contra f.N., quę & ipſa incipit &c. deſinit &c. Prædictus P. N. de N. &c. ut ritè procederet ſibi in Actuarium elegit P. N. de N. &c. de ſecreto &c. & exhibens dictam Epiſtolam juſſit eam una cum Denunciatione reponi, & inſeri in Actis prout inſerta fuit, ſignata lit. A. & B. Et decrevit prout præſenti Decreto decernit ad recognitione illarum devenire, et alia præſtare, quæ de Iure noverit præſtanda. In quorum fidem &c.

Ità eſt f. N. Provincialis. Ego f. N. Actuarius &c.

Reco-

Recognitio erit facienda ut ſupra in §. 4. *mutatis mutandis. Si verò Denunciator perſonaliter præſentavit Denunciationem. Sic erit examinandus.*

§. 6. Die etc. in Conventu etc. Coram Adm. R. P. N. etc. vocatus fuit P. N. de N. etc. Denunciator ætatis ſuæ annorum . . . Religionis verò . . . & delato ei juramento de veritate dicenda prout juravit tacto pectore more Sacerdotali ad opportunas interrogationes reſpondit ut infra.

Inter. Undè ſciat ea, quæ denunciavit? An ea viderit, vel audierit? A quibus? An perſonæ à quibus dicit audiviſſe ſint fide digni? Quo tempore vidit, vel audierit? quo loco? quibus præſentibus? In quo loco erat ipſe quando vidit? An diutiùs diſtulerit denunciationem? quare diſtulit? An delictum ſit publicum, vel ſecretum? An habeat cum denunciato, vel habuerit litem, rixam, & inimicitiam, & qua de cauſa? An fraternaliter correxit? quibus præſentibus. *& ſi non correxit.* quare non correxit? An ſit ſolitus ſimilia facere? An ſit bonæ, vel malæ famæ? An fuerit aliàs inquiſitus, vel ab alijs correptus etc. *& alia ſimilia interrogatoria. Et tandem.* An ea, quæ depoſuit, pro veritate depoſuerit?

Tunc P. N. etc. mandavit, ut denuncianti oſtenderetur, & diſtinctè legeretur denunciatio prout illi lecta fuit.

Inter. An iſta ſit ejus Denunciatio? An velit aliud addere, vel minuere ad ea, quæ dixit, & denunciavit? Et relectum confirmavit, & propria manu ſubſcripſit etc. *Subſcriptiones ſolitæ.*

Examinato Denunciatore Iudex debet procedere ad recognitionem corporis delicti ſi eſt facti permanentis. Si verò eſt facti tranſeuntis ad examen teſtium formato primò decreto pro examine teſtium, ut infra.

Attentis ſupraſcriptis cùm plenè conſtet in Actis requiſita ad Iuridicam denunciationem ſpectantia. Adm. R. P. Iudex juſſit illam inſeri in Actis (*ſi non fuit inſerta*) prout inſerta fuit, eamque admiſit ſi, & in quantum. Et volens debitè ſuo officio ſatisfacere decrevit prout præſenti decreto decernit in cauſa, & cauſis procedere, informationes ſumendo, teſtes examinando, & alia præſtando, quæ de jure noverit eſſe facienda. In quorum fidem. Acta ſunt hæc die &c.

Ita eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Et quia aliquando accidit, quòd Denunciator pœnitet de Denunciatione facta, ſi illam vult revocare poterit uti ſequenti forma.

Forma revocationis.

§. 7. DIe &c. In Conventu &c. Ego infraſcriptus Coram Adm. R. P. N. Provinciali &c. me declaro de contentis in Denunciatione à me præſentata contra f. N. &c. non habere certam ſcientiam, ſed ſolùm me inconſideratè locutum fuiſſe de auditu alieno; & exiſtimans dictum fratrem N. probum Religioſum, modò denunciata vera eſſe non credo, & ideò dictam denunciationem ſpontè, & ex conſcientiæ impulſu revoco, rogans, ut habeatur pro non data. Et in fide præſentem ſcripſi, & ſubſcripſi. Ego f. N. de N. &c. manu propria.

Forma

Forma Denunciationis ad proſequendam propriam injuriam.

§. 8. CORam P. Adm. R. N. Provinciali &c. comparet perſonaliter F. N. de N. non eidemque per modum denunciationis exponit, qualiter P. N. de N. non ceſſat ipſius famam denigrare, in hoc, & hoc (*explica*) cujus rei teſtes ſunt P.N. & P. N., & cùm ſæpè illum admonuerit, ut ab hujuſmodi calumniis abſtineret, non tamen deſtitit, immò ſemper in deteriùs prolapſus eſt. Quapropter eundem denunciat juridicè P. V. Adm. R. non odio, ſed zelo non minus proprii honoris, & bonæ famæ, quàm ſalutis ipſius Fratris detractoris ductus, ut, ſcilicèt, eius ſaluti conſulatur, & propria fama ſibi reſtituatur: Datum &c.

Ego f. N. de N. &c. denuncio ut ſupra.

Prudens Iudex in hoc caſu debet priùs vocare Denunciatum, & ſi ab ipſo obtinet famæ reſtitutionem, ulteriùs non procedat: quia in hoc modo ſufficienter, ac civiliter fuit proviſum; Si ille reſtituere non vult, tunc criminaliter inſtituat informationem, ut ſupra, niſi vellet ex denunciatione, ſibi viam ad judicium aperiente, procedere ex officio, in quo caſu formabit Decretum ut infra.

Quoniam ex denunciatione coram nobis præſentata die... à f. N. de N. contra P. N. &c. innotuit crimen injuriarum, & detractionum contra dictum f. N., idcircò nè delicta impunita remaneant contra illum decrevimus ex officio procedere, reproducendo omnia, quæ contra illum producta, ac probata ſunt in priori Iudicio denunciationis. Datum in Conventu N. &c. hac die &c.

Subſcriptiones ſolitæ.

Forma incipiendi proceſſum, quando non conſtat neque de delicto, neque de delinquente. Praxis II.

QUia poteſt dari caſus, in quo quis denunciet Iudici aliquod delictum non cõſtando, neque de delicto, neque de delinquente, niſi per ipſummet qui damnum eſt paſſus; ideò in tali caſu Iudex uti poterit ſequenti forma.*

§. 1. In nomine Domini. Amen. Die &c. Coram Adm. R. P. N. &c. comparuit P. N. de N. &c. eique denunciavit, quòd cùm haberet quaſdam ſibi à nobili viro in depoſitum datas pecunias, vel alia prætioſa mobilia, clave ficta, nullo commiſſi criminis veſtigio, (*vel ſi adeſt veſtigium exprimatur*) ex cella fuerunt ſublata, ignorat tamen furem. (vel nullo præſente altera nocte à quodam Religioſo ſibi ignoto fuit agreſſus, & malè, ſine livore tamen, & cicatrice, vel cum livore, & cicatrice percuſſus, & verberatus fuit &c. De quibus, ut fiat Inquiſitio obnixè, atque inſtanter poſtulat P. V. Adm. R. ut ſceleris patrator agnitus, & ſublatas pecunias reſtituat, & pœnas debitas luat. Sicque inſtat, & denunciat, non ſolum hoc, ſed & omni meliori modo &c. Ego f. N. denuncio ut ſupra.

Acceptata tali denunciatione ab Adm. R. P. N. &c. ſi, & in quantum, delatoque juramento eidem f. N. denuncianti ſuper veritate dicti furti pecuniarum &c. vel ſuper veritate percuſſionis prout juravit &c. decrevit inquirere, & examinare priùs

Teſtes ſuper bona fama & opinione ipſius Denunciantis, ut clarè appareat in Actis an illi ſit adhibenda fides, nec nè; & an ſi formiter reijcienda, vel acceptanda ſit ejus Denunciatio. His de cauſis electo ſibi in Actuario P. N. de N de ſecreto, & fidelitate jurato, juſſit vocari in Teſtem P. N. &c. prout de facto vocatus fuit, & delato ei juramento de veritate dicenda, prout juravit tacto pectore &c. ad opportunas interrogationes ℞. ut infra.

Inter. An P. N. de N. (*ſcilicèt Denunciantem*) cognoſcat? Cujus opiniones ſit apud ſe, & apud alios? An ſit verax, vel potiùs mendaciorum fictor? An credat illum pecunias in depoſitum habuiſſe, vel res mobiles? Et quare? An de præſenti illa habeat, & quare non habeat? An credat illa ei furto ſublata fuiſſe? Quare ita credat? An poſſit imaginari, quis illas furavit &c. *Et ſimilia interrogatoria faciet ſuper percuſſione, vel alia qualitate delicti. Et ſic probata fama ſaltem per duos alios teſtes, Iudex procedere debet ut infra.*

Die &c. In Conventu &c. & coram eodem Patre N. &c. iterùm vocatus P. N. denunciator, & delato ei Iuramento &c. Inter. An verè talia ſibi fuerunt ſublata? Vel an verè fuerit percuſſus? Quem credat abſtuliſſe, vel percuſſiſſe? Quare ità credat? Deponat indicia, et teſtes veriſimiliter informatos &c.

Deindè examinet Teſtes, & ſi aliquem indiciatum reperiat, poterit contra illum ſpecialiter inquirere, poterit etiam ſuper ſublatis rebus cenſuram ferre ad effectum revelationis, & prohibere abſolutionem, & cætera facere, quæ fieri ſolent inter Religioſos in ſimilibus cauſis, & ſi nullum indicium reperiatur, habeat Actor patientiam. Si verò furtum ſit V. G. de aliqua re ad uſum Conventus, apertaque janua e.g. Sacriſtiæ, & indè furto ſublatis calicibus cum fractione armarii, Iudex debet ita ſe gerere, & in Actis viſitationem loci redigere.

Die &c. in Conventu &c. Volens Adm. R. P. N. &c. rectè, & Iuridicè procedere, & ea ſervare, quæ de Iure ſunt ſervanda, cùm ex his, quæ habet in Actis conſtet januam Sacriſtiæ fuiſſe vi apertam, acceſſit una mecum Actuario ad dictam Sacriſtiam ſituatam in tali loco, & invenit cùm benè perluſtraſſet januam prædictæ Sacriſtiæ, ut apparet ex fractione, fuiſſe vi apertam, & cùm ingreſſus fuiſſet, invenit armarium, in quo Calices argenteos reſervantur, fractum, ex quo, ut dicitur, fuerunt dicti calices ſublati: quare volens melius informari, mandavit coram ſe vocari f. N. de N. Clericum, & hujus Conventus N. Sacriſtam &c.

Ita eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Eodem die, & loco Vocatus coram prædicto P. N. &c. exiſtente in camera ſuæ ſolitæ reſidentiæ dictus f. N. Sacriſta ætatis ſuæ annorum . . . . Religionis verò . . . . & dato ei juramento de veritate dicenda prout juravit tactis ſacris Scripturis ad opportuna interrogatoria ℞. ut infra.

Inter. Quodnam ſit ejus officium in Conventu? An ſemper ſecum habuerit claves Sacriſtiæ, ita quòd nullus abſque ſuo ſcitu, et præſentia ingredi poſſet in Sacriſtiam? An janua dictæ Sacriſtiæ ſit firma, et bene munita? An in dicta Sacriſtia ſint omnes calices, eidem conſignati? Quomodo ſciat fuiſſe ſublatos? Quomodo ſciat januam Sacriſtiæ fuiſſe vi apertam, et armarium fractum? Quo die, menſe, & hora cognovit dictam fractionem, & furtum in ea factum? An ſciat quinam

fuerint

fuerint, vel imaginetur, qui calices abſtulerit? Quomodo ſciat, vel imaginetur dictum f. N. calices abſtuliſſe? *Facietque Iudex alia interrogatoria, prout videbitur ei neceſſarium, & prudentia dictabit, & tandem claudat examen.*
Et cùm nihil aliud poſſet haberi, dimiſſum fuit examen animo tamen &c. Et relectum confirmavit, & propria manu ſubſcripſit &c. *Subſcriptiones.*

Forma incipiendi proceſſum contra Denunciatum in Viſitatione Generali. Praxis III.

§. 1. IN nomine Domini. Amen. Die &c. In Conventu &c. Cùm in decurſu Viſitationis Generalis hujus Provinciæ, ſeù Conventus etc. porrecta fuerit Adm. R. P. N. etc. à f. N. de N. etc. quædam Denunciatio, quæ incipit etc. et deſinit etc. contra f. N. etc. de tali crimine etc. *explica*, audito ipſo Denunciante, eique delato juramento de veritate dicenda prout iuravit etc. præmiſſaque monitione ad opportunas interrogationes, reſpondit ut infra.
Inter. quo motu, vel qua de cauſa dictum f. N. denunciavit. ℟. etc. *Et alia interrogatoria faciet ut ſupra in 1. praxis §. 6. & poſtea.*
His auditis Adm. R. P. etc. hujuſmodi Denunciationem ſi, et in quantum debet, acceptavit, et per me f. N. etc. Actuarium ad hoc ſpecialiter electum, ac de fidelitate, et ſecreto juratum, fuit acceptata, et in Actis inſerta: Et volens ad ulteriora procedere, atque ſuo muneri ſatisfacere, decrevit, prout præſenti Decreto decernit contra f. N. denunciatum ſpecialiter inquirere Teſtes examinare et cætera, quæ ſunt de Iure peragere. Non ſolùm hoc etc. *Subſcriptiones.*
Si delictum eſt facti permanentis, ſic erit proſequendum.
§. 2. Die etc. in Conventu etc. Coràm Adm. R. P. N. etc. præſentata fuit ſupradicta Denunciatio, nec inquirendum ſit in delicto facti permanentis, niſi priùs conſtet de corpore delicti. Ideò ut Iuridicè procedatur, decrevit, prout præſenti Decreto decernit, priùs de corpore delicti inquirere, et poſtea, quæ alia ſunt de Iure peragere. In quorum fidem etc. *Subſcriptiones.*
Probato corpore delicti, & in Actis regiſtrato ut ſupra, ſic procedet.
Cùm ex ſupradictis plenè conſtet in Actis de corpore delicti, volens P. N. etc. Iudex ad ulteriora procedere ſupradictam Denunciationem admiſit ſi, et in quantum etc. decrevitque prout præſenti Decreto decernit in cauſa, et cauſis procedere, Teſtes examinare, Informationes ſumere, et alia, quæ de Iure noverit præſtare.
In quorum fidem etc. *Subſcriptiones.*

Forma incipiendi hujuſmodi proceſſum per Iudicem Delegatum. Praxis IV.

§. 1. IN nomine Domini. Amen. Cùm nuper per poſtam Ordinariam ab Adm. R. P. N. etc. P. N. de N. accepiſſet litteras patentes Commiſſionales, quæ

 poſt

poſt titulum incipiunt &c. & deſinunt &c. cum ſubſcriptione propriæ manus ejuſdem P. N. &c. ſigilloque ſuo ordinario munitas, una ſimul cum quadam Denunciatione, quæ incipit &c. & deſinit &c. ut latiùs in ipſiſmet litteris patentibus, quæ cum eadem Denunciatione hîc in fronte apponuntur ſignatæ litteris A. e B., apparet ad quas &c. Virtute quarum præfatus P. N. &c. in cauſa, & cauſis contra f. N. de N. Commiſſarius, et Iudex delegatus inſtituitur. Qua propter volens P. N. de N. Adm. R. Patri N. etc. ut par eſt parere, & commiſſum ſibi munus pro viribus adimplere, tenore præſentis Decreti decrevit, prout de facto decernit, et determinat publicare, manifeſtamque facere ſuam Cómiſſionem, ſicuti revera publicavit in hoc Conventu N., ac poſtea proceſſum inſtituere, Denunciatorem, et Teſtes tàm Regulares, quàm Seculares, ſi opus fuerit, examinare, et omnia alia, quæ ſibi tamquam Commiſſario, et Iudice Delegato in cauſa, et cauſis contra præfatum N. etc. uſque ad ſententiam diffinitivam incluſivè, *vel excluſivè*, prout de Iure ſibi competere videbitur, proſequi, et perficere. Et quia de idoneitate, ſufficientia, et fidelitate P. N. de N. etc. plurimum confidit, ipſum ſibi in Actuarium inſtituere, et eligere decrevit, prout de facto inſtituit, ſervata ſibi tamen poteſtate illum mutandi toties, quoties opus fuerit. Sicque decrevit, et determinat non ſolum hoc, ſed et omni etc. Datum in Conventu N. die . . . .

Ita eſt f. N. Commiſſarius Delegatus. Ego f. N. Actuarius.

Deindè procedet ad examen Denunciantis, & ad recognitionem Denunciationis, & corporis delicti ſi eſt facti permanentis, vel ad examen Teſtium, ſi eſt facti tranſeuntis, & alia præſtabit juxta praxes ſuperiùs traditas.

§. 2. *Forma autenticandi aliquam copiam extractam à ſuo originali.*

DE mandato Adm. R. P. N. Commiſſarii &c. deſumpta, & extracta fuit præſens copia à ſuis originalibus, & cum eis pariter collationata per me Actuarium infraſcriptum ad hoc ſpecialiter electum, *ſi non eſt ordinarius Actuarius* ad præſentiam Teſtium infraſcriptorum, & quia inventa eſt in omnibus concordare cum ſuis originalibus; Ideò in præmiſſorum fidem, hic me una cum teſtibus ſubſcripſi, & ſigillo ſoliti officii munivi. Datum in Conventu N. &c. die ... &c.

Subſcriptiones.

De modo procedendi per viam Accuſationis; & de ejus legitimis conditionibus. Regula prima.

§. 1. ACcuſatio eſt delatio criminis ante Iudicem competentem ad delinquentis punitionem in ſui, vel Religionis vindictam à legitimo accuſatore propter bonum publicum inſtituta. Ad hoc autem ut ſit legitima ſex conditiones requiruntur; Quarum prima eſt, quòd Accuſatio fieri debet in ſcriptis, quamvis hodie uſu receptum ſit, ut ea quoque verbo tenus fieri poſſit, dummodo Actuarius eam confeſtim in ſcriptis redigat. Secunda, quòd in ea nomina Accuſatoris, & Accuſati exprimantur. Tertia, quòd in accuſatione explicetur etiam nomen Iu-

dicis,

dicis, ut appareat judicium ſub Iudice competenti inchoari. Quarta, quòd in Accuſatione explicetur quoque ſpecies delicti, ac præterea locus, & tempus, nempè, Annus, & menſis, quo delictum commiſſum fuit. Quinta, ut in ea ſit Accuſatoris reſcriptio, qua ſe Accuſator ad pœnam talionis ſubeundam obliget. Sexta, ut in omni accuſatione dies, menſis, & annus exprimantur, quibus primo Accuſatio intentatur. Et poteſt cogi Accuſator à Reo, ut etiam diem ponat commiſſi delicti, quando in accuſatione non poſuit. Et ſi in eorum ſigillatim probatione deficiat condemnari debet. Quapropter ad hæc & alia accuſationis incommoda vitanda ſolet Accuſator clauſulam in libello apponere, qua proteſtatur ſe nullatenùs ad alia, pręterquam ad ea, quæ in Accuſatione neceſſaria, & principalia ſunt, probanda velle obligari.

§. 2. Legitimus Accuſator cenſendus eſt ille, qui legibus accuſare non prohibetur; & inhabilis ad denunciandum judicialiter multò magis redditur inhabilis ad accuſandum. Et præter recenſitos ſupra, quando agimus de denunciatore idoneo *reg.* 1. §. 1. Alienigena inſuper ab accuſando repellitur: ſi quidem neceſſe eſt Accuſatorem, & Accuſatum eidem Iudici eſſe ſubjectos, ità quòd ſi Accuſator in probationem defecerit pœna talionis puniri queat. Accuſatus, ſicuti etiam Denunciatus poteſt ſuum accuſatorem, vel Denunciatorem, ac etiam extraneum accuſare, vel Denunciare de majori crimine dummodo nomen eius non ſit receptum inter Reos, & quando eſt receptum inter reos ſolum poteſt reaccuſare de majori crimine præjudiciali, dummodq; concurrant hæc duo, quòd, ſcilicèt, ſit majus crimen, & quòd ſit præjudiciale: ut v. g. tu me accuſas, quòd percuſſi Petrum die 2. Aprilis: & ego te accuſo, quòd eum occidiſti prima die Aprilis. De pari autem, vel de minori crimine non poteſt reaccuſare, niſi ſuam, aut ſuorum proſequatur injuriam. Et in tali caſu recipienda eſt utraque accuſatio, & ſuper utramque accuſationem procedere, uſquequo detegatur quis ſit Reus. Si res eſt dubia citentur ambo, ſi clara patet innocentia unius omittitur quærela innocentis, & proſequitur quærela Rei: & ità eſt etiam faciendum, ſi detegatur accuſatio calumnioſa. Accuſatus non poteſt reaccuſare accuſatorem de calumnioſa accuſatione ei collata, ſed debet inſtare, ut Iudex illum puniat; de calumnia Accuſatus, et condemnatus non poteſt de Iure Canonico reaccuſare ſuum accuſatorem, quia præſupponitur inimicus, niſi reaccuſatio ſit ad defenſionem ſui.

§. 3. Advertendum tamen eſt, quòd etiam ſupra adnotavi in tractatu de denunciatione, quòd licèt de Iure ſupranominati in dicto tractatu §. 1. repellantur etiam ab accuſatione; attamen quia Regulares non tenentur ad apices Iuris, idcircò Iudex Regularis illos, ſi cauſa id expoſcat re ipſa maturè conſiderata tanquam habiles, et idoneos ad accuſandum admittere poteſt. Quòd tamen facilè, et abſque conſilio præſtandum non eſt, nè amplior via, quam par eſt Accuſatoribus ſternatur, præſertim apud Regulares, quibus accuſationis via, præterquam in criminibus exceptis, in quibus omnes accuſare tenentur intercluſa eſſe debet, ut re ipſa mundo, ac temporalibus damnis ſe mortuos oſtendant. Et præcipuè contra Prælatos, ac inſignes perſonas, quales ſunt Patres Provinciarum, Generales, ac inſigniſſimi Prædicatores non ſunt recipiendæ accuſationes, niſi à perſonis, de quorum zelo non

poſſit

poſſit dubitari; quarumquè vita omninò laudabilis exiſtimetur; ut maturè Sacri Canones decreverunt. *c. ſi qui ſunt. & c. quærentum 2. q. 7. Clar. q. 74. & ſignanter D. Th. 2. 2. q. 68. a. 1. ad 2. Sot. l. 5. de juſt. q. 1. a. 1.* Sicuti etiam accuſatio de crimine in genere, et non expreſſo accuſatoris nomine nullo modo eſt recipienda.

§. 4. Accuſans aliàs accuſatum, de iis, quæ tamquam falſa jam rejecta fuerunt, niſi ad novas probationes ſe obligaverit, non eſt audiendus, ſed talionis pœna plectendus eſt. Si verò ſe obligavit ad novas probationes, & poſtea in illis deficiat, eam pœnam ſubeat, quæ Reo deberetur, ſi legitimè probaſſet. *Gloſ. fin. in fin. de accuſat. & Alex. ibid. Feler. in prat. crim. fol. 50. n. 50.* Accuſatio de crimine in genere, ut diximus, & non expreſſo accuſatoris nomine, nullo modo recipienda eſt; ſed ea ſolùm, qua delictum in numero, cum loci, perſonarum, & temporis circumſtantiis offertur, ut poſſit & reus ſe tueri, & actor ſi non probaverit, pœnam talionis ſubire. Accuſans de pluribus criminibus, niſi expreſsè ſe obliget ad probandum omnia, ſi unum, vel alterum de objectis probaverit, à talionis pœna liber exiſtet. *Abb. in c. licèt de probat. caſ. cum Eccleſia Sutrina de cauſ. poſſeſſ. & prop.* Sicuti etiam ab eadem pœna ſe eximet ille accuſator, qui ſemiplenè probaverit delictum oppoſitum per unum Teſtem omni exceptione majorem, vel infamiã; vel id ſe audiſſe à viris fide dignis, niſi reus plenè ſuam probaret innocentiam, quia in tali caſu minori aliqua, & arbitraria pœna accuſator plectendus eſſet.

§. 5. Qui alium accuſavit, & ejus accuſatio recepta fuit; à proſequenda accuſatione ſine Superioris auctoritate, ac Rei conſenſu recedere non poteſt, & præcipuè ſi ipſe Reus ex accuſatione fuit infamatus, aut tormentis ſubjectus, quòd ſi retrocedat punitur pœna extraordinaria arbitrio Iudicis. Denique ubicumquè agitur de injuria partis poſt litis conteſtationem, nemini licet abſque auctoritate Iudicis, & Rei conſenſu ab accuſatione deſiſtere, præſertim ſi punitio Rei ſit Religioni neceſſaria, & Reus ex accuſatione infamiam contraxerit. Poteſt tamen in aliquo caſu Accuſator à propria accuſatione recedere. Primò in cauſa propria, quotiès, ſcilicèt, propriam injuriam in judicio proſequitur; quia poteſt juri ſuo cedere, cum licentia tamen Iudicis ſi cauſa eſt cepta, & Rei, ſi fuit tormentis ſubjectus, vel ex accuſatione infamatus. Secundò quando initio accuſationis putavit ſe bona fide aliquem accuſaſſe, & poſtea in proceſſu videt ſuum errorem, & deceptum fuiſſe vel à teſtibus, vel ab aliis. Aut ſi res illi incipit eſſe dubia, vel ſi animadvertit crimen probare non poſſe, tunc enim deſiſtere poteſt, nè calumniam proſequatur. Et idem dic, ſi certò videt Iudicem non eſſe juſtè Iudicaturum. Tertiò propter metum cadentem in conſtantem virum. Et ſi accuſator, aliter quàm par eſt, deſiſtat, poteſt Iudex procedere per Inquiſitionem. *Farin. q. 4. n. 32. Baiar. q. 51. n. 20.*

§. 6. Poteſt etiam Princeps ſeù Generalis ſua auctoritate in principio accuſationem repellere; aut admiſſam poſteà abolere juſta de cauſa; putà, ſi in ea eminentem aliquam perſonam accuſari perſpiciat, quæ vel abſque ingenti Religionis perturbatione puniri non poteſt, vel publico Religionis bono maximè utilis, & neceſſaria cenſetur. Iudex autem inferior non poteſt id facere, niſi ex epicheia, ſi non ſit recurſus ad Principem ſupremum; Et etiam in hoc caſu ſi videt, quòd acceptando accuſatio-

cuſationem, vel acceptatam non reſcindendo, majus damnum Religionis, quàm utilitas poteſt evenire, poterit non acceptare, & acceptatam reſcindere. *Caet. 2. 2. q. 68. a. 3. ad 3. Leſſ. de juſt. lib. 2. cap. 30. num. 15. Rodriq. tom. 2. qq. regul. 43. a. 5.* Communior tamen opinio eſt, quòd Iudex inferior poſt admiſſam accuſationem non poſſit propria auctoritate abolere, benè poterit eam ſuſpendere, & diſſimulare, ac interim Principem, ſeù P. Generalem admonere, qui eam penitùs ſua auctoritate valet reſcindere. *Card. de Lug. tom. 2. diſp. 37. ſect. 7. n. 34. Bover. in direct. c. 19. verſ. ipſam quoque.* Ubi ait, quòd Provincialis accuſationem admiſſam non poteſt propria auctoritate abolere inconſulto Generali; poteſt tamen ante acceptam accuſationem ob defectum in ea repertum, vel ob aliam juſtam cauſam reijcere, & tunc Actor ab accuſationem etiam deſiſtere poteſt etiamſi alioqui accuſare teneatur. *Idem Bover. ibid. c. 18. verſ. Poſtremò.*

Quomodo Judex in Accuſatione ſe gerere debeat. Reg. 11.

§. 1. IUdex Regularis antequam ex Accuſatione ad Iudicium procedat, cùm primò oblatam ſibi accuſationem perſpexerit, diligenter & Accuſatoris, & accuſati perſonas conſideret. Non enim de facili admittere debet omnes accuſationes, & querimonias, nec ſtatim accuſatoribus credere; ſed videre debet, ſi factæ ſint per calumniam, aut per colluſionem, aut alium illicitum modum: & ſi Accuſatorem odio, vel livore, vel pravo aliquo affectu ad accuſandum moveri, niſi propriam injuriam proſequatur, Accuſationem reijciat. Item conſideret An accuſator ſit habilis necnè ad accuſandum, & quando videt accuſatorem non eſſe idoneum, vel accuſationem non eſſe legitimam, poteſt ex officio repellere, parte etiam non opponente. *cap. indignum 3. q. 9. c. 1. de accuſat. Oldrad. conſ. 124. n. 1. Clar. q. 15. n. 1.* Sic enim malignis criminationibus, quæ in publicum Religionis damnum à vilibus interdum perſonis intentantur januam præcludi neceſſe eſt; ut decretum habetur *in cap. ſi qui ſunt. 2. q. 7. D. Th. 2. 2. q. 68. a. 1. ad 2. Clar. q. 74.*

§. 2. Ipſam quoque accuſationem accuratè inſpiciant, num vitium aliquod ſubſtantiale contineat? num accuſatoris inſcriptionem habeat, atque alia, quæ legitimæ accuſationi neceſſaria ſunt complectatur, & præcipuè, ut non ſit facta odio, vel alia perverſa intentione, ſed tantùm intuitu juſtitiæ: Item quòd delictum ſit probabile per duos teſtes; quia cùm per accuſationem attendatur punitio criminū, & illa puniri non poſſint, ſi non fuerint ad minus per duos teſtes probata; qui illa crimina accuſat, quæ per duos teſtes probare non poteſt, injuſtitiam committit; ideòque mortaliter peccat, cùm omnia peccata contra juſtitiam ex genere ſuo mortalia ſint. *D. Th. 2. 2. q. 70. a. 2.* Et tandem requiritur, ut delictum ſit ab accuſato verè commiſſum; alioqui accuſans calumniator erit. *cap. ſi quem 2. qu. 3. l. 1. ff. ad Senat. Conſul. Turpill.*

§. 3. Si verò Iudex legitimum eſſe accuſatorem, & accuſationem integram agnoverit, eam admittere debet, dummodo ab ipſo Accuſatore juramentum exigat,

gat, ſe non odio, aut livore, vel animo calumniandi accuſationem porrigere, ſed zelo juſtitiæ, & ad probandum ipſum obliget ſub pœna talionis. Undè antequam Actuarius in Actis accuſationem inſerat, ipſam talionis pœnam à Iudice Accuſatori proteſtari debet, niſi crimen probaverit, quæ pœna illi quoque Denunciatori intimari debet ex noſtro modo procedendi. *in 3. ſubſt. n. mihi* 118., qui in cauſa inſtigator depræhenditur. Et quia ſunt nonnulli, qui prætermittunt accuſationem, & tantùm denunciant nè teneantur ad pœnam talionis deficiendo in probatione, idcircò Iudex non debet talem denunciationem admittere, maximè ſi fuit porrecta contra virum in Religione eminentem, aut Prælatum magni nominis, ut alibi adnotavimus, contra iſtos enim accuſatio tantùm acceptanda eſt, quæ ad pœnam talionis Accuſatores obſtringat, ut rectè adnotavit *Roder. qq. regul. tom. 2. q. 6. a. 8.*

§. 4. Et iſta pœna talionis imponi debet ſecundùm analogiam, non ſecundùm æqualitatem, ſcilicèt, conſideratis qualitatibus accuſatoris, & accuſati, prout ſi Princeps homunculum infimæ plebis percutiat, non eſt juſtum, ut repercutiatur ipſe. Et è contra ſi plebeus percutiat Principem, non ſatis eſt, ut ipſe ſimili modo percutiatur; ſic à pari dicendum eſt de pœna talionis imponenda. Iudex enim debet conſiderare in tali impoſitione qualitates accuſantis, & accuſati: Undè ſi accuſans eſſet infimæ notæ vir, accuſatus verò eminentioris gradus, talis falsò accuſans non eſſet puniendus pœna ordinaria præſcripta crimini, ſed pœna multò majori, ut inquit Inciſa *tract. 6. c. 5. n. 3.* Et accuſator eò ipſo, quòd non probat propoſitam accuſationem, calumniare præſumitur. *c. cùm dilectus, & ibi Abbas n. 5. de calum. Borboſ. ibidem in collect. Doctor. n.* 16. & ideò poteſt condemnari.

§. 5. Non tamen poteſt de calumnia condemnari, niſi ſibi præfixo aliquo competenti termino ad deducendum, et probandum aliquam juſtam cauſam, ſi quam habet, quare non debeat de calumnia condemnari. *Clar. q. 62. n. 9. Beſſ. tit. de accuſat. n. 9.* Nec opus eſt novum conſtruere proceſſum pro tali condemnatione, cùm poſſit condemnari in eodem Iudicio, quo indebitè accuſatus abſolvitur. Oportet tamen abſolutoriam accuſati in ordine præcedere, et poſteà in eadem ſententia in uno contextu, non divertendo ad alia, accuſatorem de calumnia condemnare *Clar. ibid.* Et ſi ſententia ſequeretur non dato priùs termino prædicto erit nulla. Et ſi calumniator in eodem proceſſu, et ſententia dato priùs termino, non eſſet condemnatus, non per hoc eſſet abſolutus, ſed opus eſſet alia inſtantia, et alio proceſſu, et termino *Clar. ibid.*

§. 6. In delictis facti permanentis accuſatio non procedit, niſi poſtquam conſtiterit de corpore delicti; quapropter onus erit Accuſatoris omninò efficere, ut corpus delicti Iudici conſtet, et Iudex omnia ad idem corpus delicti ſpectantia adamuſſim in Actis conſtare curabit. Si verò delictum erit facti tranſeuntis, Iudex Teſtes ab Accuſatore productos diligenter examinare debet. Et ſi plura delicta Accuſator objiciat, pro uno quoque illorum probando teſtes aſſignare debet. Si Accuſator oretenus quærelam in Iudicio porrigit, Actuarius eam in Actis deſcribere debet, ſimul et nomina Teſtium, cognomina, Patriam, ætatem, gradum, ſtatum, et profeſſionem. Si verò in cedula porrigatur, cedula ipſa in proceſſu inſerenda erit juxta praxes inferiùs ponendas.

Et

Et tandem ſciat Iudex Regularis, quòd legitimo accuſatore comparente, non poteſt illius accuſationem reſpuere, ſed tenetur illam acceptare, & prout eſt de Iure procedere. Et in una accuſatione, non poſſunt plures accuſari, niſi plures ad idem delictum committendum concurrerint. De pluribus autem delictis, idem accuſari poteſt.

Forma Accuſationis. Praxis I.

SI Accuſator in ſcriptis porrigere vult ſuam Accuſationem, erit ſequentis tenoris.

Coram vobis Adm. R. P. N. &c. perſonaliter comparet f.N. de N., eique per modum accuſationis exponit, qualiter f.N. de N. ipſum accuſantem aggreſſus eſt ferro, & tentavit ipſum vulnerare, ſicuti de facto vulneraſſet, niſi celerimè in fugam ſe dediſſet, cujus rei Teſtes exhibet P. N. & P. N. &c., qui dictum f.N. ipſum aggredientem viderunt. Qua propter non odio, aut malevolentia ductus, ſed zelo tantùm juſtitiæ motus, & nè delicta impunita remaneant, ipſum accuſat ut ſupra, ac inſtat puniri omni meliori modo. Datum in Conventu N. &c. die .... &c.

Ego f. N. accuſo, ut ſupra.

Propoſitam Accuſationem, ſi Iudex acceptandam eſſe judicaverit, proceſſum incipiat hoc modo.

§. 2. In nomine Domini. Amen. Die &c. Coram Adm. R. P. N. &c. comparuit f. N. &c., & porrexit quamdam cedulam accuſatoriam contra f. N. de N. &c. cujus initium eſt &c. Finis verò &c. & inſtitit procedi contra dictum f. N. teſtes prout in cedula examinando. Quo audito Adm. R. P. N. etc. eidem fratri N. accuſanti proteſtatus eſt, illum teneri ad pœnam talionis ad probandum expoſita idcircò illum admonere voluit, ut rem maturè conſideret, cui admonitioni cùm dictus f. N. &c. reſpondiſſet, ſe ad omnia paratum fore, eidem mandavit, ut ſe ipſum ſubſcribat ad pœnam talionis, ſi in probatione defecerit, prout ſe ipſum ſubſcripſit.

Ego f. N. de N. &c. me ſubſcribo pœnæ talionis, ſi in probatione deficiens. Qua propter Præfatus P.N. Iudex &c. eidem juramentum præſtitit, quòd non animo calumniandi, talia depoſuit, prout tactis Sacris Scripturis, *vel tacto pectore &c.* juravit, quo juramento habito, Idem P. N. Iudex &c. Accuſationem acceptavit ſi, & in quantum &c. omni meliori modo &c. Et quia multum de integritate P. N. de N. &c. confidit, ipſum ſibi in Actuarium elegit de ſecreto, & fidelitate juratum, cum proteſtatione tamen illum mutandi &c. Acta ſunt hæc in Conventu N. &c. in cella ſolitæ reſidentiæ præfati P.N. &c. præſentibus P. N. P. N. &c. ad hoc ſpecialiter vocatis &c. *Subſcriptiones Iudicis Teſtium, & Actuarii.*

Si Accuſatio facta fuerit ore tenus Actuarius illicò in ſcriptis illam redigat ſequenti forma.

§. 3. Coram P. Admodum R. P. N. &c. comparuit perſonaliter f. N. de N. &c. & dixit.

Io P. M. R. moſſo dal zelo dell' honor di Dio, e non per mala volonta, ò per ven-

detta accuſo il P. N. da N. d'una prattica ſcandaloſa &c. acciò eſſendo caſtigato ſi emendi, e gli altri habbino timore, e dò per teſtimonii li P. N. da N. e P. N. da N. &c. li quali ſi ſono trovati preſenti, quando à me ne fù dato raguaglio, e fatto lamento dalli Signori N. & N. principali amorevoli della noſtra Religione per la troppa frequenza d'eſſo Padre in una caſa di donna ſoſpetta, e di mala fama preſſo tutti; e così accuſo, e faccio inſtanza in queſta, et in ogni altra miglior forma etc. Quem cùm audiſſet Adm. R. P. Iudex etc. monuit ipſum accuſatorem, ac ei præſtitit juramentum, quòd non animo calumniandi depoſuerit, prout juravit etc. ac ſe ipſum ad pœnam talionis ſubſcribere juſſit, ſi in probatione defecerit; et cum hac duplici cautione, accuſationem acceptavit ſi, et in quantum et ad procedendum in cauſa decrevit. Et quia multum de integritate etc. *reliqua ut ſupra in fine 2.§. Poſtea Accuſator ſe ſubſcribat ad pœnam talionis, deindè Iudex, Teſtes, & Actuarius.*

§. 4. *Forma decreti pro Recognitione Corporis delicti.*

DIe &c. in Conventu &c. Cùm præſentata fuerit ſupraſcripta Accuſatio per f. N. de N. &c. ut in Actis coram Adm. R. P. N. &c. ſuo muneri ſatisfacere volens idem R. P. N &c. decrevit, prout præſenti decreto decernit inquirere ante omnia de corpore delicti, & deindè reliqua præſtare, quæ de Iure præſtanda erunt; non ſolùm hoc &c.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius &c.

Deindè probato corpore delicti, modo quo ſupra deſcripto, ſic proſequitur.

Cùm plenè in Actis conſtet de corpore delicti, attentis ſupraſcriptis Adm. R. P. N. Iudex &c. juſſit præſentatam Accuſationem inſeri in Actis, prout de facto inſerta fuit per me Actuarium infraſcriptum, eamque admiſit ſi, & in quantum &c. Nec volens prætermittere, quòd debitè officio in ſuo competit; decrevit prout præſenti decreto decernit in cauſa, & cauſis procedere, informationes ſumere, Teſtes examinare, & alia præſtare, quæ de Iure præſtanda noverit, hoc & omni meliori modo &c. Datum in Conventu &c. die . . . . &c.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius &c.

Poſtea Iudex Teſtes ab Accuſatore productos, juxta formam in praxibus de Denunciatione, & Inquiſitione deſcriptam, examinet, eò excepto, quòd ubi dicitur in Teſtem vocatus, hìc erit dicendum in Teſtem productus. Et iſtis examinatis, ac illorum depoſitionibus diligenter conſideratis, ſi eos aut ſingulares, aut varios, aut diſcordes, aut nihil concludentes invenerit, Iudex Accuſatorem moneat, ut vel ab Accuſatione deſiſtat, aut alios Teſtes producat, ac interea à Rei conſtitutione ſe abſtineat. Si Accuſator deſtiterit, ac ſe ipſum Iudici humiliaverit, levi pœnitentia à Iudice corrigi poterit, & Accuſatus à Iudicio abſolvi. Si verò in Accuſatione perſiſtat, atque alios teſtes producat, qui examinati nihil pro Accuſatore concludant, pœna talionis erit plectendus, vel alia pœna extraordinaria, gravi, ut in poſterùm ab illegitimis Accuſationibus ſe abſtineat &c.

For-

Forma incipiendi proceſſum à Judice Delegato in Cauſa Accuſationis. Praxis II.

§. I. IN nomine Domini. Amen. Acceptatis per nos ab Adm.R. P.N. &c. Generali &c. litteris patentibus, & Commiſſionalibus una cum quadam cedula in forma Accuſationis Iudicialis contra, & adverſus certos Patres noſtros Fratres &c. in ea ſpecialiter nominatos de, & ſuper quibuſdam diffamationibus, ſeù criminibus Patri N. &c. Accuſatori valdè præjudicialibus, & falsò imputatis, & expreſſis in dicta cedula, ad quam habeatur relatio &c. Quæ quidem Commiſſio incipit &c. & deſinit &c. Accuſatio verò incipit &c. & deſinit &c. In qua Commiſſione nobis demandatur legitima compillatio proceſſus informativi, ac etiam deciſio, & terminatio Cauſæ, ſeù Cauſarum hujuſmodi per ſententiam incluſivè una cum annexis, & connexis &c. Quare nos tanquam filii obedientiæ mandatis prædictis obtemperare volentes Commiſſionem antedictam acceptamus, ac præſenti Decreto mandamus eamdem Commiſſionem, & Accuſationem inſeri in Actis præſentis Cauſæ &c. Et decernimus in Cauſa, & Cauſis prædictis, et nobis commiſſis procedere, Accuſatorem vocare, ut ſe ad pœnam talionis ſubſcribat, poſtea Teſtes ab ipſo productos formiter examinare, et alia prout de Iure præſtare omni meliori modo. Succeſſivèque pro executione nobis, ut ſupra mandatorum ex nunc eligimus in Actuarium P. N. de N. &c. de ſecreto, & fidelitate juratum, qui omnia actitanda in ſcriptis reducat, & fideliter excipiat, cum proteſtatione tamen eum mutandi toties, quoties opus fuerit. Acta ſunt hæc in Conventu N. die . . . . &c.

Subſcriptiones ſolitæ.

De modo procedendi per viam Articulorum Juratorum. Regula prima.

§. I. ISte modus procedendi per viam Articulorum, cùm ſit ſingularis, & merè Statutarius in noſtra Religione Capuccinorum non ſemper, & in quocumque delicto eſt adhibendus, ſed tantummodo in certis caſibus ab eodem Statuto permiſſis, in quibus, vel ob non tam gravem delicti qualitatem (quod ſi grave ſit delictum, & exceptuatum, melius erit per viam ordinariam, tela Iudiciaria ſervata procedere) vel ob aliam rationem contingit cauſas inchoare, vel proſequi, ſeù terminare, Iudiciaria tela nullatenùs ſervata, ſed per viam articulorum juratorum in ſcriptis redactorum de plano, ſummariè, ac ſine ſtrepitu, et figura Iudicii procedendo, et tunc eorum veritas habenda eſt medio Iuramento, vel præcepto S. obedientiæ: Et licèt in hoc modo procedendi prætermittantur omnes apices, et Iuris ſolemnitates, non tamen debent prætermitti Iura veritatem Iudicii tangentia: nec requiritur, ut formiter examinetur præſumptus Reus, aut quòd fiat litis conteſtatio, ſed ſufficit, ut Reus vocetur, dando illi copiam articulorum, ſuppreſſo no-

minè articulantis, vel culparum ex proceſſu reſultantium, ad hoc, ut ſub juramento reſpondeat. Et in hoc caſu articuli ſunt loco libelli, et ſi ſuper illis articulatus cum juramento reſpondit, lis intelligitur conteſtata. Præterea in tali modo procedendi excluditur examen ſuperfluum multorum teſtium, et ſufficit ipſis teſtibus legere articulos per extenſum, et ipſos interrogare, an ſint veri; nec nè abſque aliis ſingularibus interrogationibus; ſemper tamen cavendum eſt à ſuggeſtivis, et dare operam, quòd reddant rationem, vel adducant cauſam ſcientiæ, cum ſpecificatione tàm delicti, quàm indiciorum, et circunſtantiarum loci, temporis, et conteſtium. Teſtes etiam infames admittuntur, et omnes alii inhabiles de Iure poſitivo, cum infamia ſit de Iure poſitivo, dummodo non ſint condemnati, aut convicti de falſò, vel inimici capitales.

§. 2. Poteſt etiam Iudex ex vi ipſorummet Statutorum procedendo ordinariè, ſcilicèt, per Denunciationem, redire ad procedendum extraordinariè, nempè, per viam Articulorum, reducendo ipſammet Denunciationem ad formam Articulorum, & ſic ſummariè procedere, ante tamen litis conteſtationem, ſeù, ut Statuta dicunt, antequam Reus fuerit conſtitutus non autem poſtea, cum hac tamen reſtrictione, quòd rejecta Denunciatione, telam denuò per viam Articulorum incipiat. Undè Iudex in tali caſu combuſto vel rejecto proceſſu jam per viam Denunciationis incepto, debet denuò vocare Denunciatorem, & dare operam, quòd in Iudicio producat querelam, vel querelas per modum articulorum juratorum, & ſic nova tela incipere: Neque hoc eſt integrum Iudici, niſi ubi brevitas temporis non patitur, ut per viam Denunciationis procedatur: cùm omnis receſſus à Iure communi ſit odioſus, & ideò reſtringendus. *cap. 1. & 2. de fil. præsb. in 6. cum ſimil.* Et propterea Statuta omnia municipalia cùm recedant à Iure communi, reſtringi ſemper oportet, & ſtrictiſſimè ſunt intelligenda ut inquit Abb. *in ſuis conſ. conſ. 1.* Et ſic Iudices noſtri quantumvis Supremi non poſſunt ad ipſorum arbitrium recedere à via Ordinaria Iudiciali, & extraordinariè procedere per viam articulorum, niſi in caſibus à Statuto permiſſis, & cum rationabili cauſa, ſervatiſque conditionibus ibidem limitatis, cùm nequeant ſuam auctoritatem, in ea, quæ ſunt Iuris, & de Iure, ultra eiuſdem Statuti præſcriptum, extendere. Quòd cùm in hoc Iuri communi deroget, ſtrictiſſimè, ut diximus, intelligi debet, ut minus corrigat Ius commune, quàm ſit poſſibile. Undè cùm Statutum dicat *in 4. ſubſtant. n. mihi 184. Declaramus inſuper integrum eſſe Iudici prædictorum Articulorum modum adhibere etiam in proceſſu per viam Denunciationis inchoato, antequam Reus fuerit conſtitutus, non autem poſtea; rejecta tamen Denunciatione, telam denuò per viam articulorum incipiat; neque integrum ſit Iudici, niſi ubi brevitas temporis non permittitur, ut per viam Denunciationis procedat;* non erit integrum noſtris Iudicibus (ut quidam at equidem ſine fundamento, præſupponunt) adhibere talem modum procedendi etiam in cauſis per viam Inquiſitionis inceptis, & multò minus extrahere articulos ex proceſſu per viã Denunciationis inchoato, & illos tradere Reo, ut ſub juramento reſpondeat; quia cùm Statutum dicat eſſe tantùm integrum Iudici adhibere talem modum in proceſſu per viam Denunciationis inchoato, rejecta tamen Denunciatione, telam denuò per viam articulorum incipiat &c, & iſta verba

ſint

ſint intelligenda in propria ſignificatione, ac in potiori ſignificatu *l. 1. §. in perpetuum ff. ſi ager vectig. Grat. conſil. 85. nu. 4. & ſeqq. vol. 1. Simon. de Pret. conſil. 118. n. 9. & maximè in pœnalibus. Soc. Iun. conſ. 11. n. 12. lib. 1. Rimin. Iun. conſil. 743. vol. 7. Sim. de Pret. conſil. 191. n. 4. latè Menoch. caſ. 276. per totum. lib. 2.* non poſſunt ultra præſcriptum eiuſdem Statuti ſuam extendere (quam in hoc non habent) auctoritatem.

§. 3. Nec valet dicere, quòd talis inter Capuccinos invaluit conſuetudo; quia talis inter Capuccinos non admittitur, nec poteſt admitti conſuetudo; & quando irrepuiſſet, abuſus potiùs, quàm uſus, vel conſuetudinis nomen ſortiri diceretur; hac præſertim ratione, quia quòd non eſt permiſſum Statuto, multò minus conceditur conſuetudini; & ſi adeſſet talis conſuetudo in contrarium, non valeret; *ut poſt Alex. de Nevo in conſil. 60. firmat Bonac. com. opin. 1. part. verſ. indiciorum copia. Farin. q. 125. n. 17.* Quòd validiùs confirmatur, quando prætenſus Reus proteſtaretur verbo, vel ſcripto. Et proceſſus tali modo confectus erit nullus, & invalidus. *Clar. q. 4. num. 1. Rimin. Iun. conſ. 683. n. 14. vol. 6. Farin. conſ. 86 num. 56.*

Quomodo Judex ſe gerere debeat in procedendo per viam Articulorum Juratorum. Regula ſecunda.

§. 1. QUando igitur Iudex vult uti tali modo procedendi per viam articulorum, quòd tantùm permittitur ex eodem Statuto in gravioribus, non autem in graviſſimis delictis, debet non ſolùm animadvertere, quòd ſint jurati, & à perſonis fide dignis porrecti, ſed etiam de veritate eorum tenetur diligenter inquirere, & inveſtigare antequam procedat ſummariè contra aliquem. Clauſulæ autem iſtæ Summariè, ſimpliciter, de plano, ſine ſtrepitu, & figura Iudicii inſpecta ſola facti veritate; manu regia, & ſimilia, quibus utitur in modo procedendi per viam articulorum, tollunt omnes ſolemnitates Iuris poſitivi non tangentes veritatem facti; non tamen defenſiones, nec citationes Reorum ante condemnationem faciendam, & alia, quæ ſunt de Iure naturæ, ſcilicèt, tempus oportunum ad ſe defendendum, & etiam ſi petierint Conſiliarium.

§. 2. Iſte modus procedendi, ſicut eximit Reum vigore Statutorum noſtrorum à pœna ordinaria, & illum tantùm extraordinariæ ſubijcit ac etiam mitiori, non tamen Carceris, aut flagellationis, ſive alterius ſimilis incurrentis infamiam; talis apud nos non eſt pœna privationis, exilii à Provincia, Caparonis, & ſimilium, ad quas tamen nec Iudex devenire poteſt, niſi Articuli fuerint ſufficienter, et plenè probati. Sic etiam tollit appellationes ſaltim quoad effectum ſuſpenſivum, niſi manifeſtus exceſſus in pœna appareat, ut habetur in noſtro modo procedendi *loc. cit.* eò quòd ſit modus potiùs paternalis, quàm Iudicialis: et idcircò attentata per hunc modum procedendi, dummodo legitimè fiant, non revocantur.

§. 3. Et Iudex immediatè ab articulis porrectis, juratis tamen, incipere poteſt telam Iudiciariam; qui etiam oretenus dari poſſunt, dummodo in ſcriptis ad A-

ctuario redigantur; quibus probatis fieri poteſt Decretum condemnatorium, vocato tamen priùs Reo in Iudicium, & aſſignato ei termino ad ſuas defenſiones producendas, qui etiam brevior ei poteſt aſſignari. Lis intelligitur conteſtata in hoc modo procedendi, quando Reus cum juramento reſpondit in Iudicio ſivè negando, ſive affirmando. Et Iudex poteſt repetere, & iterùm examinare Teſtes poſt concluſum in Cauſa dummodo ſuper novis adductis, aut deductis Reus interrogetur, & aſſignetur tempus, ut reſpondere poſſit: Et in quocumque tempore etiam feriato procedere poteſt Iudex, dummodo ſententiam ferat in ſcriptis, quæ nomine Decreti, non autem ſententiæ publicare debet. Et cùm procedatur ſummariè non requiritur ſolemnitas ſedendi pro Tribunali, nec locus ſolitæ reſidentiæ, ſed in quocumque loco poteſt publicari duobus tamen Teſtibus unà ſimul cum Reo, & Conſiliario præſentibus, qui ſententiam ſeù Decretum ſubſcribant.

Forma procedendi per viam Articulorum.
Praxis prima.

§. 1. CUm in decurſu Viſitationis hujus Conventus N. &c. fuerint nobis f. N. de N. Provinciali &c. præſentata aliqua Capitula, ſeù Articuli ſcripti, & Iurati contra f. N. de N. noſtri Ordinis Laicum, quòd, ſcilicèt, contumelias graves, & enormes P. N. de N. objecerit, vel illum percutere minatus fuerit, (*vel ſi eſt aliud delictum explicetur;*) nè delicta impunita remaneant, decrevit prout præſenti decreto decernit in cauſa, & cauſis ſummariè procedere ſine ſtrepitu, & figura Iudicii, ſola facti veritate inſpecta per viam articulorum in ſcriptis redactorum, quorum veritas habeatur medio Iuramento, vel cum præcepto Sanctæ obedientiæ uſque ad complementum ejuſdem cauſæ, ſeù Cauſarum, informationes ſumendo, Teſtes examinando, & alia præſtando, quæ noverit facienda. Et quia plurimum de integritate P. N. de N &c. confidit, ipſum ſibi in Actuarium elegit de ſecreto, & fidelitate juratum, cum proteſtatione tamen illum mutandi &c. Omni &c. In quorum &c. Datum in Conventu &c.

Ità eſt f. N. Provincialis &c. Ego f. N. Actuarius.

Sequens formula poteſt inſervire in diverſis caſibus occurrentibus mutatis mutandis, & ſupponit Denunciationem præſentatam eſſe, quæ in Actis inſerenda eſt.

§. 2. Cùm in generali Viſitatione hujus Provinciæ præſentata fuerit coram nobis infraſcripta Denunciatio contra P. N. de N. noſtri Ordinis Sacerdotem, quòd nempè Epiſtolas plurimas Superiorum ad Inferiores, & è contra Inferiorum ad Superiores interceperit, & aperuerit prout latiùs in eadem Denunciatione quæ incipit &c. & Deſinit &c. Nos f. N. de N. &c. Provincialis &c. providere cupientes prout Iuris eſt, decrevimus prout præſenti Decreto decernimus neceſſarias ſumere informationes; ſed quia de corpore delicti nullatenùs conſtat, judicavimus in eadem cauſa, & cauſis procedere per viam articulorum in ſcriptis redactorum, medio præcepto Sanctæ obedientiæ, aut medio juramento, ut veritas legitimè habeatur Et quia multum de integritate P. N. &c. confidimus, ipſum in noſtrum Actuarium

eligimus

eligimus de ſecreto, & fidelitate juratum, cum proteſtatione tamen illum mutandi toties, quoties opus fuerit; eidemque mandavimus dictam Denunciationem in Actis inſerere, ſicuti de facto per ipſum inſerta fuit ſignatam lit. A. Ac inſuper Decrevimus vocare P. N de N. Denunciatorem, ut medio juramento exponat in formam articulorum dictam Denunciationem. Non ſolùm hoc, ſed & omni meliori modo. Datum in Conventu &c. die . . . . &c.

Ita eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Poſtea vocentur Denunciator, & Teſtes, & interrogentur juxta Praxes ſuperiùs traditas in Denunciatione, & Inquiſitione, ſed magis ſummariè ſine tamen ſuggeſtivis interrogatoriis, vel legantur articuli per extenſum Teſtibus, ſi procedatur juxta ſuperiùs tradita in primo §., ut ſuper eis immediatè vel affirmativè, vel negativè reſpondeant, & poſtea erit deveniendum ad examen Rei.

Die &c. in Conventu &c. Coram eodem P. Provinciali &c. vocatus fuit P. N. &c. ætatis ſuæ annorum &c. Religionis verò &c. & delato ei juramento de veritate dicenda, prout juravit tacto pectore &c. Vel facto ei præcepto Sanctæ obedientiæ de veritate dicenda ad opportunas interrogationes, reſpondit, ut infra.

Circa Reum obſerventur proportionaliter in eo interrogando, quæ dicenda ſunt infra in examine Reorum. Detur ei copia articulorum cum Decreto tamen, & in præſentia Teſtium: & ei aſſignetur tempus ad ſe defendendum, modo quo ſequitur.

Die etc. In Conventu etc. et Coram etc. vocatus fuit f. N. ad ſuas defenſiones faciendas, data eſt ei copia articulorum omnium, ut ad unumquemque, cum juramento reſpondeat, et una cum Conſiliario aſſignatum eſt ei ſpatium 24. horarum ad dictas ſuas defenſiones producendas, quam copiam articulorum ipſe P. N. etc. articulatus accepit, et ſibi aſſignari in Conſiliarium P. N. de N. noſtri Ordinis Concionatorem humiliter petiit, ſicuti de facto virtute præſentis decreti illi aſſignatus fuit. Non ſolùm hoc, ſed &c.

Subſcriptiones Iudicis, Rei, Teſtium, & Actuarii.

Et ſi alios terminos requirat, ſunt ei concedendi ad ſummum tres cum ſummariè procedatur, & poſtea erit ponendum Decretum de præſentatione defenſionum.

Die etc. in Conventu etc. & coram eodem P. &c. Comparuit P. N. &c. Conſiliarius P. N. &c., & hoc præſente. ejuſque nomine defenſiones exhibuit, quę incipiunt &c. & deſinunt &c. & inſtitit pro earum admiſſione, cauſęque expeditione, & Adm. R. P. &c. omnia admiſit ſi, & in quantum, juſſitque illas inſeri in Actis, prout etc. Omni &c. *Subſcriptiones ſolitæ.*

Poſtea ſuo tempore erit pronuncianda ſententia, ſeù Decretum juxta praxim ſuo loco tradendam, præmiſſa tamen citatione Rei ad ipſam audiendam cum ſuo Conſiliario.

Si proceſſus fuit inceptus per viam Denunciationis, & poſtea ſit terminandus per viam articulorum, tunc formabitur Decretum, ut infra.

§. 3. In nomine Domini. Amen. Die etc. In Conventu etc. Quamvis ſupradictus proceſſus inchoatus fuerit per viam Denunciationis, nihilominùs per viam articulorum juratorum juſtis de cauſis animum noſtrum moventibus ipſum terminari decernimus; quapropter rejecta Denunciatione telam denuò incipere decrevimus,

mus, prout permittunt noſtræ Religionis Statuta: Undè vocatus P. N. &c. Denunciator juſſimus eum, reducere prædictam Denunciationem ad formam articulorum, & de novo præſtito ei juramento de veritate dicenda, prout juravit tacto pectore more Sacerdotali ad infraſcriptas ſummarias interrogationes reſpondit.

Inter. An præſentaverit aliquam Denunciationem in Iudicio contra P. N. etc.

An ſit contentus reducere prædictam Denunciationem ad formam articulorum?

Et alia interrogatoria faciet prout in Domino expedire videbitur, & poſteà de novo interrogabit Teſtes prout ſupra adnotavimus.

Forma incipiendi hujuſmodi proceſſum per Judicem Delegatum. Praxis II.

§. 1. Conſignatis P. N. de N. Ordinis etc. Concionatori ab Adm. R. P. N. etc. Provinciali litteris Commiſſionalibus manu ſua ſubſcriptis, ac ſigillo officii ſui munitis, una ſimul cum quibuſdam Capitulis, ſeù articulis prædicto P. Provinciali in decurſu Viſitationis Generalis præſentatis à f. N. de N. etc. contra P. N. de N. etc. qui incipiunt etc. & deſinunt etc. ut latiùs in ipſiſmet litteris patentibus, quæ hîc in fronte apponuntur, ſignatæ lit. A; apparet etc. Virtute quarum præfatus P. N. in eadem Cauſa, ſeù Cauſis Commiſſarius, & Iudex Delegatus à dicto P. Provinciali inſtituitur, cum omnibus facultatibus neceſſariis, & opportunis ad prædictam cauſam, ſeù Cauſas ſummariè, & ſine ſtrepitu, & figura Iudicii cognoſcendas, decidendas, fineque debito terminandas per viam articulorum juratorum etc. Quapropter volens præfatus P. Commiſſarius eidem P. Provinciali parere, & commiſſum ſibi munus pro viribus adimplere, tenore præſentis Decreti decrevit, prout de facto decernit, & determinat prædictam Commiſſionem acceptare proceſſum ſummariè poſtpoſitis omnibus Iuris apicibus, ac ſolemnitatibus compilare, & in primo loco ipſum fratrem N. Articulantem medio juramento audire, deindè Teſtes tàm Regulares, quàm Sæculares, ſi opus fuerit, examinare, & omnia alia, quæ ſibi tanquam Commiſſario, et Iudici Delegato in prædicta Cauſa, ſeù Cauſis uſque ad Decretum terminativum, prout ſibi permittitur, et committitur, proſequi, et perficere. Et quia de idoneitate, fidelitate, et integritate P. N. de N. noſtri Ordinis Sacerdotis plurimum confidit. ipſum ſibi in Actuarium elegit, ac inſtituit, ſervata tamen ſibi facultate illum mutandi toties, quoties ſibi benè viſum fuerit. Sicque decrevit, determinat, et elegit non ſolùm hoc etc. Datum in Conventu N. hac die . . etc.

Ita eſt f. N. etc. Commiſſarius Delegatus.

Ego f. N. etc. Actuarius etc.

De modo procedendi per Exceptionem, & Notorietatem. Regula I.

§. 1. Ultra recenſitos procedendi modos, adſunt etiam alii duo modi, nempe, per Exceptionem, et Notorietatem. Et quo ad primum; duobus modis aperiri poteſt via Iudici ad inquirendum ſpecialiter contra aliquem per Exceptionem; nempè Civiliter, et Criminaliter. Civilis exceptio eſt, dum repellitur Iudex, Teſtis, ac Electus, ſeù eligendus, contra quos adducuntur exceptiones, inhabilitates, et excluſiones; et nihil aliud intenditur, niſi ipſorum repulſio à recenſitis muneribus, nulla autem ipſorum punitio. In tali exceptione; ſi Exceptor probat v. g. Iudicem, vel teſtem eſſe inimicum, vel infamem etc. tunc primus repellitur a Iudicio, et ſecundus à teſtimonio ferendo; nulla tamen illis, nec ordinaria, nec extraordinaria pœna imponitur. Nec Excipiens talionis pœna plectendus eſt, ſi excipiendo non probat, ſed ſub judicio, vel teſtimonio talium remanere debet. Si verò excipit contra electum, et exceptionem non probat, pœna arbitraria puniri debet. Si contra eligendum, mitiori pœna mulctandus eſt; ut falſis criminationibus aditus occludatur: *c. ſuper his de accuſ. Clar. l. 5. q. 19. §. final. verſ. Criminaliter autem*. Et ſine Exceptore præſente, et Excipiente nullo modo Iudex poteſt proceſſum exceptivum incipere; maximè ubi de electione, et electo agitur. *Speculator 3. p. tit. de except. n. 3.*

§. 2. Si civilis ſit exceptio in eodem proceſſu terminanda eſt: ſi criminalis in alio. Undè in hoc caſu Iudex novam telam texere debet ex officio per Inquiſitionem ſpecialem, dummodo adſit ſemiplena probatio, et tunc repetendi ſunt Teſtes, et Reus poterit puniri ſi crimen ſit probatum: Si delinquens fuerit confeſſus poterit puniri abſque alio proceſſu criminali, contra enim confeſſum non ſequitur Inquiſitionis proceſſus, ſed ſententia, maximè quando proceditur ſola facti veritate inſpecta, ſpretis apicibus, et ſolemnitatibus Iuris civilis, et præcipuè apud Regulares. Qui autem crimen objicit contra aliquem debet proteſtari, quòd non facit animo injuriandi, ſed ſuæ defenſionis cauſa, aliàs ſi non probat puniri poteſt criminaliter de calumnia, maximè ſi proteſtatus fuerit de tali injuria ille, cui objicitur crimen; et petierit ſuper ea ſibi Ius, et juſtitiam miniſtrari: poterit enim tunc, qui objicit, ſi non probat, ex eodem proceſſu civili condemnari.

§. 3. Contra eligendum in ipſo electionis die exceptio non debet admitti, niſi tàm in promptu eſſet probatio, ut breviſſimo tempore expediri poſſet exceptio. Criminalis verò nullo modo audienda eſt, ſed ſuis dilationibus agitari debet, ut exceptor probare, et reus ſe tueri valeat; quia non ſolùm intendit excludere, ſed puniri excluſos de objectis criminibus: et quia naturam accuſationis induit, exceptor deficiens, talionis pœna puniri debet; et idcircò in ipſa erit exprimendus locus, dies, et annus, eo modo, ſcilicèt, quo proceditur per Accuſationem, et poteſt Reus condemnari, ſi convictus eſt de crimine objecto, ſine novo proceſſu, dummodo quod objicitur contingat principale crimen; ſi autem non contingat, ut ſi v.g. obji-

ciatur, quòd Teſtis ſit Hæreticus, vel Infamis, requiritur novus proceſſus, ad hoc ut Reus poſſit legitimè condemnari.

De modo procedendi per Notorietatem. Regula II.

§. 1. NOtorium eſt in duplici differentia, nempè Iuris, & Facti. Notorium Iuris eſt, cùm quis in Iudicio fuit convictus, vel confeſſus, ac per conſequens condemnandus. Et ſicut ſufficit ad procedendum notorium facti, ità etiam Iuris, ſive habeatur per propriam Rei confeſſionem abſolutam, ſive conditionatam, ut ſi dicat, ſe Iure ſuo id feciſſe, vel fateatur delictum, & neget notorium. Aliter de nullo ferè delicto notorio cognoſcere poſſet Iudex, cùm non ſit delictum, quod ex aliqua excuſatione occulta palliari non poſſit, *juxta tradita per Gloſſam in v. recepit in cap. bonæ il 2. de elect. & per Farin. in prax. q. 21. nu. 50.* Et idem dicitur de quocumque alio Notorio reſultante ex actis in alio Iudicio. Nam certum eſt ex actis Iudicialibus reſultare Notorium Iuris, *ut habetur in l. properandum §. ſi autem C. de Iud. & tradunt communiter D. D.* Et licèt hoc notorium Iuris, ut tale ſit minus propriè, non tamen eſt notorium impropriè, quinimmò abſolutè tale dicitur, & cum Notorio facti abſolutè connumeratur; *ut in c. veſtra, & in cap. fin. de cohabitat. Cler. & in c. Olim de verb. ſignif.* Notorium Facti de quo hìc loquimur eſt illud, quod ſe offert, ut alibi dixi, & exhibet oculis omnium, vel majoris partis degentium in loco delicti, ità clarè, & apertè, ut nulla probabilitate, nec tergiverſatione aut negari, aut celari poſſit. Hinc eſt, quòd fieri debet delictum in loco publico, in tempore, in quo adſint multi: Inſuper, ut ſit commiſſum coram majori parte degentium in illo loco: major enim pars eſt illa, quæ facit notorium; ut autem quis poſſit de Notorio delicto puniri, non ſolùm Teſtes deponere debent delictum fuiſſe commiſſum in loco publico, & coram majori parte v. g. Religioſorum Conventus, ſed debent etiam deponere qualitates tales, ut clarè pateat tale delictum commiſſum fuiſſe ſcienter, malitioſè, & ſimilia, non autem ob juſtam defenſionem, aut aliquam juſtam cauſam. Et tunc Iudex poterit formare proceſſum, & inquirere tanquam ſuper Notorio delicto, quando probatum eſt, quod principale factum notorium fuit; probatio enim qualitatum, idèſt, cum ſcelere fuiſſe commiſſum delictum, eſt ità neceſſaria, ut excludatur Reus à diſenſione pro executione ſententiæ.

§. 2. Notorium autem facti eſt triplex, ſcilicèt, Facti permanentis, facti interpolati, & facti tranſeuntis, alii etiam addunt quartam ſpeciem Notorii, ſcilicèt momentanei. Notorium facti permanentis eſt, quod apparet per evidentiam; ut ſi quis detinet publicè Concubinam, & hoc ſcitur à majori parte populi. Notorium facti interpolati eſt, quando non ſit quidem continuè, ſed ſæpè, ac ſæpiùs ità reiteratur publicè, & evidenter, ut nulla tergiverſatione occultari poſſit; ut ſi Religioſus ſæpè, ac ſæpiùs ſine Superioris licentia publicè res notabiles emit, & vendit. Crimen enim proprietatis in eo tunc eſſe liquet. Notorium facti tranſeuntis eſt, quando coràm majori parte Deum quis blasfemat. Notorium facti momentanei, eſt quaſi idem cum tranſeunte, nempè quando quis coram multis offenditur verbis

bis injurioſis. Et de omnibus iſtis Notorii ſpeciebus, dicitur Notorium propriè ſumptum. Nec per hoc, quod ſit facti tranſeuntis, vel momentanei amittit rationem Notorii ex quo tranſit in momento, *ut inquiunt Sylv. in v. Notorium num. 2. Maſcard. de probat. concl.* 1101. *& Farin. in prax. qu.* 21. Et ſic ſufficit etiam momentaneum ad hoc ut Iudex poſſit cognoſcere de injuriis Notoriis, *ut habetur in c. dilecti de purg. canon.* Duo enim ſufficiunt, ad hoc ut locum habeat proceſſus Notorii, *prout advertunt Anchar. n.* 5. *& Butr. n.* 10. *in c. Statuimus il p. de off. Deleg. in* 6. nimirùm, quòd delictum ſit commiſſum, ſeù illata injuria, & quòd ſit notorium, licèt delicti qualitas, ſeù circumſtantiæ non ſint manifeſtæ, ſeù notoriæ, *prout tradunt idem Anchar. ibid. Butr. n.* 6. *&* 9. *Franc. n.* 4. *Maſcar. loc. cit. concl.* 1106. *n.* 11. *&* 12. *Farin. ibid.* Aliàs non daretur caſus Notorii, in quo Iudex procedere poſſet, cùm nullum ſit maleficium, quod non poſſit habere aliquam qualitatem, aut circumſtantiam occultam à culpa excuſantem. Tùm quia notorium facti non fit dubium per negationem, *ut in c. ſuper de teſtib. Farin. loc. cit.* Et ſic notorietas cujuſque facti, ſive facti permanentis, ſive tranſeuntis, ſive interpolati, ſive momentanei, quando notorium eſt tantum delictum, & delinquens, ſed non qualitas eius apèrit viam Iudici ad præfigendum Reo tanquam convicto terminum ad faciendas ſuas defenſiones: Si verò etiam qualitas ſit notoria, aperta eſt via Iudici ad condemnationem ſine aliqua ſolemnitate, ſeù ordine; tunc enim non requiritur Accuſatio, nec Denunciatio, nec libellum, nec litis conteſtatio, nec probationes, nec citatio, nec datur copia repertorum, nec terminus ad ſe defendendum: Sufficit enim ut Iudex ſumat informationes ad cautelam tàm de delicto, quàm de delinquente, & qualitatibus: & tunc etiam ſi negaverit delictum, & non probaverit legitimam excuſationem, poterit condemnari Reus præmiſſa citatione ad ſententiam: & ſi interrogatus à Iudice ſuper facto confiteatur, damnari poteſt ſine alio proceſſu, & citatione. In delicto Notorio, cùm adeſt notorietas, & qualitas delicti, idèſt, quod commiſſum non ſit juſta de cauſa, vel alia hujuſmodi, & nulla probabili tergiverſatione celari poſſit, ſivè ſit facti permanentis, ſive interpolati, ſivè tranſeuntis, hujuſmodi Notoria non indigent probatione, non eſt adhibenda monitio, nec Iuris ordo ſervandus, nec indiget proteſtatione, ſed poteſt venire Iudex ad ſententiam: non datur appellatio ſuſpenſiva, nec illi admittitur appellatio, dummodo appareat, quòd Iudex Reum condemnavit uti de notorio crimine. Et Prælatus in Viſitationibus non tenetur texere proceſſum in exceſſibus notoriis, ſed ex ſola extrajudiciali cognitione poteſt ad pœnam devenire, & Reum officio privare ſine citatione, niſi aliquam adducat cauſam, ſeù excuſationem. Ità multi dicunt.

§. 3. Ego autem adducam hìc, quæ, ut cautè agatur, in praxi ſervanda erunt. Primo igitur ſumendæ ſunt informationes an delictum ſit commiſſum, & hoc coram majori parte. Secundo an commiſſum ſit cum ſcelere, idèſt, non cauſa defenſionis, aut ob aliquam aliam ſimilem cauſam excuſantem; quia in tali caſu cùm Reus careat omni defenſione poteſt Iudex procedere nullo Iuris ordine ſervato, ut ſupra adnotavimus. Si Reus negat delictum, vel exceptionem proponit ad excuſandum ſcelus, aut ad repellendum Iudicem, & apertè conſtet aliter eſſe in proceſſu, ac Reus dicit, procedere poteſt Iudex his non obſtantibus ad ſententiam, &

 inti-

intimanda eſt ei, & in ea facienda eſt mentio de notorietate criminis. Si Reus opponat, quòd in tali caſû non poſſit Iudex procedere ordine Iuris non ſervato, tunc facienda eſt ſententia declaratoria, quod delictum ſit notoriè commiſſum cum ſcelere, & coram multitudine. Et ſic conſulerem ſemper, ac in quocumque caſu ſententiæ condemnatoriæ, premittere ſententiam declaratoriam tale delictum fuiſſe notoriè ut ſupra commiſſum. Et licèt detur appellatio à tale ſententia declaratoria, ſi tamen priùs captæ ſunt informationes, & ſit probatum delictum, notorietas, & qualitas, ità ut nulla tergiverſatione celari, vel negari poſſit, non eſt admittenda appellatio; ſed ſententia executioni demandanda eſt. Benè tamen cautum erit, Reum audire, ſi quid allegare voluerit in ſui defenſionem, & ſi rationabile ſit, quod proponit, terminus ei aſſignandus erit ad ſe defendendum. Si pœna ei impoſita in ſententia ſit arbitraria, & nimis ſevera poterit appellare, ſecùs ſi in Iure determinata, & non excedat.

§. 4. Ad probandum Notorium ſufficiunt duo Teſtes, niſi Iudex ad majorem cautionem, majorem partem degentium in loco maleficii examinare vellet. Quando Reus examinatur in delicto notorio, non dubitativè, ſed aſſertivè, eſt examinandus. *v.g. Patet, quòd tu hoc feciſti.* Si ſit fugitivus citetur peremptoriè, & ſi non compareat condemnetur. Sed ſi procedatur manu regia, ut inter Regulares proceditur, non eſt neceſſaria ſuper notorietate pronunciatio, nec rei citatio, cùm notorium, ſit probatum ut ſupra; quia tunc Iudex pronunciato delictum eſſe notorium, poterit ex abrupto procedere, & ad ſententiam condamnatoriam venire.

§. 5. Et quoniam apprehenſus in fragranti crimine æquiparatur Notorio delinquenti, hinc eſt, quòd contra ipſum poteſt Prælatus, ſicuti in Notorio delinquente, inquirere ſine præcedente infamia ex abrupto, ſine proceſſu, & ſine ordine Iudicii. Et tunc apprehenditur quis in fragranti, quando capitur in ipſo actu maleficii, & ducitur ad Iudicem. Intelligitur autem capi in actu maleficii, quandò capitur, dum non adhuc diſceſſit à loco, in quo maleficium commiſit, & in tali caſu poteſt capi à quacumque perſona, dummodo afferatur ad Superiorem, aut Iudicem, & eo ducto, Apprehenſor debet facere relationem coràm Iudice, & Notario, & ſi relatio apprehenſoris ſit ſola, & ille intereſſatus in cauſa, valida tamen erit: aperit enim viam ad inquirendum, & etiam ad procedendum uſque ad ſententiam, Iuris ordine non ſervato: poterit torqueri ſi neget, maximè ſi ſit ab uno ſolo apprehenſus, ſed ſi à pluribus, cùm ſit convictus, poterit condemnari. Simplex relatio apprehendentium ſufficit ad inquirendum, & ad Reum examinandum, ſed ad torquendum, vel condemnandum requiritur ſolemne examen: & quando non eſt convictus, & ſit torquendus, danda eſt ei copia proceſſus cum termino ad ſe defendendum, & cætera alia præſtare debet Iudex quæ ad defenſionem Reorum ante torturam requiruntur.

§. 6. Et quia perſæpè iſti in fragranti reperti & non plenè convicti vel non immediatè ad Superiorem ducti, et idem dicitur de notoriè delinquentibus, ſunt vel rubelles, vel contumaces: in tali caſu Iudex, vel Prælatus poteſt facere monitoria, ut juridicè condemnentur, tanquam rebelles, & inobedientes: ordo autem hic erit, (quòd pariter ſervandus erit in omnibus aliis Religioſis inobedientibus, et contuma-

macibus) tàm ſi jubeat ſub præcepto Sanctæ obedientiæ, quàm ſub pœna excommunicationis, vel ſub alia pœna v. g. Carceris etc. Primò, debet procedere Canonica monitio, ideſt, Trina, aut unica pro Tribus, et debet aſſignari tempus ad minus trium dierum, una dies pro ſingulis monitionibus. Et quamvis Regulares ex privilegiis Summorum Pontificum non teneantur talia ferre in ſcriptis; melius tamen erit omnia regiſtrare; et tunc ſufficit monitio incluſa in ipſo mandato, aut præcepto facto perſonaliter inobedienti; et ſi id, quòd pręcipit Prelatus ad ejus officium pertinet, poteſt excommunicare inobedientem, et præcipere ſub præcepto Sanctæ obedientiæ. Satis enim movet Iudex, quod juſtum eſt; adeſt enim contumacia, dum adeſt inobedientia; & in caſu contraventionis non requiritur monitio, quando fertur præceptum ſub cenſura ipſo facto incurrenda: ſed ſi præceptum ſit ſpeciale debet fieri cum clauſula (*ſi te noveris gravatum*) vel dare tempus ad allegandas cauſas, ſi quas habet ſpatio 24. horarum. Et ex conceſſione Leonis X. Regulares habent privilegium ferendi cenſuram ſine ſcriptura verbaliter tantùm, et per conſequens, et ſine adminiculis, et apicibus Iuris, non autem ſine ſubſtantialibus, et ſine Scriptura.

Forma procedendi per exceptionem. Praxis I.

SI excipiens perſonaliter comparet coràm Iudice, vel Prælato, & oretenus detulit exceptionem contra aliquem, Actuarius debet illam regiſtrare in Actis ſequenti modo.

§. 1. In nomine Domini. Amen. Die.... &c. In Conventu N. &c. Coràm Adm. R. P. N. &c. comparuit perſonaliter f. N. de N. &c. & excepit contra P. N. de N. &c. quòd calumnioſè, vel falsè contra eum depoſuerit hoc modo, videlicèt, *hic de verbo ad verbum regiſtranda erit exceptio ab excipiente propoſita cum ſubſcriptione ſuo loco ipſius excipientis, & poſteà ſic proſequi debet.*

Quibus viſis, auditis, & benè perpenſis Adm. R. P. N. &c. detulit, juramentum dicto f. N., quòd exceperit non animo calumniandi, ſed zelo juſtitiæ ductus &c. prout juravit &c. ac ei mandavit, ut ſe ſubſcribat, qua habita ſubſcriptione illum dimiſit, & exceptionem propoſitam acceptavit ſi, & in quantum; non ſolùm hoc, ſed &c. Acta ſunt hæc in Conventu N. die &c. quibus ſupra.

Subſcriptiones.

§. 2. Cùm nobis P. N. de N. &c. viſum fuiſſet pro præſentis cauſæ expeditione Actuarium aſſumere, ut omnia actitanda in ſcriptis redigat, & fideliter excipiat, plurimum de integritate ſupraſcripti P. N. de N. confiſi ipſum in noſtrum actuarium elegimus priùs de ſecreto, & fidelitate, juratum, cum proteſtatione tamen illum mutandi toties, quoties opus fuerit. Datum in eodem Conventu &c. die..... &c. quibus ſupra &c.

Subſcriptiones.

Deindè examinet teſtes productos ab exceptore, & ſi erunt ſufficientes, & ſufficienter probata fuerit dicta exceptio, ſic per interlocutoriam erit excludendus exceptus.

Cùm

Cùm f. N. &c. exceperit P. N. de N. velut illegitimum, vel calumnioſum, vel &c. & ab ejus accuſatione, vel à teſtimonio ferendò fore repellendum inſtiterit, quia infamis eſt, vel quia falſum depoſuit &c. Nos attendentes exceptiones propoſitas eſſe veras, & ſufficienter probatas; de noſtrorum Deffinitorum conſilio pariter, & aſſenſu dictum P. N. velut infamem, vel de falſitate, & calumnia notatum ab accuſatione, vel à teſtimonio ferendo eſſe repellendum judicamus, prout præſenti Decreto repellimus, & reijcimus, & conſequenter dictum f. N. propter illius accuſationem, vel depoſitionem non eſſe fatigandum. Datum &c.

Subſcriptiones Iudicis, deffinitorum, & Actuarii.

Forma Denunciationis qua quis excipiendus eſt à dignitate adipiſcenda.

§. 3. Coram Adm. R. P. N. &c. perſonaliter comparet f. N. de N. etc. & excipit contra P. N. de N. &c. denuncians illum eſſe inhabilem ad animarum regimen, eò quòd ſit perſona ſcandaloſa, ebrioſa, ac peſſimi exempli tàm apud Seculares, quàm apud Religioſos, cujus Rei Teſtes ſunt N. et N. propterea dicit, non eſſe admittendum ad tale officium &c., & ſi admittatur, electionem de ipſo factam omninò eſſe irritandam: idque non odiò, aut calumniandi animo, ſed zelo ductus exponit, excipit, et denunciat. Datum etc.

Ego f. N. ità denuncio, et excipio.

Cùm comparuiſſet coram P. N. etc. f. N. et denunciaſſet excipiendo contra P. N. etc. ac Cedulam præſentaſſet quæ incipit etc. & deſinit etc. Viſa tali denunciatione dictus P. N. eam acceptavit ſi, et in quantum, ac juſſit illam inſeri in Actis, ſicut de facto inſerta fuit per me Actuarium infraſcriptum ad hoc ſpecialiter electum, ac priùs de fidelitate, & ſecreto juratum. Acta ſunt hæc in Conventu etc. die etc.

Subſcriptiones.

Cùm igitur hæc in notitiam Curiæ pervenerint, Nos f. N. de N. etc. judicavimus in Cauſa, ſeù Cauſis procedere: dictum Denunciatorem, et Exceptorem examinare una ſimul cum aliis Teſtibus ab ipſo productis, et prædictum P. N. reum conſtituere ſi, et in quantum Iuris fuerit. Vocatus igitur præfatus f. N. Denunciator, et exceptor Coram P. N. etc. et delato ei juramento de veritate dicenda ſupra Denunciationem, et exceptionem ab ipſo præſentatam prout juravit etc. reſpondit ad opportunas interrogationes ut infra etc. Et relectum confirmavit etc. hàc die etc. In Conventu etc.

Examen tàm Denunciantis, quàm Teſtium poteſt deſummi ſupra in praxibus de Denunciatione. Item ſententia Exceptoria ſuo loco deſcribetur, ſcilicèt, in praxibus de ſententiis.

For-

Forma cujuſdam exceptionis ad excludendum aliquem Superiorem Ordinarium à Iudicando.

§. 4. QUoniam naturale eſt velle ſuſpectorum Iudicum declinare Iudicium. Ideò coram Eminentia Veſtra tanquam noſtræ Religionis N.&c. Protectore, Comparet f. N. de N. &c. ac per modum Iuridicæ inſtantiæ excipit, & exponit, quòd eùm ſit illi valdè ſuſpectus Reverendiſs. P. N. Generalis &c. ob graviſſimas cauſas capitalis inimicitiæ propter quas ipſum P. Generalem tanquam talem in cauſa vertente &c. *explica* habere in Iudicem ſupremum recuſat, ac Eminentiæ Veſtræ inſtat, & inſtantiſſime poſtulat, ſibi aſſignari in Iudicem, & Commiſſarium aliquem Patrem indifferentem, & ab ipſomet P. Generali in hac Cauſa omnimodè, & totaliter independentem, qui habeat auctoritatem inquirendi, examinandi processus formandi, ac eos terminandi uſque ad ſententiam definitivam incluſivè abſque eo quòd habeat dependentiam ab ipſo P. Generali ob dictas rationes capitalis inimicitiæ ſibi valdè ſuſpecto, ſed immediatè dependeat ab Eminentia Veſtra. Quas cauſas inimicitiæ, & alias exceptiones ſibi de Iure competentes contra prædictum P. Generalem ad omne mandatum exponet, & eas teſtibus, & juramento firmabit coràm Eminentia Veſtra, vel alio Iudice benè viſo. Datum in Conventu &c.

Ego f. N. renuncio, & excipio ut ſupra, non ſolùm hoc, ſed &c.

Forma incipiendi proceſſum per viam Notorij. Praxis II.

§. 1. IN nomine Domini etc. die .... etc. In Conventu N. etc. Cùm delictum tale, (*explicetur*) publicè, et notoriè commiſſum in Conventu N. in tali loco etc. die etc. coram majori parte Religioſorum eiuſdem Conventus ad aures P. Provincialis etc. pervenerit. Idcircò muneri ſuo ſatisfacere volens, decrevit per viam Notorii in hac Cauſa, ſeù Cauſis procedere, informationes ſumere, Teſtes in genere interrogando examinare, ut delinquente detecto, poſſit contra ipſum eadem via ad ulteriora procedere, et cætera, quæ ſunt de Iure peragere. Ad cujus effectum ſibi in Actuarium elegit P. N. de N. etc. de fidelitate, et ſecreto Iuratum, cum proteſtatione tamen illum mutandi etc. *ut ſupra*.

Ità eſt f. N. Provincialis &c. Ego f. N. Actuarius.

Poterit etiam Iudex per Denunciationem procedere in Notorio delicto. Forma autem Denunciationis, & Decreti de procedendo admiſſa jam Denunciatione, erit ejuſdem tenoris aliarum ſupra deſcriptarum mutatis mutandis, idèſt, Dolosè, & ſcienter coràm omnibus, vel majori parte publicè, & notoriè commiſſum, *hoc in Denunciatione addendum erit. In Decreto verò erit dicendum.* Decrevit informationes ſumere, & per viam Notorii procedere. *Probato delicto notoriè commiſſo,*

&

& jam formato proceſſu vocandus eſt Reus, & interrogandus. Quare auſus fuerit tale delictum committere? Si confitetur delictum, condemnetur à qua condemnatione non poteſt appellare. Si negat, & delictum nulla tergiverſatione celare poteſt. Iudex poteſt declarare per ſententiam delictum fuiſſe notoriè commiſſum, ut infra:

§. 2. In nomine Domini &c. Chriſti nomine invocato. Cùm f. N. de N. in tali Conventu &c. loco tali, hora tali, tali die &c. coram majori parte Religioſorum ejuſdem Conventus delictum tale commiſerit &c. *ſpecificetur*. Viſis videndis, conſideratis conſiderandis, & maturè perpenſis informationibus à nobis juridicè ſumptis ſuper notorio delicto, de quo fuit imputatus dictus f. N. &c. ut in Actis; nec non conſideratis ejus exceptionibus (*ſi fuerunt propoſitæ*) *ſi non, dicendum erit*. Et cum nulla tergiverſatione poſſit illum negare, aut celare. Ideò Deum præ oculis habentes, ut de illius vultu noſtrum judicium prodeat, & oculi noſtri videant æquitatem Chriſti nomine repetito. Dicimus ſententiamus, & declaramus prędictum delictum notoriè fuiſſe commiſſum, & idcircò tamquam ſuper notorium erit procedendum, ſicque dicimus, ſententiamus, & declaramus, non ſolùm hoc, ſed &c. Datum in Conventu N. &c. die &c.

Ita eſt f. N. Provincialis &c. Ego f. N. Actuarius.

Eadem forma uti poterit Iudex in declarando delictum non fuiſſe notoriè commiſſum, & tunc via ordinaria proceditur.

Si Reus appellare voluerit in dubio Notorietatis, ſic dicet.

§. 3. Ego f. N. &c. ſentiens me gravatum à vobis Adm. R. P. Provinciali eò quòd monuiſtis me ſuper tali delicto, quod dicitis me commiſiſſe, & notorium eſſe aſſeritis; quod nunquam nec notoriè, nec alio quovis modo commiſi, paratus ſtare cognitioni Reverendiſſimi P. Generalis &c. ad quem appello via gravaminis, & omni alio meliori modo, & Apoſtolos peto inſtanter, inſtantiùs, & inſtantiſſimè hodie . . . . &c. In Conventu &c.

Ego f. N. appello, ac inſto ut ſupra.

Forma Apoſtolorum Dimiſſionalium.

§. 4. ET ſi mihi, & pluribus aliis Notorium videatur delictum à te commiſſum, nihilominùs viam æquiorem, & tutiorem eligendo, quatenùs ad hoc pertinet ob obſervatione mei Iudicii te dimitto ad Reverendiſſimum P. Generalem, ad quem appellaſti, & his Apoſtolis te expedio. Datum in Conventu &c. hac die &c. *Subſcriptiones ſolitæ.*

Forma Apoſtolorum Refutatorialium.

CUm f. N. de N. &c. ad punitionem, & correctionem evitandam, malitiosè, & fruſtatoriè proponat coram nobis appellationem; & exceſſus per evidentiam rei ita notorius ſit, quod nulla tergiverſatione celari poſſit; ut patet ex Actis actitatis, & informationibus ſumptis. Idcircò ſupradictam appellationem refuto, & non

non defero, ſed ſententiam in ipſum punibilem ferre determino, & pro nunc tantummodo Apoſtolos refutatorios tibi concedo. In quorum fidem &c. Datum &c.

Subſcriptiones.

Si Reus eſt præſens, citetur ad audiendam ſententiam condemnatoriam juxta praxim inferiùs ſuo loco tradendam, nimirùm in praxibus de ſententiis & ibidem pariter reperies formulam ipſiuſmet ſententiæ condemnatoriæ in §. 16. *ſi verò eſt abſens, forma citationis erit ſequentis tenoris.*

§. 5. Die .... &c. In Conventu &c. Cùm tritum ſit in Iure adagium, quòd contra abſentes omnia Iura clamant. Cùmque f. N. de N. poſt patratum delictum publicè, & notoriè in Conventu N. &c. coram omnibus, vel majori parte, &c. die .... &c. aufugerit. Ideò nos f. N. de N. &c. volens de Iure, procedere tenore præſentium præcipimus, citamus, et expreſſe mandamus ut infra quindecem dies (*aſſignandus ei erit terminus congruus ratione diſtantiæ*) proximos à die præſentium computandos quorum quinque dies pro primo, quinque pro ſecundo, & quinque pro tertio, et ultimo peremptorio termino illi aſſignamus, ut compareat perſonaliter coràm nobis in hoc Conventu N. &c. ad ſe defendendum pro delicto publicè, et notoriè commiſſo, ut in Actis etc., et ad audiendam ſententiam ſub pœna confeſſi criminis, et pœnarum. Voluмuſque præſentem citationem tibi perſonaliter ſi repertus fueris præſentari, et intimari; ſin autem in cubiculo tuæ ſolitæ habitationis, et in valuis Refectorii dimiſſis, et affixis ibidem copiis, ità te ipſum arctare, et afficere, ac ſi perſonaliter, et magis legitimè executa foret. Certificantes nihilominùs, quòd ſi in dicto termino, et trina ac Canonica monitione facta tibi non comparueris, tanquam contumacem, convictum, et confeſſum contra te procedemus omni meliori modo. In quorum etc. Datum etc. *Subſcriptiones.*

Hîc quoque erunt obſervanda, quæ infra dicemus de modo cogendi ſub cenſuris Subditum Rebellem. Et cautum erit in omnibus ſententiis contra contumacem uti his verbis 5. Conſiderata contumacia, præmiſſiſque citationibus de Iure præmittendis, cùm per ultimum edictum peremptorium fuerit citatus, & infra terminum ſibi aſſignatum non comparuerit, nec in Iudicium, quidquam pro eo ad ipſius abſentiam juſta de cauſa excuſandam, nec aliquid aliud in ipſius favorem productum fuerit, nè delicta impunita remaneant. Deum præ oculis habentes &c. *ut in aliis ſententiis ſuo loco deſcribendis &c.*

Forma incipiendi proceſſum contra repertum in fragranti crimine. Praxis III.

§. 1. IN nomine Domini. Amen. Die etc. In Conventu etc. Comparuerunt Frates N. & N. coram Adm. R.P. Provinciali &c. & præſentaverunt idem P. f. N. de N. Reum præſentem, & intelligentem apprehenſum in actu, quo commiſit tale delictum (explicetur) & nullo actu extraneo medio interveniente, in ipſo actu dictum f. N. cœperunt, & aſportaverunt in dicti P. N. Provincialis poteſtate; ut ſic contra ipſum procedere valeat; & quidquid de Iure erit, peragere, ut Iuris erit. Quibus auditis, & volens Adm. R. P. Provincialis in hac cauſa, ſeù Cau-

ſis ritè, ac Iuridicè procedere ſibi in Actuarium elegit P. N. de N. de ſecreto, & fidelitate juratum, cum proteſtatione tamen illum mutandi toties quoties &c. Sicque decrevit, non ſolùm hoc, &c. In quorum fidem &c. *Subſcriptiones.*

Poſtea procedat ad examen apprehenſorum, & aliorum Teſtium, ut infra.

§. 2. Die etc. In Conventu etc. Attentis ſupraſcriptis; Adm. R. P. Provincialis etc. ſuo muneri ſatisfacere volens decrevit ſtatim indagare veritatem, Apprehenſores medio juramento, & alios Teſtes formiter examinando, prout de facto etc. Monitus primò f. N. de veritate dicenda, ac præſtito ei juramento, prout juravit tactis ſacris Scripturis, coram ipſo fratre capto, vidente, & audiente, ac intelligente interrogavit.

Quare f. N. etc. hîc præſentem apprehendiſti, & coram nobis adduxiſti? In quo loco, & tempore? In quo actu etc. Quantum temporis ſpatium interfuit inter tale delictum, & apprehenſionem? Quis eſſet præſens in dicto actu, & apprehenſione? Si in apprehenſione, apprehenſus fecit reſiſtentiam? Ad quem finem apprehendiſti? Qua de cauſa coram nobis adduxiſti? etc. & ſimilia.

Teſtibus examinatis coram Reo, ſtatim examinetur Reus, ut infra.

§. 3. Die etc. in Conventu etc. quibus ſupra. Conſtitutus f. N. etc. in fragranti captus coram Adm. R. P. N. etc. & monitus de veritate dicenda prout juravit etc. Interrogatus. Quare ſic captus reperiatur? Ubi, per quos, quo in loco, quo tempore, qua de cauſa, & quibus præſentibus fuit captus? Cur tale delictum eſt perpetratus. etc.

Si confiteatur, & delictum ſit facti permanentis facta recognitione delicti, erit condemnandus. Si neget, nec ſit convictus, erit torquendus: ſi convictus, & neget delictum, dandus eſt ei terminus ad ſuas defenſiones faciendas, & poſtea erit condemnandus. Si Reus interrogatus, nec affirmativè, nec negativè reſpondeat, habendus eſt pro confeſſo. Sententia prolata in tali delicto, non indiget ſolemnitatibus, ſed ſufficit ſimplex ordinatio à Iudice ſubſcripta, à qua non datur appellatio, niſi quoad devolutivum, non autem ſuſpenſivum effectum &c.

Forma, qua cogitur rebellis Subditus ſub cenſuris, vel ſub præcepto Sanctæ obedientiæ à Prælato Regulari. Praxis IV.

§. 1. NOs f. N. de N. Provincialis etc. vi præſentium monemus f. N. de N. noſtræ Religionis profeſſum; ut intra trium dierum ſpatium incipiendo à die hujus noſtræ monitionis, quorum diem primum pro primo, ſecundum pro ſecundo, & tertium pro tertio, & ultimo peremptorio termino, & canonica monitione aſſignamus; ut etc. *hîc explica, quid agere debeat, & pœnam, ſi renuat: inſuper locus, & tempus &c.* In quorum fidem etc. Datum etc.

Subſcriptiones.

Et benè erit, quòd talis intimatio fiat teſtibus præſentibus, & relatio de intimatione regiſtretur in Actis cum Teſtium ſubſcriptione. Si præcipitur ſub pœna excommunicationis, & non obedientia tranſacto tempore aſſignato, erit excommunican-

candus; ſi autem producat rationes, erit audiendus. Si excommunicetur, ponenda erit ſeries monitionis factæ, cominationis ſub tali pœna, contumacia, & obſtinatio, aut inobedientia, & poſtea dicendum.

§. 2. Nos f. N. de N. etc. auctoritate Dei omnipotentis Patris, Filii, & Spiritus Sancti, nec non Beatorum Petri, & Pauli, ac omnium Sanctorum auctoritate, ſtante contumacia tua his ſcriptis excommunicamus, *(vel ſi ſit alia pœna exprimitur)* quouſque feceris, quod juſtum fuerit. In quorum fidem etc. Datum etc.

Cum ſubſcriptionibus Superioris, & Teſtium.

Forma præcepti ferendi ſub cenſuris, vel aliis pœnis.

§. 3. Nos f. N. de N. Provincialis etc. præcipiendo mandamus tibi f. N. de N. etc. ut habito præſenti præcepto ſtatim facias hoc, & hoc *(explica)* & ſi hoc præcepto ſenſeris te gravatum, concedimus tibi terminum 24. horarum ad allegandas cauſas, ſi quas habes, ob quas non debeas tali pœna puniri, et niſi intra tempus aſſignatum feceris etc. vel comparueris, ut ſupra etc. ad allegandum etc. tanquam contumax, et rebellis condemnaberis pœna ut ſupra etc. In quorum fidem etc. Datum etc.

Ita eſt f. N. de N. Provincialis etc.

§. 4. Forma citationis ad ſententiam.

Die etc. In Conventu etc. de mandato Adm. R. P. Provincialis etc. citatur f. N. etc. ad videndum concludi in cauſa per diffinitivam ſententiam, et loco diffinitivæ ad videndum declarari ſe incidiſſe in penas in monitorio contra eum in Actis regiſtrato, et fulminato contentas, ac ad relaxandum propter horum executionem opportunum mandatum etc. F. N. Actuarius etc.

Relatio citationis.

Fidem facio Ego f. N. etc. Actuarius affixiſſe copiam ſupradictæ citationis in valuis cellæ f. N. de N. ac Refectorii hujus Conventus N. etc. hac die etc.
Et in fide me ſubſcribo Ego f. N. Actuarius.

Si Reus citatus non comparet, Iudex debet procedere ad ſententiam contra illum, tanquam contra contumacem; forma autem talis ſententiæ ſuo loco deſcribetur. Si verò comparet in Iudicio, & noluerit reſpondere nullam legitimam cauſam adducens de ſua taciturnitate, poterit Iudex poſt diverſos actus Iudiciales tanquam convictum, & confeſſum in contumaciam condemnare; modus autem iuridicè ſervandus hic erit.

Vocandus eſt ad ſe defendendum Reus prætenſus, forma autem erit ut in alijs praxibus ſecundùm diverſum modum procedendi; poſtquam comparuerit coram Iudice præſentibus duobus teſtibus exhibenda eſt ei copia repertorum, & aſſignandum eſt ei tempus congruum ad ſe defendendum, cum exibitione Conſiliarij. Si renuerit reſpondere, vel ſe defendere noluerit, erit monendus, & omnia in ſcriptis erunt redi-

genda, & ponenda in calce Decreti, quo vocatus fuit, hoc modo.

§. 5. Monitus fuit ab Adm. R. P. Provinciali, ut reſpondeat pro veritate, (*ſi eſt conſtituendus; ſi non*) ut ſe defendat à culpis reſultantibus, vel ab articulis in proceſſu contra ipſum actitato productis: *ſi reſpondere, aut ſe defendere noluerit; dicendum eſt.* Tunc Adm. R. P. Provincialis mandavit mihi Actuario, ut in Actis ſcriberem, et notarem, qualiter ipſe Reus interrogatus non vult reſpondere, vel exhibita copia Articulorum, vel repertorum, non vult eam recipere, nec ſe defendere, nulla adducta exceptione Iudicis, nec alia juſta cauſa, prout ego ipſe vidi.

Iterum monitus, ut reſpondeat, vel ſe defendat intra ſpatium temporis congruentem ei exhibitum, et aſsignatum, nempè 24 horarum, aliter ad ulteriora procedemus, ac ſi de crimine, vel criminibus ei oppoſitis eſſet convictus, et confeſſus.

Si renuit poſt terminum ei aſſignatum, citetur, denuò, & per Actuarium in Actis redigantur omnia modo quo ſupra: & ſi comparuerit, & in calce Decreti citationis coràm Teſtibus erit ſcribendum.

Vocatus iterum f. N. de N. coram nobis &c. & poſt terminum ei aſſignatum monitus fuit ſecundò, ut recedat à contumacia, & ab obſtinatione, & reſpondeat, vel ſe defendat à culpis &c. juxta tenorem primæ monitionis, aliter ſub pœna confeſſi criminis, & tanquam de notorio delicto, & tamquam incurſus in pœnas comminatas, (*ſi quæ pœnæ comminatæ ſunt*) declarabitur, & condemnabitur.

Audiatur quid reſpondeat, & ſi renuerit reſpondere, notetur hæc contumacia, & poſtea procedatur hoc modo.

Tertio monitus ab Adm. R. P. Provinciali &c. ut recedat à contumacia, & iterum pluries, & pluries monitus, ut reſpondeat, vel ſe defendat ſub pœna convicti criminis, confeſſi delicti, & tamquam de Notorio delicto, ac declarationis incurſarum pœnarum comminatarum, tanquam convictus, confeſſus, & incurſus in pœnas, ut in Actis juxta tenorem culparum, ut in proceſſu, tamquam inobediens, rebellis, & obſtinatus condemnabitur.

Si perſiſtat in obſtinatione, ſic dicendum erit.

Non obſtantibus monitis, comminationibus, declarationibus, proteſtationibus, terminiſque aſſignatis, & aliis, ut in Actis omni meliori modo &c. Semper tamen in in ſua obſtinatione, pertinacia, & contumacia permanſit, quibus viſis, & maturè perpenſis, Adm. R. P. &c. de conſenſu P. P. Deffinitorum, ſeù diſcretorum Patrum decrevit, prout preſenti decreto decernit, nè delicta impunita remaneant ad ulteriora procedere contra dictum f. N. &c. Reum prætenſum, contumacem, ac pro ultimo peremptorio termino illum citare, & in Iudicium vocare, ut reſpondeat ad id de quo legitimè interrogabitur, prout in proceſſu. (*ſi ſit conſtituendus; ſi non*) ut ſe defendat à culpis, ut in proceſſu, & repertoriis exhibitis, quæ recipere noluit, & de contumacia, & obſtinatione; & alia, quæ ſunt de Iure præſtanda, hoc & omni meliori modo. In quorum fidem &c. Datum &c. *Subſcriptiones.*

Deindè citandus eſt, aut vocandus in Iudicium cum clauſula pro ultimo peremptorio, & eſt ei aſſignandum tempus, ut ſe defendere poſſit, & ſi noluerit reſpondere in termino præfixo, elapſo termino citetur ad audiendam ſententiam diffinitivam, quæ publicanda eſt coràm Teſtibus, juxtam formam inferiùs ſuo loco ponendam.

Et

Et tandem adverte, quod triplex monitio eſt neceſſaria, & triplex contumacia, & debet in Actis de ea conſtare antequam citetur ad diffinitivam ſententiam: quoad terminos autem ei concedendos. Dicunt aliqui, quòd monitiones poſſunt eſſe ſucceſſivè, ita tamen, ut currat tempus 24. horarum poſt tres illas monitiones, ſi procedatur ſummariè, antequam citetur ad diffinitivam ſententiam audiendam; ſi non ſummariè debet fieri trium dierum intervallo, antequam citetur ad ſententiam. Alii volunt, quòd pro una quaque vice currat tempus 24. horarum, ſi procedatur ſummariè, & per viam articulorum: & trium dierum ſi Iuridicè, & per aliam viam non ſummariam. Utraque ſententia eſt probabilis præcipuè inter Religioſos, ultima tamen eſt tutior. Et dies Citationis, & dies, in qua cadit terminus aſſignatus non includuntur ſub termino. Forma, qua in tali caſu uti poteſt tam quoad Decreta, quàm quoad ſententiam, videbis ſupra, ac infra ſuo loco.

Forma incipiendi proceſſum contra Apoſtatam per Judicem Ordinarium.

In nomine Domini. Amen.

§. 1. Cùm ad aures P. N. de N. Provincialis hujus Provinciæ N. pervenerit, (*explica quomodo pervenit*) F. N. de N. noſtri Ordinis Laicum, ſeù Sacerdotem per furtivam, ſeù nocturnam egreſſionem è Conventu N. habitu detento, vel relicto ſequutam tali die . . etc. Apoſtaſiam commiſiſſe. Idcircò ſuo muneri ſatisfacere volens, decrevit, prout præſenti Decreto decernit, ſe velle in tali Cauſa procedere, informationes ſumere, teſtes examinare, & cætera, prout nunc ſtant, quæ ſunt de Iure peragere uſque ad retentionem, ſeù ſpontaneam reditionem ipſiuſmet Apoſtatæ; ad cujus effectum ſibi in Actuarium elegit P. N. de N. de fidelitate, & ſecreto juratum, cum proteſtatione tamen illum mutandi toties, quoties opus fuerit. Dat. in Conventu N. die . . . &c.

Ita eſt f. N. Provincialis. Ego f. N. Actuarius.

Si ſpontè redit proſequendum erit, ut infra.

§. 2. Attenta ſpontanea reditione prædicti F. N. &c. ſequuta die . . . . &c. Volens prædictus P. Provincialis procedere ad ulteriora, ipſum F. N. in primo loco decrevit abſolvere à vinculo excommunicationis, quo ligatus tenetur ob dictam Apoſtaſiam, & poſtea ipſum conſtituere, & examinare de modo, forma, & cauſa dictæ Apoſtaſiæ: pro cujus Decreti exequutione mandavit, quòd idem f. N. una ſimul cum aliis Religioſis hujus Conventus in publico Refectorio proficiſcatur, ſuiſque locis Ordine ſtantibus iſtis, ille autem velut Apoſtata coram eis conſtitutus, & genuflexus per ſpatium unius Miſerere flagellatus fuit, adhibitiſque aliis cerimoniis, prout mos eſt noſtræ Religionis illum abſolvit à prædicto vinculo excommunicationis hac die . . . in Conventu N.

Ita eſt f. N. Provincialis. Ego f. N. Actuarius.

Si verò non ſpontè, ſed coactè ideſt per capturam, vel alio modo conductus fuit ad Religionem, ſic erit dicendum.

Cùm

§. 3. Cùm Apoſtulo teſte, Iudex gladium portet, in laudem bonorum, & ad vendictam malefactorum, acciderıtque diebus præteritis, ut F. N. timore Dei poſtpoſito Apoſtaſiam commiſerit, prout ſupra expreſſum fuit, nec ſpontè, ſed coactè redierit ad Religionem; cùmque facilè de fuga ipſius timeri poſſit: propterea nè Iuſtitiæ locco deſit, utque eius punitio cæteris tranſeat in exemplum, virtute præſentis Decreti decernimus, & mandamus, ipſum f. N. in carcerem ad cuſtodiam detrudi, nec indè exire poſſit, niſi de præciſo noſtro Ordine, & mandato. Sicque decernimus, & mandamus hac die . . . In Conventu N.

Ita eſt F. N. Provincialis. Ego f. N. Actuarius.

§. 4. Die . . In Conventu etc. Volens præfatus P. Provincialis procedere ad ulteriora, & devenire ad abſolutionem prædicti F. N. juſſit illum excarcerari, ac in publico Refectorio conduci, ibique coram Religioſis hujus Conventus ſuis locis Ordine diſpoſitis genuflexus per ſpatium unius Miſerere fuit flagellatus, adhibitiſque aliis cerimoniis juxta normam noſtræ Religionis per dictum P. Provincialem à vinculo excommunicationis abſolutus fuit, qua abſolutione peracta iterum fuit in Carcerem deductus animo continuandi in Cauſa uſque ad ſententiam diffinitivam &c.

Ita eſt f. N. Provincialis. F. N. Actuarius.

Forma abſolutionis reperitur in noſtris Conſtitutionibus in formulario Regularis Inſtituti cart. mihi 162. Poſtea, ſic erit proſequendum.

§. 5. Die . . . etc. In Conventu etc. Coram P. Provinciali vocatus comparuit (*vel ſi eſt carceratus dicatur eductus de Carcerilus*) comparuit f. N. noſtræ Religionis Laicus ætatis ſuæ annorum ut ipſe dixit, ... Religionis verò . . . & delato ei juramento de veritate dicenda, prout Iuravit tactis Sacris Scripturis ad opportunas Interrogationes reſpondit ut infra.

Int. Come, e con qual occaſione ſi ritrovi in queſto Convento di N? ℟. etc.

Int. In qual Convento ſtia di famiglia? ℟. etc.

Int. Se ſempre ſia dimorato in queſto Convento? ℟. etc.

Int. Se mai, e con quale occaſione ſia partito da eſſo? ℟. etc.

Int. Se quando è uſcito di Convento habbia ſempre havuto il Compagno, e ſe mai ſia uſcito ſolo? ℟. etc.

Int. Per qual parte del Convento ſia uſcito? ℟. etc.

Int. Se quando è uſcito di Convento in tal forma haveſſe la dovuta licenza, e benedittione del Superiore? ℟. etc.

Int. Per qual Cauſa, e con qual mottivo ſia uſcito in tal guiſa ſenza licenza, e Compagno? ℟. etc.

Int. Dove ſia andato? ℟. etc.

Int. Quanto tempo vi ſia dimorato? ℟. &c.

Int. Se ſia ſtato in altro luogo, e dove? ℟. &c.

Int. Se habbia in tal tempo depoſto l' habito proprio dell' Ordine e veſtito altro, e qual ſorte d' habito habbia veſtito.

Int. Come poi ſia ritornato alla Religione? ℟. &c.

Int. Che mottivo habbia havuto di ritornare? ℟. &c.

Et

Et alias Interrogationes faciet Iudex, prout melius expedire videbitur, & poſtea, ſic terminabit Conſtitutum.

Quibus habitis dimiſſus fuit (vel reductus fuit in Carcerem) cum præcepto de ſilentio tenendo, animo tamen & intentione illum iterum examinandi ſi, & quatenus, ac quoties opus fuerit. Et lectum confirmavit, & propria manu ſubſcripſit. die . . . &c. quibus ſupra.

Ego f. N. Provincialis. Ego f. N. Laicus. Ego f. N. Actuarius.

Et ſic continuabit uſque ad terminationem Cauſæ juxta regulas ſuo loco traditas.

Forma incipiendi proceſſum in ſimili Cauſa per Judicem Delegatum.

In nomine Domini. Amen.

§. 6. Cùm nuper per poſtam Ordinariam ab Adm. R. P. N. Provinciæ N. Miniſtro Provinciali, P. N. de N. accepiſſet literas Commiſſoriales ſequentis tenoris, videlicèt, (*hîc deſcribantur literæ*) quibus mediantibus ipſi P.N. committitur facultas procedendi in Cauſa Apoſtaſiæ f. N. de N. noſtri Ordinis Laici, ipſumq; à vinculo excommunicationis per dictam Apoſtaſiam incurſæ abſolvendi juxta formam, & ritum noſtrarum Conſtitutionum, ac inſuper inquirendi de dicta Apoſtaſia ſequuta die . . . . prout latiùs in dictis literis. Idcircò ſuo muneri ſatisfacere volens tenore præſentis Decreti decrevit, prout de facto decernit, & determinat dictum F. N. in primo loco abſolvere ab eodem vinculo excommunicationis quo innodatus tenetur, & poſtea ipſum conſtituere, & examinare de modo, forma, & cauſa ejuſdem Apoſtaſiæ, ac omnia alia præſtare, quæ de Iure præſtanda erunt. Et quia de idoneitate, ſufficientia, & fidelitate P. N. de N. plurimorum confidit, ipſum ſibi in Actuarium inſtituere, & eligere decrevit, prout de facto inſtituit, et elegit, ſervata tamen ſibi facultate illum mutandi toties, quoties opus fuerit. Dat. in Conventu N. die etc.

Ita eſt f. N. etc. Ego f. N. Actuarius etc.

§. 7. Volens igitur præfatus P. N. in executione prædicti Decreti devenire ad abſolutionem F. N. mandavit, ut una ſimul cum aliis Religioſis hujus Conventus in publico Refectorio ſe conferat, iſtiſque ſuis locis Ordine ſtantibus, ille verò velut Apoſtata coram ipſis in medio Refectorio genuflexus fuit per ſpatium unius Miſerere, flagellatus, adhibitiſque, aliis cerimoniis juxta morem noſtræ Religionis à prædicto vinculo excommunicationis eum abſolvit. Acta ſunt hæc in Conventu N. hac die . . . .

Ita eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Formula abſolutionis habetur ubi ſupra &c.

Et ſi aliqui Teſtes eſſent examinandi nec uſque modo examinati forent, hîc eſſent examinandi. Et poſtea Iudex procedere poterit ad examen Apoſtatæ juxta

juxta ſuperius tradita in §. 5. & ſi non habet facultatem procedendi ulteriùs ad ſententiam, ſic dicet.

§. 8. Et quia prædictus P. N. facultatem non habet procedendi ad ulteriora in hac cauſa: Acta ipſius virtute præſentis Decreti decrevit traſmittere Superioribus hujus Provinciæ N. prout de facto remiſit, retenta ſibi tamen copia autentica ipſorum Actuum cuſtodienda in Archivio hujus Conventus N. Dat. in eodem Conventu die . . . . &c.

Ita eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Si autem habet facultatem procedendi uſque ad ſententiam diffinitivam incluſivè, aſſignatis diſſenſionibus Reo, & eo audito cum ſuo Conſiliario procedet ad ſententiam abſolutoriam, vel condemnatoriam prout de Iure juxta formulas inferiùs poſitas mutatis mutandis etc.

DE

DE TESTIBUS IN GENERE

TRACTATUS TERTIUS

DE EXAMINE TESTIUM.

Regula prima.

§. 1. QUoniam manus Teſtium publicum eſt, & ex ipſorum depoſitionibus totum judicii robur dependet, ūndè indiciorum, et probationum fortitudo dimanat, ideò prudens Iudex antequam ad illorum examē procedat, multa ab ipſo ſunt attendenda. Ut ergo Iudex poſſit ſuum officium rectè exercere, debet primò benè attendere ad interrogatoria ipſis facienda, et habere perfectā notitiam facti, de quo agitur cum omnibus circunſtantiis, et qualitatibus ſuis. Item ſcire debet omnia indicia, quibus poſſit delictum probare, et prætenſum reum convincere. Ordinem, et peritiam in examinando Teſtes Iudex demonſtrabit, ſi inceperit ab univerſalioribus, et levioribus, et non ſtatim ad immediata deveniet: et poterit uti illis circunſtantiis, quibus utuntur Confeſſarii, quærendo de perſonis, loco, tempore, conteſtibus, certitudine, cauſa, ſcientiæ, fama; ſeù Cur, quando, quomodò, quibus auxiliis, quibus præſentibus. Et qui non reddunt cauſam ſcientiæ ſui dicti, ſivè ex ſe, ſivè interrogati nullo modo illis fides adhibenda eſt; in hoc enim tota vis teſtimonii conſiſtit. *Bald. in l. ſolam. C. de teſtib. Ambroſ. l. 1. c. 2. l. teſtes, l. teſtium ff. de teſtibus.*

§. 2. Nominati à teſtibus examinandi ſunt, ſi commodè fieri poteſt. Sin autem, notetur in proceſſu cauſa, quare examinati non ſint. *Menoch. conſ. 98. n. 5. & 6.* Et ſicut ex officio debet Iudex quærere defenſionem criminoſi, & examinare Teſtes etiam à Delatore non productos *l. ſi non differant de pœnis*. Sic etiam ex officio poteſt repellere Teſtem etiam ſi non petatur, ſi appareat non eſſe idoneum: *ut notat Bover. in ſuo tract. de teſt.* Et poteſt interrogare teſtes de certa hora rei geſtæ, etiam elapſis ſex menſibus; quia non præſumitur oblivio, niſi elapſo biennio. *Ricc. deciſ. 25. 1. parte ex ca. Si Teſtes 4. q. 3.* Præterea attendere debet Iudex, quòd Teſtis ſit vocatus, vel citatus, vel à parte productus, & non ultroneus; nam iſte tamqùam ſuſpectus non debet admitti ſine tortura. *l. præsb. C. de Epiſc. & cler. Bart. in l. ex libero. ff. de quæſt.* Et ſuſpectus etiam dicitur, quando deponit ſine interrogatione Iudicis, vel ultra interrogata. *Guaz. def. reor. 19. c. 6. n. 2. 3. 4.*

§. 3. Secundò ex parte Iudicis requiritur, quòd Teſtem, quem de ſe vocavit,

 admo-

admoneat de obligatione quam habet ad dicendam puram, & integram veritatem, & ejus depoſitiones pariter integras, & cum iiſdem verbis etiam barbaris ab Actuario excipi, & deſcribi debent, nihil addendo, vel diminuendo: ſecùs faciens pœna falſarii Actuarius ipſe erit puniendus *c*. 1. *extra de crim. falſi Clar. q.* 23. *Far. n. qu.* 80. *n*. 27. Si opus ſit alios Clericos, ſivè Religioſos, vel Sæculares examinare, id non fiat ſine expreſſa ſuorum Superiorum licentia reſpectivè, quibus etiam ex conſenſu Superiorum prædictorum initio examinis juramentum exhiberi debet Iudex, aliàs nihil probant. *Inciſ. tract.* 7. *de teſtib. c.* 6. Verum tamen eſt teſte Farin. *q.* 61. *num*. 84. & 134. Quòd ſi abſque dicta licentia eſſent examinati, & ſpontè juraſſent valeret eorum depoſitio, ſed ad effugiendam controverſiam melius eſt habere licentiam. Apud Regulares tamen non eſt de hac re curandum; quia ſunt apices Iuris, & non faciunt ad ſubſtantiam probationis ex mente Bordon. *in prax. crim. cap*. 16. *n*. 8. Immò ſi eſſent graviſſimæ perſonæ omni exceptione majores ſivè ſint Regulares, ſive Sæculares eorum depoſitionibus, etiam non juratis, ſtandum eſſe, rationabile eſt. *Bort. in prax. tit*. 21. *c*. 24. *n*. 7. Et in noſtro modo procedendi *in* 4. *ſubſtant. n. mihi* 123. hoc remittitur ad arbitrium Iudicis, qui tamen advertere debet dictum talium Sæcularium etiam in Actis relatum, eſſe tantùm dictum unius Teſtis ſingularis auditum extra judicium, & non juratum, etiam ſi plures tale dictum referant. Cauti nihilominùs ſint noſtri Prælati, & Iudices, (ut ipſos monent noſtra ſtatuta *in* 2. *ſubſt. n. mihi* 95.) nè peccatum, quod eſt adhuc occultum fiat manifeſtum ex modo procedendi ad Teſtium examen præſertim Sæcularium, cum ex tali modo publicandi delicta multoties majus præjudicium Religioni inferatur, quàm utile; & plerumque magis expediens videatur talia delicta ſecreta, & non diffamata, licèt alias per Teſtes probari poſſint, niſi ſint graviſſima, impunè dimittere, quàm punienda Religioni, & ſæculo nota facere.

§. 4. In principio examinis Teſtium notanda ſunt Nomen, Patria, Ætas, Religionis tempus, gradus, ſtatus. Item ſi ex officio aſſumitur, ſi à parte eſt exhibitus; & jurare debet ante examen de veritate dicendi tacto pectore ſi eſt Sacerdos, vel tactis ſcripturis ſi non eſt Sacerdos integrè pro utraque parte tàm pro reo, quàm contra reum. Quòd tamen ſub ſigillo ſecreti, aut conſilii, aut auxilii poſcendi gratia quis noverit, neque denunciare, neque in judicio tanquam teſtis aperire, niſi aliundè ſciverit, valet; nè in damnum publicum ſecreti commiſſio cedat: Niſi in Reipublicæ, vel alterius grave præjudicium tale ſecretum vergeret, quòd deindè reparari non poſſet. *Cordub. l.* 1. *q.* 43. *dub.* 2. *Navar. in manul. c.* 25. *n.* 46. *Leſſ. de juſt. & Iur. l.* 2. *c.* 30. *dub.* 6. *Inciſa tract.* 7. *c.* 8. Item in principio examinis notetur in Actis dies, menſis, annus, & locus in quo teſtis examinatur. Et ſi Iudex interrogando Teſtem noverit eſſe ſuſpectum, debet illum diligentiùs interrogare perſcrutando à quibus fuerit vocatus, vel inſtructus, aut cùm quibus. Locutus antequam deponeret, & debet ſtudere, ut eum in verbis capere poſſit; interrogando etiam de circumſtantiis extrinſecis, nempè, quibus veſtibus erat ille inductus, an tempus eſſet clarum, vel nubiloſum &c. & non ſufficit, ut dicant teſtes articulum eſſe verum, niſi reddant ſufficientem rationem contentorum in articulo. *Guaz. def. reor.* 28. *c.* 11. *n.* 1.

§. 5. Et præcipuè animadvertere debet Iudex, ac procurare non ſolùm ut probationes luce meridiana clariores appareant, quales in criminalibus requiruntur; ſed etiam ut interrogatoria ſint dilucida, clara, & benè intellecta, non confuſa, non ambigua; ex his enim evenire ſolet, quòd examinatus unum pro alio deponat. Item debent eſſe diſtincta, præciſa, & particularia: non enim Iudex debet in uno interrogatorio de duabus rebus interrogare; neque in una interrogatione multa quærere; quia Teſtis, & Reus ſæpè allucinantur, & decipiuntur in ſuis reſponſionibus. Et ſi deponeret trepidando, vel ſudando, aut prætimore tabeſcendo, hæc, & alia ſigna, ex quibus aut falſitas, aut incoſtantia deprehendi poſſit, ſingillatim deſcribi curabit ab Actuario omnia exprimendo hiſce verbis *prout ipſemet ego vidi*. Et inſuper opus eſt, ut ſe gerat Iudex cum magna prudentia, & ſedulitate, maximè ubi proſpiceret aliquam ſuboriri ſuſpicionem falſi, vel conſpirationem adverſus aliquem: ideò advertat, quòd teſtes omnes ſecretè, ſingulariter, & ſingillatim ſunt examinandi, & diligenter interrogandi; ut dicitur in noſtro modo procedendi *in 4. ſubſt. n. mihi* 146. Et examen teſtium ſimul examinatorum eſt nullum. *Guaz. loc. cit. def.* 14. *c.* 2. *n.* 6. Ubi dicit idem eſſe ſervandum in confrontatione Teſtium cum reo.

§. 6. Teſtis in Criminalibus deponere debet viva voce, & non in ſcriptis *c. Teſtes* 3. *q.* 9. etiam ſi legat ſcripturam. *c. Relatos* 5. *q.* 2. An autem deponere viva voce ſit de ſubſtantia proceſſus, an verò Apex Iuris. Felin. Covar. & Sayr, quos citat, & ſequitur Fagund. *lib.* 8. *Decalog. c.* 40. *n.* 6. ſupponunt, quòd ſit Apex Iuris, dum dicunt ſcriptam depoſitionem tradere poſſe Iudici cum juramento coràm quo eam legit, quandò res eſt valdè intricata, quòd etiam poteſt facere perſona graviſſima. Et Farin. *q.* 80. *n.* 40. dicit, quòd Iudex non contradicentibus partibus poteſt admittere depoſitionem teſtium per relationem ad ſcripturam, & talis depoſitio valet apud illos Iudices, qui procedere poſſunt omiſſis Iuris ſolemnitatibus. *Farin. ibid. n.* 52. Et licèt admittere, & recipere poſſit Iudex hanc ſcripturam, ut aſſerunt Doctores citati ab eodem Farin; attamen puto, quòd Iudex poſſit, & debeat Teſtem, qui ſe refert ad Scripturam, interrogare de circumſtantiis neceſſariis ad integram depoſitionem, ut rem dubiam, obſcuram, vel intricatam in ſcriptis productam, viva voce clariùs explicet, & declaret. Fides etiam viri optimæ famæ non facit fidem in Iudicio *l. ſolam C. de teſtib. cap. Atteſtantes de ſponſal. impuber. Ricc. in prax. for. Eccl. p. par. reſol.* 401. niſi in caſu, in quo ſufficiunt leviores probationes, & concurrunt adminicula *idem Ricc. ibid. deciſ.* 99. *n.* 1. quòd maximè procedit, *ut ajunt noſtra Statuta in* 2. *ſubſtant. n. mihi* 96. quando prædictæ fides ab alio quocumque præterquam ab ipſo Iudice fuerint immediatè in actu Iudicii receptæ, vel quando ipſo Iudice inſcio, aut ipſo non agente fuerint ab aliis, ut præſumitur extortæ: cùm ex admiſſione illarum plura, ut experientia docet, oriantur incommoda in grave præjudicium tùm juſtitiæ, tùm innocentiæ eius contra quem tales fides ab ipſis ad quos non ſpectat ex officio, & extra debitum tempus anxia nimis ſolicitudine procurantur. Et admiſſæ nullam faciunt fidem, niſi in Iudicio recognoſcantur, & medio juramento confirmentur ab ipſomet, qui illas fecit. Periti in arte in ſcriptis teſtificari poſſunt, & ſuam depoſitionem in ſcriptis redactam

 tradere

tradere Iudici. *Felin. in cap. de teſtib. n. 11. verſ. fallit.*

§. 7. Quando Iudici aperitur via ad inquirendum generaliter de delinquente, non interroget Teſtes pro veritate habenda in ſpecie, ſed generaliter aliàs eſſet ſuggeſtio aperta; & ideò non debet interrogare An Petrus percuſſerit, vel vulneraverit Paulum in tali loco, in tali modo, con tali enſe, ſed in genere, ſcilicèt, Quiſnam fuit ille, qui vulneravit, vel percuſſit Petrum, in quo loco, in qua parte corporis, quo genere armorum? &c. Undè debet Iudex in interrogatoriis procedere per gradus, cavendo à ſuggeſtivis interrogatoriis à Iure prohibitis: itàut Teſtis ſive Reus non deponat per artem, induſtriam, vel inſtructionem Iudicis; talis enim depoſitio, vel confeſſio nihil valet, cùm ſit extorta per mendacia, & contra formam Iuris deducta, ac per conſequens invalidum reddit proceſſum. *Bict. q. 8. n. 6. & 7.* Ad evitandam ergo dictam ſuggeſtionem duo præſertim ſervare debet Iudex. Primum, ut anteà Teſtes, ſeù Reum interroget, ut dixi in genere, & ſuper generalibus, & deindè paulatim ad qualitates, & circumſtantias, ac demum ad ipſum delictum in ſpecie: Quare præſertim damnantur tanquam ſuggeſtiva, interrogatoria exprimentia circumſtantias v. g. An percuſſerit pugione in pectore, ſed interrogare debet. An percuſſerit? In qua parte? In quo loco? quibus præſentibus? Qua de cauſa? Quomodo? quando? & quibus armis? &c. Et licèt quando Reus, vel Teſtis torqueretur contra certam perſonam poſſit in ſpecie de illa perſona interrogari: non poteſt tamen interrogari de modo, & circumſtantiis delicti; putà, Non nè percuſſit ſic, vel ſic? Eſſet enim hæc illicita ſuggeſtio; ſed tantùm poterit interrogari generaliter, quando, quomodo, & in qua parte corporis. Et licèt quando adſunt ſpecialia indicia contra aliquem, tunc Teſtes de illo in ſpecie poſſint interrogari ſine timore ſuggeſtionis. *Bart. in l. prima §. ſi quis quæſt. ff. de quæſt. & alij.* Attamen in dubio an eſſet aperta via ad interrogandum ſpecialiter, non poteſt Teſtis interrogari in ſpecie de modo, & circumſtantiis delicti. Item illicita eſt ſuggeſtio, dum Reo, vel Teſtibus leguntur aliorum Teſtium depoſitiones, quando in illis ſpecificatur delictum, & circumſtantiæ eius. Si verò Teſtis, vel Reus negaret veritatem in Actis probatam ſaltim ſemiplenè; tunc Iudex licitè poteſt deſcendere ad minima, & particularia, non ad ſuggerendum, ſed, ut ſi quid oblitus eſſet, recordetur, vel ad convincendum, ut crimen ſuum detectum agnoſcat: quæ omnia prudentiæ interrogantis remittuntur. Et ad hos effectus non modò paulatim nominantur Teſtes, & depoſitiones eorum; ſed etiam aliquando confrontantur Teſtes cum ipſo Reo ad faciem, ut ſuo loco adnotabimus. Alterum neceſſarium ad evitandam ſuggeſtionem eſt, ut antequam Iudex ad examen accedat, capita omnia ſuper quibus de Iure interrogare poteſt ſibi ſeorſim in quadam cedula deſcribat, eaque præ oculis in examinando habeat, nè prout tenetur, nullum ex illis capitibus intactum relinquat; nevè ultra ea interrogando ſe diffundat. Neque Iudex in principio examinis fingere poteſt ſe delictum ſcire, ferè omnia narranda, & ſic Teſtem, vel Reum inſtruere; quia hæc eſſet peſſima ſuggeſtio, quæ nullum redderet proceſſum. De ſuggeſtione autem palliata, videbimus infra cum de interrogatione Reorum agemus.

§. 8. Et licèt Provinciales poſſint creare Notarios, ſeù Actuarios intra Ordinem

nem pro cauſis criminalibus ſubditorum. Attamen in ipſis cauſis criminalibus ad offenſam debent Iudices ipſi per ſe examinare teſtes, vel ex noſtro modo procedendi *n. mihi* 146. alicui vices ſuas in ſcriptis committere. Et in re gravi, *teſte Guaz. def. rer. 32. c. 25. n.* 2; niſi adſit commiſſio de recipiendis teſtibus, vel examinandis ſignata manu, vel ſigillo Iudicis, non creditur Notario, vel Actuario, aliàs hujuſmodi depoſitio non nocet Reo. *Maſc. concl.* 348. *n.* 52. *Farin. q.* 81. *n.* 43. *Guaz. def.* 1. *c.* 6. *n.* 12. Et tutiùs eſt, quòd in graviſſimis cauſis non committatur Actuario examen. Et quia noſtri Actuarii non ſunt illius auctoritatis, cujus ſunt Tabelliones, optimè decernunt noſtra Statuta *n. mihi* 140, ut Iudex in examine Rei, aſſumat ſecum alterum fratrem maturum, qui Rei conſtituto ſubſcribat. Et debent Iudices teſtes examinare diligenter de omni eo, de quo poteſt reprobari, & ſuper quolibet articulo ſui dicti, & ſuper negotio principali, & ſuper omnibus circumſtantiis non occultis, quærendo de ſingulis cauſam ſcientiæ, & debent examinare de perſonis, loco, tempore, viſu, auditu, credulitate fama, certitudine, & de omnibus circumſtantiis, quæ poſſunt movere animum Iudicis ad ſententiandum; fideliterque quæcunque depoſita fuerint tàm pro Reo, quàm contra Reum ſcribere. Caveantque ſub interminatione Divinæ vindictæ Iudices, ne receptis pro fiſco favorabilibus, relinquant vel interrogationes opportunas, vel dicta Teſtium in favorem Reorum; omnia enim deſcribi, & interrogari debent, quatenùs cognita veritate, & reis pœna, & innocentibus liberatio concedatur. Et finito examine Iudex præcipere debet Actuario, ut illud alta, & intelligibili voce legat teſti ipſius depoſitiones: & ſi aliquid addi, vel minui, vel declarari voluerit, antequam ſubſcribatur depoſitio, ex integro apponendum erit per extenſum: & confirmato examine ab ipſo teſte ſe ſubſcribat una ſimul cum Iudice, & Actuario, ac ipſi teſti præcipiat Iudex, ut ſecretè teneat ſuum dictum, uſque ad publicationem proceſſus.

De Teſtibus in ſpecie, & primo de Teſte Unico. *Regula II.*

§. 1. DEpoſitio unius Teſtis in Criminalibus non probat. *Cyriac. controv.* 444. *n.* 43. *Grat. diſcep. q.* 73. *n.* 48. & eſt vulgatum, quòd teſtis unicus quicumque ſit, nec de Iure poſitivo, nec divino plenè probare dicitur. *can. licet univerſis. Can. veniens, & can. in omni negotio de Teſtibus. can. admittere* 33 *q.* 5. & *can. fin.* 35. *q.* 5. quòd magis ampliandum eſt in criminalibus, ubi agitur de gravi alterius præjudicio. *l. fin. C. de quæſt. Maſc. de probat. lib.* 1. *concl.* 120. *Farin. q.* 63. *n.* 3. & *n.* 7. & præcipuè ad condemnandum juxta illud dictum unius, dictum nullius, præſumptionem tamen procul dubio facit. *Bict. q.* 43. *n.* 3. Adſunt tamen nonnulli caſus, in quibus Teſtis unicus valet, & probat; & primò, quando non agitur de alicujus præjudicio, nec in minimo nocet *gloſ. in c. licèt de Teſt.* & in hoc caſu, quando, ſcilicèt, deponit de proprio facto ſine alterius præjudicio, adminiculis, & præſumptionibus cum tali Teſte concurrentibus plenè probat. An autem adminicula pertingant ad ſupplendam plenam fidem hujus Teſtis arbitrio Iudicis re-

remittitur. *Biſt. ibid. n. 7.* Sine adminiculis, & præſumptionibus, ſi eſt omni exceptione major facit pluſquam ſemiplenam probationem. In officiali tamen, & perito deponente id, quod ad ſuum officium pertinet, talis enim licèt Unicus plenè probat dummodo non agatur de intereſſe ejuſdem officialis, & periti. Secundo probat quoad leviores pœnas, prout ſunt pœnæ, quæ ſalutari modo imponi ſolent in Religionibus. *Card. de Lugo tom. 2. de juſt. diſp. 39. n. 17.* Nam in caſibus minimis admittitur probatio per unum Teſtem *Cravet. conſ. 182. nu. 15. Tuſch. lit. T. conc. 281. nu. 45.* Item probat, quando agitur de probando aliquod delictum, in quo impoſſibile eſt habere plures Teſtes, vel ſaltim difficile, aut quando alii non intervenerunt *l. 1. §. fin. ff. de verb. obligat. Bertaz. conſ. 106. n. 8.* Tertio probat quando agitur de probanda innocentia Rei, quæ plenè probatur per unicum Teſtem *Cravet. conſ. 2. n. 16. Maſc. concl. 904. n. 10. & concl. 491. n. 17. 18. Farin. conſ. 60. n. 2.* Fallit tamen regula, quando probatio Rei eſſet de directo contraria probationi Fiſci, aut Accuſatoris. *Beſſ. de excep. contra Teſtem n. 17. Farin. q. 63. n. 43.* Item ſufficit unicus Teſtis ad excuſandum Accuſatorem à pœna talionis *Marſil. ſing. 47. n. 2. Tuſch. concl. 280. n. 11.* Quarto probat unicus Teſtis à Fiſco productus, ſi contra Fiſcum deponit, etiam ſi deponat de credulitate, & auditu. *Cravet conſ. 188. n. 5. & conſ. 201. num. 7.* Item deponens contra corrumpentem ſi producitur ab eo contra quem fuit corruptus probat. *Marſ. 112.* Quinto probat, quando teſti unico, accedit veriſimilitudo. Item in teſte unico pro informatione Curiæ examinato in criminalibus aliquid deponente in favorem Rei; Sicuti etiam ad convincendum alium teſtem de mendacio, quando eſt dignior: & convictus de mendacio ex dicto alterius dignioris, licèt ſolus, poteſt torqueri; ut communiter docent omnes.

§. 2. Et tandem Teſtis unicus omni exceptione major, qui deponit immediatè de delicto facit indicium ad torturam, ut ex infra dicendis melius patebit. *In delictis verò occultis*, & difficilis probationis non eſt neceſſe, ut ſit omni exceptione major; vel quando inquiſitus eſt levis vitæ; ut criminoſus, & malæ famæ. Vel quando Iudex habet amplum arbitrium; quia is torqueri poterit ex dicto teſtis unius non omni exceptione majoris *Alex. conſ. 65. n. 9. Decian. conſ. 63. n. 6. & alii.* Et ſufficit unus teſtis non integer cum adminiculis ad pœnam extraordinariam *Corrad. de off. præter. rubr. de negat. crim. n. 54. Rot. apud Farin. deciſ. 244. num. 4. p. 1.* Sunt alii caſus, in quibus creditur teſti unico, relati uſque ad 30. à Specul. *tit. de teſtibus.*

De Teſtibus Singularibus. Regula III.

§. 1. TEſtis ſingularis ille propriè dicitur, qui in ſua depoſitione conteſtem non habet, vel ſi habet non eodem modo deponit: non dixi Teſtem, ſed conteſtem ad differentiam inter teſtem ſingularem, & unicum. Iſte namque comitem habere non poteſt, nec unquam ad dualitatem aſcendit: ille verò non excludit mille teſtes, dummodo non ſint conteſtes. Semper enim teſtes ſingulares dicendi ſunt, dum non ſunt conteſtes. Singularis tripliciter exiſtere poteſt: primò

Admi-

Adminiculativè, ſive cumulativè ad cumulandum circa idem; ut ſi unus deponat de viſu, alter de auditu; unus de facto, alius de fama; unus de hac confeſſione, alter de alia, dummodo tamen inter eos nulla ſit repugnantia. ſed per diverſa media, vel diverſis conjecturas ad eundem finem tendunt; ità poſt alios *Farin. q. 64. n. 6.* Secundò diverſificativè dicuntur, quando Teſtes de diverſis artibus deponentes inducunt diverſitatem in re, in effectu, & ſubſtantia; ut ſi unus de alapa in tali loco, & tempore, alter de altera in alio loco, unus in horto, alter in Dormitorio; iſti enim non ſunt contrarii, quia deponunt non de uno, ſed de diverſis actibus: Sicuti è contra dicuntur conteſtes, quando inferunt identitatem facti. *Idem n. 26.* Tertiò obſtativè dicuntur, dum inter eorum dicta eſt repugnantia, ſeù contrarietas in actu non reiterato, licèt reiterabili, & contrarietas eſt in ſubſtantia, vel in circunſtantiis eſſentialibus; ut ſi unus de uno, & eodem loco, & alius in alia deponat loco. Quæ ſingularitas potiùs dicitur contrarietas, quàm ſingularitas, & huiuſmodi teſtes potiùs ſunt contrarii, quàm ſingulares; quia ſe ipſos reprobant. *Bertaz. conſ. 8. n. 47. & 33. 53. & conſ. 41. nn. 11. 12.* Nam tempus, & locus ſunt de ſubſtantia actus, quando depununt de uno crimine numero; undè ſi diſcordant in loco, & tempore nihil probant: cùm impoſſibile ſit unum delictum numero, factum eſſe in diverſis locis, & temporibus: & quando unus deponit de loco delicti, & alter dicit ſe non recordari non probant; quia faciliùs Teſtes debent recordari de loco, quàm de tempore. *Bertaz. conſ. 251. num. 28.*

§. 2. Teſtes ergo ſingulares plenè non probant ad condemnandum pœna ordinaria, probant tamen ſemiplenè ad torturam, & ad condemnandum extraordinariè. ſed nunquam plenè; ut ſi alter deponat de facto, alter de confeſſione extrajudiciali non reſultat plena probatio: At ſi cum Teſte deponente de veritate facti, duo alii conteſtentur confeſſionem extrajudicialem, ex his duobus ſemiplenis plena reſultaret probatio. Poteſt tamen Iudex præſtare plenam fidem teſtibus ſingularibus, maximè quando videt probationem eſſe veriſimilem, & etiam faciunt plenam probationem Iudicis arbitrio, quando tendunt ad eumdem finem. *Farin. q. 37. n. 39. Et Bajar. ad Clar. q. 53. n. 39.* aſſerit, quòd ſi Teſtes ſingulares inducunt Iudicem ad indubitatã fidem, non debet curare illam ſingularitatem. Item Teſtes ſingulares de diverſis ſingulariter deponentes actibus probant in genere; quòd talis v. g. ſit adulter, ſed non in ſpecie de certo adulterio, & licèt non ſufficiant ad infligendam pœnam ordinariam, ſufficiunt tamen ad aggravandum Reum contra quem deponunt, ut acriùs torqueatur, & ſeveriùs puniatur. *Clar. q. 33. n. 19.* Immò in factis, & delictis reiterabilibus Teſtes ſingulares deponentes de diverſis actibus, ſingulis de per ſe inferentibus crimen, & factum illud, de quo agitur, teſtes ſingulares probant, & ſi ſunt omni exceptione majores, ſufficiunt ad condemnationem ordinariam pro motu Iudicis. *Pereg. conſ. 2. n. 59.*

§. 3. Teſtes ſingulares ſingularitate adminiculativa regulariter loquendo non probant quoad pœnam ordinariam, ſed tantùm quoàd pœnam arbitrariam; nam faciunt pluſquam ſemiplenam probationem; quia dum unus Teſtis integer deponit de viſu, & alter de fama, vel alio indicio, primus facit ſemiplenam probationem, & alter Teſtis adjunctus facit aliquem gradum probationis, &

auget

auget fidem, & credulitatem: ordinariè tamen loquendo non probant quoad pœnam ordinariam: ità communiter Doctores. Attamen ſi deponunt ſuper diverſis partibus, ex quibus totum reſultet, plenè probant ipſum totum, dummodo expreſsè capitulatum ſit de partibus, & ipſæ partes per conteſtes probatæ ſint. Item deponentes de diverſis actibus, diverſis loco, & tempore factis plenè probant in genere, & in ſpecie junctis aliis adminiculis, & maximè in his, quæ ſunt difficilis probationis. *Bict. q. 44. n. 30. 32. 36.*

§. 4. Teſtes ſingulares diverſificativi, idèſt, loco, & tempore, tantùm probant, quantùm unus; ſi tamen eorum alter eſt omni exceptione major; & conſequenter ſemiplenè probant, dummodo inter eos non ſit tanta diverſitas, ut contradictionis imaginem in ſe habeant, tunc enim nec ſemiplenè probarent. Et de his loquitur noſter modus procedendi, dum dicit, ne quis per teſtes ſingulares, idèſt, diverſificativos, condemnetur, vel alicui pœna infligatur: ſed tantummodo Reus ad veritatem dicendam arctetur. Ad excipiendum autem à dignitate Guardianatus, Deffinituratus, Provincialatus, ſufficit ſi teſtes ſingulares fide digni quinque, vel ſex deponant de pluribus actibus eiuſdem ſpeciei. Teſtes diverſificativi in loco, & tempore dum probant actum iterabilem per hoc non tollitur eis de fide, & maximè quando agitur de probando, quòd actus iterabilis ſit iteratus, ſi verè iteratus ſit. Secùs ſi ageretur de probando unum actum iterabilem, non tamen iteratum: tunc enim diverſi in loco, & tempore nihil probant: ſi verò actus eſſet inreiterabilis, erunt ſuſpecti de falſo. Diverſitas autem in loco, & tempore in actibus continuis & ſucceſſivis non reddit teſtes ſingulares, ità ut non ſolum probarent pluſquam unus ſed plenè probarent; ut ſi v. g. per foramen portæ unus poſt unum viderunt cubantem cum muliere. *Innoc. Ioa. And. in c. qualiter & quando. l. 2. de accuſat.* Item teſtes ſingulares licèt diverſi in verbis, in circunſtantiis, in redditione rationis, vel in modo narrandi, ſi concordes ſint in ſubſtantia, & ſic tendant ad eundem finem ſemiplenè, & etiam pluſquam ſemiplenè probant; ut ſi teſtes dubitativè deponerent de tempore, vel de loco, & non benè recordantur; putà, ſi unus dicat, quòd fuit menſe Maii, & alter credo, quòd fuit de menſe Iunii, tunc enim non præſumuntur ſingulares, aut diſcordes. *Cravet. conſ. 78. n. 9. Farin. q. 64. n. 83.* Aut quando diverſitas, & diſcordia eſſet in modico tempore, quæ non inducit ſingularitatem. *Farin. ibid. n. 84.* Dicendum eſt igitur, quòd Teſtes ſingulares diverſificativi, ſi omnes ſunt omni exceptione majores, unuſquiſque facit ſemiplenam probationem in ſuo actu, quem deponit. *Gloſſ. in L. admonendi, & ibi Bart. n. 36.* Quæ ſemiplena probatio ſufficit ad delinquentem interrogandum, carceri mancipandum, & torquendum. *Clar. q. 21. n. 2. Miran. de ord. iud. q. 17. a. 8.*, quamvis nulla alia indicia ſive gravia, ſive levia concurrant. *Rom. conſ. 451. n. 4. Gom. tom. 3. c. 13. n. 7. Farin. q. 57. n. 54. 58.* Hinc eſt, quòd ſi duo Teſtes de eadem prorſus iterabilis delicti ſpecie contra eundem deponunt, faciunt pluſquam ſemiplenam probationem; undè contra eumdem oritur vehemens, & violenta ſuſpicio de tali delicto. *Caet. 2. 2. q. 7. a. 2. Pegna in Com. in verb. omiſſa 13. parte dicet Inquiſitionis.*

De

De Teſtibus inter ſe contrarijs. Regula IV.

§. 1. Teſtes ſingulares obſtativè, ſive contrarij, etiam ſi mille eſſent, ac omni exceptione majores nihil probant, immò ſe invicem deſtruunt; quia dum unus alteri contradicit, alter alterius fidem deſtruit, & ſunt illi, qui contraria deponunt, quæ inter ſe coaptari non poſſunt. *Farin. q. 65. n. 2.* Et quando plures vincunt pauciores, & conſtat verum deponere, poſſunt puniri tanquam falſarii. *Farin. ibid. n. 6. 7.* Et poteſt Iudex inquirere ſuper falſitate, quando duo tantùm ſunt contrarii; quia ſtante hujuſmodi contrarietate, non conſtat, quis eorum falſum dixerit, undè datur materia Iudici inquirendi, quis eorum falſum dixerit. *Idem ibid. n. 9.* Et patefacta veritate falſus debet puniri. *Boſſ. tit. de falſ. nu. 23.* Et magis ſuſpecti torqueri poſſunt. *Farin. n. 10.* Et regulariter falſa præſumuntur teſtimonia, quando teſtes de eadem re interrogati contraria atteſtati ſunt. *Pariſ. conſ. 53. n. 20. & conſ. 61. n. 10. Ricc. deciſ. 125. nu. 1. pract. 2.* Non tamen dicuntur contrarii, quando unus plus altero deponit; prout ſi unus plus vidit, vel audivit: neque ſi diſcordant in qualitatibus, & circumſtantiis acceſſoriis, remotis, & non ſubſtantialibus, licèt in iſtis fides minuatur. *Farin. deciſ. 249. nu. 18. Souſa lib. 1. c. 6. n. 13. Sperel. deciſ. 81. nu. 52*; niſi aliquo modo pertineant ad cauſam. *Farin. q. 65. à n. 16. uſque ad 22.* vel niſi ſint ſuſpecti; quia tunc contrarietas etiam in circumſtantiis obeſt: Vel niſi circumſtantiæ tendant, & ordinentur ad inducendum faciliùs Iudicem ad credulitatem negotii principalis, nam tunc varietas eſt ponderanda, & tollit fidem teſtibus. *Bert. conſ. 3. n. 15.* Et ſic patet, quòd contrarietas conſiſtit principaliter in qualitatibus ſubſtantialibus, & non acceſſoriis &c.

§. 2. Immò melius probant Teſtes concordes in ſubſtantia, & diſcordes in verbis, quàm ſi eſſent etiam concordes in verbis; quia in tali caſu præſumuntur ſubornati, ac per conſequens tanquam de falſo ſuſpecti nihil probant. *l. 3. §. 1. ff. de Teſtib. Farin. q. 65. n. 24.* niſi Teſtes eſſent bonæ famæ. *idem n. 25.* Vel niſi teſtes examinati eſſent plures. *idem n. 27.* Si autem verba diverſam rem ſignificant, non ſunt conteſtes, nec quando vis eſſet in verbis, quia ſi in iſtis diſcordant, nihil probant. *idem n. 28.* Et Iudicis arbitrio remittitur, quando teſtes, qui deponunt per eundem præmeditatum ſermonem, ſint ſuſpecti, vel non. *idem ibid. n. 26.* Neque cenſentur diſcordes, quando Teſtes in eorum depoſitionibus reddunt diverſas cauſas, & rationes ſcientiæ, vel diverſo modo narrant factum, ſuper quem deponunt, dummodo concordant in facti ſubſtantia, vel tendant ad eumdem rei finem, ſecùs ſi ad diverſum. *Farin. ibid. nu. 29. 30. 31. 32.* Nec dicuntur contrarii, quando contrarietas eſt modica, licèt in ſubſtantialibus, nec tollit fidem. *idem n. 34.*

§. 3. Et tandem regula generalis eſt, quòd teſtibus hinc indè contrariis, & inter ſe contradicentibus ſtandum eſt magis depoſitionibus plurium teſtium, quàm paucorum, ſi ſunt æquales in reliquis. *c. in noſtra verſ. mandamus & ibi gloſ. in verb. adverſa extra de teſtib. & c. licèt cauſam verſ. ex præmiſſis extra de probat. Farin. cum alijs citatis q. 65. n. 107.* Et data paritate in numero teſtium, Teſtes Rei præferuntur teſtibus Actoris etiam ſi eſſent minus digni. *Farin. q. 62. nu. 158.*

Si verò teſtes pauciores eſſent digniores, vel deponerent veriſimiliora, tunc magis creditur ipſis, quàm aliis, dummodo tamen veriſimilitudo eſſet tanta, ut Iudex arbitretur pauciores præferri pluribus. *Idem ibid. n.* 120. *& ſeqq. & à n.* 130. *uſque ad* 135. Nam teſtes deponentes veriſimiliora magis probant, quamvis ſint minus digni, pauciores, inhabiles, & minus idonei: efficiuntur enim integri, & idonei, quando deponunt ſuper veriſimili, & ſuper eo, quod præſumitur. ità communiter Doctores *apud P. Did. p.* 4. *c.* 12 *n.* 20. Immò, quando Teſtes pauciores deponerent pro Reo, alii autem numero plures contra Reum magis creditur illis paucioribus. *Farin. q.* 65. *n.* 157. Item magis creditur Clericis, quàm Laicis; maſculis, quàm fœminis; & Virgini, quàm Viduæ; dummodo tamen Laicus, fœmina, & vidua non deponerent ad favorem Rei, quia in tali caſu magis creditur iſtis, quàm illis: quia ſemper magis creditur teſtibus deponentibus pro cauſa favorabili, quàm deponentibus contra. *Farin. ibid.* 177. *& ſeqq.* Et denique, quando Teſtes ſunt varij inter ſe, poteſt Iudex uni potiùs, quàm alteri, vel ratione dignitatis, vel cauſæ favore, vel veriſimilitudinis credere *Ricc. reſol.* 230. *nu.* 2. dummodo tamen ex Actis reſultet cauſa ſufficiens, & rationabilis, per quam potiùs adhæret teſtibus unius partis, quàm alterius. *Farin. ibid. n.* 193. *& ſeqq.* Quam cauſam non tenetur in Actis exprimere. *Idem ib. d. n.* 198.

De Teſtibus idoneis. Regula V.

§. 1. TEſtes idonei, & omni exceptione majores dicuntur illi, qui nulla legitima exceptione repelli poſſunt, nec quoad perſonam, nec quoad dictum *gloſ. in c.* 1. *de conſang. & affinit. & ibi Abbas nu.* 5. Qui ergo deponunt de viſu, vel de auditu, aut de alio corporis ſenſu, itàut concludant non ſolùm de ſcientia, & cauſa ſcientiæ illius facti de quo deponunt, ſed de loco, & tempore, & aliis circunſtantiis, quibus nulla exceptio opponi poſſit, ut à teſtimonio repellantur, ſive ut illorum depoſitio inficiatur, dicuntur omni exceptione majores. *gloſ. in c.* 1. *de Teſtib.*: Undè ſufficit, ut ſint immunes à quatuor ſcilicet.

§. 2. Primò à crimine; ſecundò ab infamia; tertiò à ſuſpicione; quartò à manifeſta macula. *Farin. q.* 62. *n.* 25. *cum aliis ab eo citatis*. Et unus Teſtis talis ritè, & rectè examinatus in criminalibus facit indicium ad torturam, quando deponit de delicto immediatè per viſum, vel per alium ſenſum corporeum. Secùs ſi deponit ſolum de indicio *Farin. ibid. n.* 80. *&* 324. *c. veniens & c. cum à nobis de teſtib. Abb. in c. bonæ mem. de elect. c. licet de Teſtib.* Ad hoc ergo, ut unus teſtis ſolus faciat indicium ad torturam duo copulativè requiruntur ſcilicèt, ut ſit omni exceptione major, & quod deponat immediatè de ipſo delicto per aliquem ſenſum corporalem. Et advertat Iudex, quòd omnis macula quantumvis minima, & defectus impedit, ut Teſtis dicatur omni exceptione major, & non faciat indicium ad torturam ſive macula ſit in dicto. ſive in perſona. *Farin. q.* 36. *num.* 255. *ubi alios citat*, quia modicus defectus, immò leviſſima præſumptio impedit ſemiplenam probationem. Duo teſtes omni exceptione majores immediatè de delicto deponentes ſufficiunt in criminalibus ad condemnandum. *c. quod verò q.* 5. *c. omni negotio*

de

de teſtibus. Et ſi unus eorum eſt inhabilis non ſufficiunt ad condemnandum. *Farin. q. 62. n. 345*. Et ille teſtis, qui ſemel approbatus eſt, non poteſt amplius reprobari. *l. ſi quis. C. de teſtib. & ibi Barboſ. qui multos Doctores citat*.

De Conteſtibus. Regula VI.

§. 1. Teſtes conteſtes dicuntur illi, qui de eodem facto, loco, tempore, perſonis, & circunſtantiis neceſſariis. (& ſi non in omnibus accidentalibus concordantes, nè conſpiratio videatur) jurati, & omni exceptione majores in Iudicio deponunt per ſenſum corporeum, & duo ſufficiunt ad plenè probandum, convincendum, & condemnandum. *c. quod verò 2. q. 5. c. in omni negotio de teſtib. c. cùm eſſes. c. relatum eodem argumento*. Et advertat Iudex quòd quandò Teſtes poſſunt conjungi ad unum quid commune probandum non ſunt ſingulares, ſed conteſtes. *Bald. in l. de quibus n. 37. ff. de legib. Farin. cum aliis ab eo citatis q. 64. nu. 26*; & quando concordant in identitate facti, licèt diſcordent in reliquis non ſunt ſingulares. Et qui per æquivalentia verba deponunt de eò, à quo tota vis negotii pendet ſunt conteſtes, licèt in cœteris, quæ negotium ipſum circunſtant, pugnent.

§. 2. Si duo Teſtes conveniant in ſubſtantialibus, licèt poſtea unus deponat de die præciſo, & alter dicat ſe non recordari, & tempus non eſt de ſubſtantia actus, ſunt conteſtes, & ſufficiunt ad condemnandum. *D. Th. 2. 2. q. 70. a. 2*. Secùs verò ſi unus dicit v. g. die lunæ, & alter aſſertivè dicat die Martis; tunc enim dicuntur ſingulares, maximè ſi factum eſt reiterabile; non autem ſi factum eſt tale, quod non poſſit bis fieri. *Leſſ. de juſt. & Iur. lib. 2. c. 30. dub. 4. n. 33*. Et quando deponunt de loco, & tempore dicuntur conteſtes, etiam ſi deponerent diverſo modò de genere armorum. Item quando agitur de actu ſucceſſivo, ſeù continuo, licèt teſtes in eorum depoſitionibus non ſint concordes loco, & tempore, nihilominùs ſunt conteſtes, & plenè probant. *gloſ. in c. nihilominùs in verb. ſimul. verſ. ſi tamen aliquem actum continuum 8. q. 2. Felin. in c. licet ex quadam col. 4. ff. de jur. jur. &c.* Undè ſi quis per foramen unum poſt alium copulam carnalem, vel alium actum vidiſſent, dicuntur conteſtes.

§. 3. In dubio Teſtes præſumuntur conteſtes, & non ſingulares, etiam ſi in conteſtes ſe non nominarent, nec recordarentur de aliorum præſentia, & dixerint in Iudicio ſe non recordari de conteſtibus, modò concordant in loco, tempore, & facto. Nec reputantur ſingulares, quorum unus alterum in conteſtem nominat, alter verò non vocat eum: & poſſunt etiam eſſe conteſtes, licèt unus dicat, quòd nullus alius erat præſens; quia debet intelligi, quòd ipſe viderit, vel ſciat. Si unus, vel duo Teſtes interrogati de aliquo actu, dicat, vel dicant ſe interfuiſſe illi actui ſimul cum Titio, & Seio; & poſtea iſti dicant ſe nihil ſcire: in iſto caſu teſtes non dicuntur contrarii; quia ſtat ſimul, quòd ipſi interfuerint, & non intellexerint, quæ ibi agebantur. Et ſi primi teſtes deponentes de viſu ſunt duo, non per hoc tamen vitiatur illorum dictum ex contrario dicto aliorum duorum, dummodo ſint in ſufficienti numero, & qualitate ad probandum. ità communiter Doctores. Item Teſtes deponentes per verba dubia, cum aliis deponentes de tempore, & re certa

ſunt conteſtes. *Bertaz. conſ.* 41. *n.* 27. *ex Alex. conſ.* 146. *lib.* 5. *n.* 11. Et tandem Teſtes numquam dicuntur ſingulares, quando concluſivè unus dicit, quòd alter. *Bich. q.* 42. *n.* 17.

De Teſtibus ex auditu deponentibus. Regula VII.

§. 1. TEſtes de auditu, alii ſunt de auditu alieno (qui propriè vocantur teſtes de auditu) alii de auditu proprio, & immediato. Primi regulariter non probant; quia non deponunt per proprium ſenſum, nec de cauſa ſcientiæ, & in criminalibus nec faciunt præſumptionem, aut indicium, niſi eſſent duo in crimine aſſaſſinij concurrentibus etiam adminiculis. *Farin. q.* 69. *n.* 19. Et debent nominare auctores à quo audierint, & hoc ante litis conteſtationem: & debent examinari nominati à Teſtibus aliàs non probant. *Idem ibid. n.* 92. Et ſi teſtes nominati contrarium dicunt, non creditur illis, à quo nominati ſunt. *Farin. deciſ.* 337. *n.* 5. 13. Item in iis, quæ ſunt difficilis probationis, & in occultis probant concurrentibus aliis adminiculis, ſi plures ſunt teſtes, & exprimatur Auctor in depoſitione, & hæ ſimul junctæ probant ad pœnam extraordinariam. *Farin. q.* 99. *n.* 48. *& ſeqq.* & ad torturam *Felin. alleg.* 5. *n.* 8. *p.* 1. *Caren. p.* 3. *tit.* 6. *n.* 14. Debent tamen hujuſmodi Teſtes eſſe omni exceptione majores, & debent exprimere quòd ità ſit, quòd depoſuerunt ex auditu alieno. *Farin. ibid. n.* 99.

§. 2. Teſtes de auditu proprio probant tàm in civilibus, quàm in criminalibus; non ſolùm ſi deponant affirmativè; prout quandò deponunt ſe audiviſſe verba contumelioſa ab aliquo in alium illata ipſis præſentibus, & audientibus, ſed etiam negativè: putà, ſi deponerent ſe fuiſſe præſentes, & non audiviſſe aliquem dicentem verba contumelioſa &c. Et ut teſtes de auditu proprio probent, requiritur, ut agatur, de re, quæ per ſenſum auditus percipitur. Quæ autem non per auditum, ſed per viſum percipiuntur, non ſufficit teſtimonium de auditu, ſed requiritur teſtimonium de viſu. De re autem, ſeù actu perceptibili per viſum, teſtis de auditu probat, quando auditus non eſt omninò improportionatus; ut ſi v. g. teſtis deponat audiviſſe ſub tenui pariete, vel cortina, quòd vir, & mulier coibant, & commiſcebantur, licèt non videret, probat; quia actus proportionatus viſui, convenit etiam auditui: copula enim carnalis eſt actus proportionatus cum ſenſu auditus, non tantùm propter ſonum, ſeù ſtrepitum commixtionis, ſed etiam propter blanditias verborum, jucundos anhelitus, & amatoria ſuſpiria in illo actu intervenientia. Item probari etiam poſſunt tergiverſationes, oſcula, cubilis motionem, & ſimilia. *Farin. q.* 69. *num.* 63., quòd maximè procedit, quando talis vir, & talis mulier ſoli erant in cubili, & nullus alius ad ipſos intrare poterat, quin teſtes vidiſſent: & tunc unus ſufficit ad torturam ſi eſt omni exceptione major. Sed ſi ſoli non fuiſſent in camera, aut ad illos, vel in eandem cameram alii potuiſſent introire, abſque eò, quòd viſi fuiſſent à teſtibus; tunc Teſtes de auditu non probant, ſed ſolùm faciunt præſumptionem. Et ſic in quolibet alio ſimili caſu, in quo teſtis non potuit videre delinquentem, vel propter impedimentum, vel propter tenebras, ſi notam habet vocem, probat *Albert. in l.* 2. §. *idem & multi alij.*

Et

§. 3. Et licèt in criminalibus adhuc ſit quæſtio inter Doctores: An teſtes de proprio auditu ex cortina, vel pariete probent? Et aliqui negent etiam in caſu, quo teſtis infallibiliter cognoſcit vocem loquentis, quòd maximè procedit, quando teſtis deponit ſe cognoviſſe vocem alicujus loquentis, vel clamantis in magno rumore, & tumultu rixantium; in quo caſu unus ſolus non facit indicium ad torturam; quia non eſt teſtis integer, cùm ei aliqualiter fides diminuatur; & per conſequens duo non ſufficiunt ad condemnationem. Nihilominùs non deſunt Doctores aſſerentes, quòd in tali caſu unus teſtis probat, ſi alius eſt omni exceptione major; & per conſequens, quòd unus teſtis facit indicium ad torturam, & duo ſufficiunt, ad condemnandum, & huic opinioni adhæret Clarus *q.* 21. *n.* 3. Attamen hæ opiniones conciliari poſſunt, quòd prima procedat, & habeat locum, quando deponens de auditu, eſſet talis, qui de facili poſſit decipi in voce ſecunda verò, quando propter familiaritatem, & notitiam non videtur, quod teſtis falli poſſit. Et Iudicis arbitrio remittitur, quando teſtis habeat notam loquentis vocem. *Fariu. quæſt.* 69. *num.* 170.

§. 4. Nec ſufficit, quòd teſtis interrogatus dicat, audivi vocem talis, quia eam notam habeo; ſed oportet ut dicat, notam habeo vocem ejus; quia cum eò ſæpius fui converſatus, & eum loquentem, & clamantem ſæpiùs audivi. *Cravet. conſil.* 2. *n.* 4. Et quando deponit de clamore, non ſufficit dicere, quia notam habet vocem, ſed oportet ut dicat, quòd notum habet ejus clamorem; quia vox communis, & familiaris eſt diverſa à voce clamatoria *Cravet. ibid. Farin. ibid. n.* 172. & 174. Et regulariter teſtes de auditu proprio, ut probent requiruntur adminicula. *Aret. in c. cum Cauſam extra de teſtib. n.* 24.

De Teſtibus de Credulitate deponentibus:
Regula VIII.

§. 1. TEſtis de credulitate eſt ille, qui per verbum *Credo*, vel *non credo*, vel *firmiter credo*, vel *mihi imaginor*, deponit, & nihil certi, & de cauſa ſcientiæ, vel credulitatis affirmat: & iſte non probat, nec præſumptionem facit. *Marſil. ſing.* 19. *n.* 1. Et ratio eſt, quia ſcientia teſtis debet eſſe certa, & non opinativa. *Bald. conſ.* 466. *lib.* 4. *n.* 2. Quòd etiam procedit, ſi dicat ſe pro certo credere, & præcipuè ſi deponit per verba dubitativa, vel per verbum arbitror; quia niſi addat cauſam ſcientiæ, & rationem concludentem per ſenſum corporis non probat: Vel ſi dicat *mihi videtur*; & *in conſcientia mea*; quia ſic potiùs indicat, quàm teſtificet, niſi reddat cauſam ſcientiæ ſui dicti etiam non interrogatus. Idem ſi deponat per Verbum plus, vel minus; quia dicitur dubitativè deponere. Aut per dictionem *circa*, vel *plus*, vel *ultra*, niſi ſuam depoſitionem declaret, & multò magis ſi deponat titubando, ità communiter Doctores. Et iſtis teſtibus de credulitate deponentibus non eſt dandum tempus ad deliberandum *gloſſ. in cap. quoſdam extra de præſumpt.* Et ideò non probat, quia teſtis depoſitio debet de neceſſitate concludere præſertim in criminalibus. *Boſſ. tit. de oppoſit. contra teſtes. n.* 45. Si tamen con-

concludant præſumptivè præſumptione Iuris probant; ut ſi teſtis deponat ſuper fama, vel infamia, & reddat cauſam ſcientiæ, nimirùm quia eſt vicinus, cùm de Iure vicinus præſumatur ſcire conditiones vicini.

§. 2. Ex his patet, quòd quando teſtes deponunt de credulitate, vel per verbum *arbitror*, aut *judicio meo* &c. reddere debent cauſam ſcientiæ concludentem; ut ſi diceret *credo, quia vidi, vel quia audivi. Bald. conſ. 219. lib. 4. & aly.* Vel ſi adducat aliam concludentem rationem; quia tunc creditur. Et ſi tale dictum de credulitate junctum eſt rationi, vel præſumptioni inferenti ità credi debere, probat. Sicuti è contra non creditur, quando Teſtis dicit ſcire aliquid, & eſſe verum, & poſtea in reddendo cauſam ſcientiæ dicit, quia credit. Si verò teſtis in primo examine deponit per verbum credo, & poſtea in repetitione teſtificata deponeret certitudinariè tunc creditur, dummodo non adſit ſuſpectus de ſubornatione, quia ſtatur declarationi. *Bald. conſ. 152. lib. 1.* Et etiam creditur teſtibus, quando deponunt per verbum credo in favorem defenſionis. *Bertaz. conſ. 26. n. 1. conſ. 18. n. 18. & conſ. 121. n. 2.* ac ſimul probant ad defenſionem Reorum, etiam ſi nullam reddant cauſam ſcientiæ credulitatis per ſenſum corporeum concludentem. *Barboſ. in cap. Quoties n. 8.* licèt Farin. *q. 68. n. 75.* contrarium teneat, & dicat, quòd teſtis debet afferre cauſam rationabilem ſuæ credulitatis. Item creditur medico, obſtetrici, & ſimilibus perſonis, quæ in arte ſua ſunt peritæ, quæ probant, ſi dicant, ità declarare, & arbitrari; vel credere, aut Iudicare. *Farin. ibid. n. 95. Barboſ. loc. cit. num. 13.*

§. 3. Creditur quoque quando teſtis de credulitate deponit ſuper præſumptione appropriata actui, & proxima ſenſui per quem veritas percipitur. v. g. ſi deponat aliquem commiſiſſe fornicationem, quia vidit ſolus cum ſola, nudus cum nuda in lecto jacentes, vel ſe ipſos oſculantes, aut impudicè tractantes. *Farin. q. 68. n. 93.* Secùs autem ſi allegaret cauſam remotam, dicendo, quia vidit illos ſimul confabulantes in via. Item creditur in iis, quæ directò probari non poſſunt, & in materia non certitudinaliter cognoſcibili; ſicuti in iis, quæ ſunt difficilis probationis, & alia, quæ corporis ſenſu non percipiuntur. *Farin. ibid. num. 81. 84.* In quo caſu tria concurrere debent; primò, ut adducat cauſam, ſeù rationem eum moventem ad ſic credendum. Secundò, ut ratio ſit fundata in cauſa proxima, & ſenſibili. Tertiò, ut firmet ſuam depoſitionem, dicendo ità firmiter credo. *Farin. ibid. num. 110. 115. 116.* nihil dubitando. Et tandem, ut teſtis de credulitate deponens probet, neceſſe eſt, ut credulitas, ſive credendi ratio in eo eliciatur ex actibus, ex quibus homines communiter aliquid factum fuiſſe præſumunt, aut veriſimiliter credunt. *Abb. in cap. Quoties. de teſtib. Ricc. in prax. variar. reſol. 231. n. 1.*

De Teſtibus falſis. Regula IX.

§. 1. TEſtis falſus dicitur ille, qui mendacium deponit in judicio cum juramento juridicè interrogatus: & iſte non probat, nec facit indicium ad inquirendum; quia fides ei non adhibetur, & de falſo punitur *l. nullum in fine. C. de teſtibus, & ibi Bald. n. 3. in 2. notab.* Et ſola ſuſpicio falſitatis ſufficit ad negandam fidem

fidem teſtibus. Immò ſufficiunt conjecturæ, & præſumptiones de falſo, ad hoc ut teſtis non probet. *Farin. q. 67. n. 56. 58. 62. 75.* Suſpectus autem de falſo dicitur ille, qui in conteſtes nominat mortuos, quia videtur ità eos nominare timens falſitatem probari, ſi viventes nominaſſet. Et ſuſpectus pariter de falſo dicitur teſtis, ſi ipſe ſolus de crimine deponit, quando eſt tale, quòd veriſimiliter probari poteſt per alios teſtes. Sicuti etiam ille, qui deponit ſe vidiſſe de nocte non reddens rationem, quantumvis non interrogatus, quòd lumen erat accenſum, aut luna lucebat, & idcircò non probat. Nec ſufficit dicere, quia luna ea nocte lucebat, ſed debet dicere, quòd luna lucebat hora commiſſi delicti, & inſuper addere debet ſe cognoviſſe, quia erat vicinus: nam diſtantes non probant; habet enim luna, & lumen artificiale radios lugubres, & per hoc teſtes debent eſſe vicini, ut videant. Non tamen eſt neceſſe reddere rationem, quando alii teſtes eum expoſuerunt: & quia talis teſtis non eſt omni exceptione major, ideò non concludit, nec ſufficit ſine adminiculis ad torquendum. Item deponentes per præmeditatum ſermonem ſunt ſuſpecti de falſo, & præſumuntur ſubornati, niſi agatur de probando formalibus verbis: aut teſtes ſint probatæ vitæ, & integræ opinionis, quòd Iudicis arbitrio remittitur, aut ſint plures quàm numerus neceſſarius, putà, tres, vel quatuor; quia ex numero teſtium tollitur ſuſpicio reſultans ex præmeditato ſermone. Sicuti etiàm falſitatis ſuſpicione laborat ille, qui ſe ingerit in cauſa, & qui reſpondit ultra interrogata, aut deponit id, quod nullus ſcit, niſi ipſe; aut quòd eſt conſcius totius facti, & de eo interrogatus non vult deponere niſi partem, tacendo reliqua ſubſtantialia, & idem dicitur de teſtibus inter ſe contrariis, & variis circa ſubſtantialia, licèt in facto conveniant; iſti enim omnes ſunt ſuſpecti de falſo.

§. 2. Falſitas autem tria eſſentialia requirit, nempè, dolus, mutatio veritatis, & quod alteri noceat: & qui in uno eſt falſus circa factum principale, vel circa ſubſtantias proximas ad cauſam pertinentes, vel circa qualitates ſubſtantiales tota eius depoſitio vitiatur. *Clar. q. 53. n. 9. Farin. q. 67. n. 111. ubi innumeros citat.* Et dicitur falſum dixiſſe in ſubſtantialibus ſi falſum dixit in loco, & tempore. *idem n.* 140, aut ſuper his, ſuper quibus fuit productus ad probandum. *n.* 184. Et ſuper pertinentibus ad cauſam falſum dixiſſe dicitur quando id, ſuper quo deponit quoquomodo, vel aliqualiter tangit cauſam, vel ad cauſam facit: & falſum in totum reputatur, qui ſive ſcienter, ſive ignoranter falſum depoſuerit; & in dubio præſumitur potiùs ſcienter, quàm ignoranter falſum dixiſſe, ut in totum non probet *Idem n. 141. & ſeqq.* Et ſufficit falſitas in modico, ut arguatur falſitas in reliquis: & falſus reputatur teſtis, qui de eadem re iterùm interrogatus contraria, & repugnantia atteſtatur; quia talis repugnantia arguit dolum, & ideò de falſo punitur. *Ricc. decif. 122. p. 2.*

§. 3. Falſus verò propriè dicitur ille, qui veritatem negat, vel occultat, vel tacet in ſua depoſitione. *Farin. qui multos cumulat q. 67. n. 220.* Quòd ſi poſtea tortus fateatur poteſt de falſo puniri, ſicuti etiam torqueri poteſt, qui veriſimiliter informatus tacet veritatem: & huic tacenti verum æquiparatur teſtis obſcurus. Falſus etiam dicitur, & de falſo punitur, qui doloſè dicti ſui rationem non reddit, vel ſi reddit non concludentem, niſi teſtis eſſet ruſticus, qui neſcit meliorem cauſam,

vel

vel rationem reddere. *Farin. ibid. n.* 221. 222. Qui dicit ſe non recordari de eo, quod vel certum eſt recordari, vel ſaltim debet veriſimiliter recordari, falſus reputatur. *Boſſ. de oppoſit. contra teſtes n.* 95. niſi probabiliter non recordetur propter oblivionem cauſatam, vel à multiplicitate negotiorum, vel à facto non notabili, vel à lapſu multi temporis, vel à ruſticitate, vel à defectu memoriæ. *Farin. ibid. n.* 223. 224. *Bertaz. conſil.* 246. *vol.* 1. Sicuti falſus dicitur, qui deponit obſcurè, verſutè, vel per malitiam, ad hoc ut eius depoſitio producenti non proſit, & de falſo punitur. *Farin. ibid. n.* 225. Et idem dicitur de illo, qui deponit dubitativè per verbum *Credo*, vel *Videtur*, de eo, quod ipſe ſcit. *Idem ibid. n.* 226. Et tandem falſus dicitur, qui de alicujus dicto teſtimonium ferens illud in alio ſenſu, quàm fuit prolatum contra illum, qui dixit, malitioſè deponit, aut minimè integrum referens, aut aſſertivè prolatum affirmans, quòd vel dubitativè, vel recitativè, vel interrogativè dictum fuit. *Ghisl. de jud. reg. c.* 17. *n.* 79.

§. 4. Si teſtis juravit dicere veritatem, & poſt ſuſceptum juramentum de veritate dicenda ſe abſentat, vel ſubtrahit, pœna falſi punitur. *Boſſ. de falſitate n.* 163. & ponit exemplum de eo, qui ſemel examinatus ſubtrahit ſe à repetitione; nam paria ſunt nolle dicere veritatem, & falſum dicere. Falſus quoque dicitur teſtis, quando eſt contrarius confeſſioni partis, & nihil probat; nam magis creditur confeſſioni partis, quàm teſtium confeſſionibus. Eadem pœna falſi punitur, qui accipit pecuniam, vel aliud munus, ut teſtimonium non dicat, ſed ſi non eſſet pretio corruptus, punitur extraordinariè. *Farin. q.* 78. *n.* 134. Item ſi teſtis in primo examine tacet veritatem, quia interrogatus reſpondit ſe neſcire, & in ſecundo examine contrarium dixit poteſt puniri de falſo, niſi ruſticitas, vel defectus memoriæ illum excuſet *Bertaz. conſil.* 246. *vol.* 1. Item convictus de falſo dicitur teſtis, quando ipſemet falſum depoſuiſſe fatetur, vel quando ſive in eodem, ſive in diverſo Iudicio contraria dixit, vel quando alii teſtes numero plures deponunt contrarium. *Ghiſ. ibid. c.* 17. *n.* 83. Quòd ſi unus tantùm contrarium dixerit, neutri credendum eſt. *Farin. deciſ. Rot. Rom.* 337. *n.* 5. Et quoad pœnam extraordinariam præſumptionibus, & conjecturis poteſt de falſo convinci. *Farin. q.* 67. *n.* 75. Si verò falſum dixiſſe convictus fuerit non in ſubſtantialibus, aut circa qualitates ſubſtantiales, ſed in non pertinentibus, aut tangentibus cauſam, non dicitur falſus, nec vitiatur eius depoſitio *Farin. ibid. n.* 168. niſi teſtis juraſſet, reſpondere ſuper omnibus, de quibus fuiſſet interrogatus. Et iſte teſtis falſum dicens ſuper non ſubſtantialibus, & impertinentibus, licèt probet in aliis, non tamen reputatur idoneus, & propter dictam falſitatem diminuitur fides etiam in aliis; ità poſt alios *Farin. ibid. n.* 171. quòd maximè procedit, quando de dictis circunſtantiis expreſsè non interrogatur; ſecùs ſi eſſet interrogatus, & falſum dixiſſet; quia in omnibus falſum dixiſſe præſumeretur. *Farin. ibid. n.* 138. *Bertaz. conſ.* 322. *lit. A. lib.* 2. Si quis poſt eius depoſitionem ſolemniter factam in articulo mortis aſſerat ſe falſum teſtimonium dixiſſe non creditur; & non præjudicat illi in cujus favorem depoſuit, niſi aliundè probetur falſitas depoſitionis. *Farin. q.* 46. *n.* 56. *Bart. Clar. q.* 33. Et idem dicitur de Iudice, qui ſanæ mentis in articulo mortis aſſerat ſe tuliſſe injuſtam ſententiam; non enim talis aſſertio præjudicat ei in cujus favorem tulit ſententiam, niſi

con-

concurrat aliqua alia conjectura; ut fama, rumor, vel aliqua Iuris præſumptio *Farin. q. 46. n. 77. 80. 84.*

§. 5. Pœna falſi ad offenſam eſt talionis *l. 1. §. præterea ff. de ſicar.* maximè quando effectus eſt ſecutus, aliàs pœna extraordinaria punitur. *Farin. q. 67. n. 9.* 10. 14. 17. & 21. Ad defenſam verò pœna ſemper extraordinaria punitur. *Idem ibid. n.* 18. De Iure autem Canonico pœna falſi eſt depoſitio, & in Monaſterium detruſio: & quando proceditur per viam Inquiſitionis Teſtis falſus punitur pœna extraordinaria. *Farin. q.* 150. *n.* 44. Apud nos verò juxta noſtrum modum procedendi *n. mihi* 65. teſtis falſus ad offenſam debet per annum detrudi in carcerem, ad defenſam verò per ſex menſes, niſi mitiori pœna Reus ipſe, ſive principalis veniat puniendus, & tunc carcer in caparonem commutetur. Et idem dicendum eſt, ex dicto noſtro modo procedendi *n. 66.* de Teſte, qui in ſecundo, vel alio Iudicio contraria primo ſuo examini depoſuerit, ſive per fidem juramento firmatam, niſi plenè docuerit de errore; ſuper quibus pœnis non poteſt diſpenſari, niſi per Capitulum generale. Teſtis revelans parti id, quod teſtatus eſt, pœna falſi tenetur. Qui verum deponit, ignorans illud eſſe verum, dicitur falſus. *Farin. q. 67. n. 70.* Et etiam qui deponit verum credendo deponere falſum. *Idem ibid. n.* 73.

De Teſte ſibi vario, vacillante, contradicente dubio, & obſcuro. Regula X.

§. 1. QUamvis nonnulli Doctores diſtinguant inter teſtem vacillantem, varium, & ſibi contradicentem; attamen quia ex *l. qui falſo, vel variè ff. de Teſtib.* hæc quæſtio videtur potiùs de nomine, quàm Iuris, cùm in Iure æquiparentur quoad effectum: ſeù ut dicunt Boſſ. *de teſtib.* Bertaz. Farin. & alii vacillatio, varietas, & contrarietas ſint ſynonyma. Idcircò prætermiſſis omnibus diſtinctionibus, dico, quòd Teſtis varius, vel vacillans contraria deponendo in eodem examine circa factum principale, vel illius circunſtantias principales, & cauſam juſtam, ſeù rationabilem talis contrarietatis non affert, nihil probat nec ad inquirendum, & tamquam falſus reijcitur, & torqueri poteſt ad videndum in quo dicto perſiſtat. ità communiter Doctores. Idem dic, quando variat in circumſtantiis cohærentibus; putà loco, & tempore &c. quoad probationem. Secùs in non ſubſtantialibus. *Farin. q. 66. n.* 20. niſi quando eſſet ſuſpectus; quia tunc Iudex poteſt interrogare etiam in non ſubſtantialibus, & in accidentalibus, & penitùs extrinſecis, & impertinentibus, in quibus ſi reperiatur varius non probat. *Farin. ibid. n.* 25. 28. Variatio facta per errorem, & ignorantiam non tollit fidem, nec per eam poteſt teſtis puniri. Et juſta cauſa erroris eſt oblivio, quæ per biennium præſumitur; & cauſa ignorantiæ in ruſtico, & idiota efficit, ut non poſſit puniri de falſo ob varietatem: nec tollit fidem varietas modica etiam in ſubſtantialibus. *Farin. ibid. n. 32. & ſeqq.* Et quando variatio eſt in verbis, & non in ſubſtantia, nec dolus, nec fraus præſumitur, fides teſtium manet. *Guaz. cum alijs ab eo citatis def.*

P 19.

19. c. 2. n. 7. niſi ageretur de formalitate verborum: quia tunc quælibet varietas noceret, & teſtes varij dicerentur, & infrangeretur eorum depoſitio. Nec minus tollit fidem, quando Teſtis in ſecundo examine plus, aut minus dicit, quàm in primo; quia non videtur ſibi varius, aut contrarius. *Far. n. deciſ. 66. n. 37. & alibi.* Sicut nec Teſtes dicuntur inter ſe varij, quando unus deponit plus altero. *Idem deciſ. 249. n. 12.*

§. 2. Teſtis varius poteſt ſe incontinenter corrigere, *Far n. q. 66. n.* 227. ubi multos citat. Et ſi ſe corrigit in continenti allegando juſtam cauſam erroris, non dicitur varius. Et in hoc caſu ſtatim poterit rurſus interrogari. Et poteſt ſe corrigere etiam poſt perfectum examen dummodo fiat antequam ſit alloquutus cum parte, vel cum alia perſona, à qua pars potuit certiorari de illius depoſitione. Et in hoc regulariter non creditur teſti dicenti ſe cum parte non fuiſſe locutum. Et licèt in continenti ſe corrigens, non teneatur dicere de cauſa erroris, tenetur tamen illam adducere, & allegare; & ſi juſta Iudici videatur, non poteſt torqueri. *Bertaz. conſ.* 153. *n.* 1. *& 7. lib.* 1. aliter correctio etiam in continenti non admittitur. *Farin. ibid. n.* 241. Et non allegando cauſam erroris poteſt torqueri, & reputatur falſus, & tamquam falſus puniri poteſt. *Baiar. q.* 145. *n.* 30. Ex intervallo non admittitur correctio, niſi probet errorem. *Far. n. ibid. n.* 245. aliàs puniri poteſt tamquam perjurus, & falſus. Et ſi non fuit alloquutus cum parte, debet poni in tormentis, & illi depoſitioni, quam confirmat in tortura ſtandum eſt. Et tunc nec ejus dictum ſine adminiculis ſufficit ad torturam Rei. *Clar. q.* 13. *n.* 15.

§. 3. Quando autem teſtis dicatur in continenti ſe corrigere ſunt variæ Doctorum opiniones: & certum eſt, quòd ante perfectum examen, & antequam Teſtis diſcedat à Iudicis conſpectu dictum ſuum corrigere poteſt, & tunc correctio dicitur facta incontinenti; vel antequam teſtis ipſe locutus ſit cum parte, & arbitrio Iudicis relinquitur, qui præ oculis habet teſtium qualitates, temporis intervallum, & omnes circunſtantias; qui Iudex in univerſum debet judicare, quando dicatur incontinenti factum, cùm nihil in Iure ſit determinatum. Debet tamen Iudex advertere, nè ſit facilis in admittenda hujuſmodi correctione ob timorem ſubornationis: Et in dubio poſt triduum à die depoſitionis præſumitur locutus cum parte, & ab ea ſubornatus; & poſt quatuor dies non poteſt teſtis ſuum corrigere examen, nec petere quòd illud ſibi legatur. *Farin. deciſ.* 41. *n.* 2. *p.* 2.

§. 4. Teſtis varius, & contrarius qui facto interfuit in criminalibus poteſt torqueri ad videndum in quo dicto perſiſtat etiam per ſolam variationem nullis aliis indiciis præcedentibus. *Guaz. def.* 19. *c.* 2. *n.* 2. Et quando adſunt indicia contra eum, & ſæpiùs eſt varius, ſæpiùs etiam torquetur, prout quando ob variationem tortus affirmat unum dictum, & poſtea in ratificatione, & repetitione recedit ab illo dicto in tortura firmato, & aliud dicit, iterùm torqueri poteſt, ſed non torquetur ultra tertiam vicem. *Far n. q. 66. nu.* 172. *Guaz. ib d. c.* 13. *n. 6.* Nec torquetur, quando eſt varius in non ſubſtantialibus, niſi ſit aliàs ſuſpectus. Et ut poſſit torqueri ex variatione, vacillatione, & contrarietate debet conſtare in Actis, quòd interfuit facto; vel idem teſtis fateatur, ſe facto interfuiſſe. *Farin. n.* 88. *num.* 103. Nec poteſt torqueri, quando variatio eſt in modico, nec quando veritatem

ritatem aliter Iudex habere poteſt, nec quando teſtis proteſtatur, quòd non intendit primo examini contradicere, & ſi variaverit à primo examine poteſt contingere per errorem. *Guaz. ibid. n.* 11. Et quando Iudici conſtat, quòd teſtis intervenerit maleficio poteſt pluries, & pluries examinare, & repetere, & poterit involvi, & capi in verbis, nec ei erit danda dilatio ad ſuam malitiam inſtruendam, & poterit deindè torqueri. Et ſi teſtis, qui recedit à primo dicto potuerit loqui cum parte, cùm cenſeatur ſubornatus, non debet torqueri ad videndum in quo dicto perſiſtat; quia ob timorem ſubornationis ſtandum eſt primo dicto, ſecundùm receptiorem ſententiam, à qua non eſt recedendum, ut dicunt *Guaz. def.* 19. *c.* 2. *n.* 15. & alii ab eo citati; ſed tantùm debet torqueri pro habenda veritate, à quo fuerit ſubornatus. *Idem ibid.*

§. 5. Sed, ut pleniùs cognoſcatur, an, & quando ſtandum ſit primo dicto teſtis, aut potiùs ſecundo dicto, quando variat. Clarus *q.* 53. ponit quatuor caſus. primus eſt, quando Teſtis dixit unum extra Iudicium ſine juramento, & deindè depoſuit in Iudicio cum juramento contrarium ejus, quod extrajudicialiter dixerat. In hoc caſu omnes concludunt teſte Farin. *q.* 66. *nu.* 93. quòd ſtandum eſt ſecundo dicto jurato, ob juramenti Religionem, & Iudicis auctoritatem, & teſtis in tali caſu non poteſt puniri de falſo: Sed ratione depoſitionis extrajudicialis non juratæ debet puniri pœna extraordinaria criminis ſtellionatus. ita poſt multos Doctores. Bajard. *q.* 53. *n.* 26. Poſſunt tamen dari caſus, in quibus ſtandum erit primo dicto extrajudiciali, primò, quando illud dictum extrajudiciale habet plures præſumptiones pro ſe, & contra ſecundum dictum Iudiciale urgent conjecturæ, & præſumptiones. *Farin. ibid. num.* 216. ubi numero ſequenti refert alios dicentes neutri credendum eſſe. Quòd ſi ex veriſimilibus conjecturis probabile ſit poſteriùs teſtimoniũ Iudiciale non ità eſſe veriſimile, ut primum extrajudiciale: tunc non erit ſtandum nec dicto Iudiciali, nec extrajudiciali; quia fides hujuſmodi teſtis eſt debilitata, & teſtis erit torquendus & creditur dicto in tortura habito, & confirmato, & illud attenditur, etiam ſi primum dictum extrajudiciale cum juramento emiſſum fuerit, ſicut ſecũdum judiciale; in quo caſu cùm utriuſq; fides obſcuretur, neutri dicto credendũ eſt, & hujuſmodi Teſtis puniri debet de perjurio, & de falſo. *Farin. ibid. n.* 211., & etiam torqueri ad eruendam veritatem. *Guaz. def.* 19. *c.* 2. *n.* 2., & quòd ratum habet in tormentis, illud attenditur. Secundò, quando primum dictum extrajudiciale eſſet tempore actus geſti emanatum; tunc attenditur primum dictum extrajudiciale, & ſecundum dictum Iudiciale cenſetur emanatum ad partis ſubornationem. *Farin. q.* 66. *n.* 223. *& ſeqq.* Advertat tamen Iudex, quòd in omni eventu, in quo attenditur potiùs ſecundum dictum Iudiciale, quàm primùm extrajudiciale, ſemper remanet debilitatum ex primo dicto extrajudiciali; undè ex tali dicto non poteſt ſumi indicium ad torturam contra Reum, (quòd intelligitur ſine aliis adminiculis) & ubi duo teſtes eſſent, ſine aliis indiciis, non poteſt ferri ſententia condemnatoria. *Farin. ibid. n.* 226.

§. 6. Secundus caſus eſt, ſi Teſtis extrajudicialiter dicat contrarium ejus, quòd primò Iudicialiter depoſuerat, tunc ſtandum eſt primo dicto Iudiciali, etiam ſi talis revocatio fieret in articulo mortis. *Clar. q.* 53. *n.* 12. *Menoch. in caſu* 108. *n.* 19.

20. *Farin. q. 96. n. 204. 205.* Si tamen tria concurrerent in ſecundo dicto extrajudiciali, nempè veriſimilitudo dicti, cauſa revocationis primi dicti Iudicialis, & quòd in articulo mortis ità dixerit, ſtandum erit huic dicto extrajudiciali. *Farin. ibid. n. 210.* Tertius caſus eſt, quando teſtis in uno Iudicio deponit contrarium ejus, quod depoſuit in alio Iudicio, & in hoc caſu ſecundùm communiorem opinionem ſtandum eſt primo dicto. *Clar. ibid. Seraph. deciſ. 350. Farin. ibid. n. 224.*, quòd procedit etiam ſi ſecundum dictum eſſet emanatum in tortura, quando primum dictum ſine tortura eſt magis veriſimile. *Farin. ibid. n. 178.* Item ſtandum eſt primo dicto, quando examinatur tamquam principalis quoad ſe, & teſtis quoad alios, etiam ſi ſecundum dictum eſſet emanatum in tortura, niſi ſecundum dictum haberet conjecturas, & adminicula pro ſe. *Farin. ibid. nu. 181. & ſeqq.* Si tamen Iudici apertè conſtaret de falſitate primi dicti, tunc ſtandum erit ſecundo dicto. Item quando primum dictum eſſet emanatum ſine redditione cauſæ ſcientiæ, & rationis, vel cum ratione non concludente, aut inſufficiente; ſecundum vero cum redditione concludentis rationis, tunc ſtandum erit ſecundo dicto. *Farin. ibid. nu. 150.* Similiter quando ſecundum dictum eſſet magis veriſimile, quàm primum, vel aliis conjecturis, & præſumptionibus adminiculatum attenditur ad ſecundum dictum. *Idem num. 151.*

§. 7. Quando verò teſtis in plenario Iudicio dicit contrarium ejus, quod dixerat in Iudicio ſummario, quoad ferendam ſententiam, nec primo, nec ſecundo dicto ſtandum erit, ſed teſtis debet torqueri. *Farin. ibid. num. 154.* Item quando primum dictum fuit dubitativum, putà, per verbum Credo, vel ſimile emanatum, ſi ſecundùm dictum eſt omninò aſſertivum, ſtandum erit huic ſecundo. *Idem ibid. n. 163.* Item quando teſtis eſt talis, quòd non poteſt admitti ſine tortura; ſi in primo dicto admiſſus fuit ſine tortura, & in ſecundo cum tortura, ſtandum eſt ſecundo. *Aret. cap. Per tuas n. 35. Clar. q. 53.* Et tandem, quando ſecundum dictum fuit emanatum in tortura, & primum extra torturam, attenditur ad ſecundum, etiam ſi primum fuit cum juramento firmatum; quia vitium perjurii expurgatur per torturam de conſuetudine etiam in criminalibus. *Farin. conſ. 10. n. 10. Guaz. def. 19. c. 16. n. 19.* Non tamen aggravat nominatum ad torturam ſine adminiculis; quia non eſt integer. *Guaz. ibid. n. 16. 19.* Sciat tamen Iudex, quòd in omni caſu, quo attenditur primum dictum, ſemper remanet debilitatum per ſecundum dictum contrarium, & teſtis non poteſt dici integer, & per conſequens ſuper primo dicto non poteſt ferri ſententia; licèt lata ſuſtineatur ſecundùm Gabriel, & alios per eum citatos, & teſtis torqueri poteſt. *Ricc. reſol. 398. n. 4. in prax. var. reſol.* & puniri tamquam falſarius pœna ordinaria.

§. 8. Quartus caſus eſt, quando teſtis in eadem inſtantia, & inter eaſdem perſonas contraria teſtimonia depoſuit; & in hoc Clar. *q. 53. n. 15.* diſtinguit. Nam vel eſt ſibi contrarius in eadem depoſitione, vel in alia; Si in eadem depoſitione, & antequam ſe ſubſcribat, aut diſcedat à præſentia Iudicis eſt ſibi contrarius ſine juſta cauſa correctionis non ſtatur neque primo, neque ſecundo dicto, ſed in totum rejicitur tamquam falſus, & hoc non ſolum ſi contrarietas eſt manifeſta, & non de facili concordabilis, ſed etiam ſi aliquo modo compatibilis, & concordabilis ſit: hoc

tamen

tamen non procedit in criminalibus ad effectum puniendi de falſo, quando dicta poſſunt aliquo modo concordari. *Clar. ibid.* Si autem allegat juſtam cauſam correctionis, tunc ſtatur ultimo dicto. *Navar. in manual. cap.* 25. *n.* 4. *Sanch. lib.* 6. *moral. c.* 5. *dub.* 13. *n.* 2. *lib.* 2. Si verò contrarietas eſt in alia depoſitione, vel poſtquam teſtis ipſe diſceſſit à præſentia Iudicis, & poſtea motu proprio reddit ad Iudicem, & vult corrigere ſuam depoſitionem; tunc ſi adſit aliqua probabilis ſuſpicio, quòd vel locutus ſit cum parte, vel cum aliis, quibus pars certionari potuerit, non eſt admittendus ad correctionem. Si verò nulla ſit ſuſpicio, & ſimus infra triduum, tunc ſi congruentem rationem allegat, & illam probet admittendus eſt ad correctionem, & ſecundæ atteſtationi fides adhibenda eſt. *Farin. q.* 66. *n.* 245. poſt triduum verò non admittitur ad correctionem; quia præſumitur locutus cum parte, & ab ea ſubornatus.

§. 9. Quando teſtis unicus, qui ſibi videtur contrarius, concordari poteſt, eſt concordandus ad effectum vitandi falſum, etiam per improprietatem verborum, & per ſuppletivam interpretationem, licèt non ad effectum, ut probet in criminalibus *Farin. ibid. n.* 327. *& ſeqq.* Si teſtis primò examinatus affirmativè deponit; deindè in eodem facto, in quo depoſuit, iterùm interrogatus, dicit ſe non recordari: Iſte teſtis, licèt poſſit ſalvari à contrarietate, tamen non probat nec in criminalibus, nec in civilibus. Si verò teſtis primò dixit ſe non recordari, deindè dixit ſe recordari, & ſcire, non eſt contrarius, ſed probat, dummodo reddat cauſam, cur magis nunc recordetur, quàm prius, aliter redderetur ſuſpectus: & poteſt torqueri, ſi interrogatus dicat ſe non recordari de eo, quòd veriſimiliter recordari debet, præſertim ſi recordatur de aliis, de quibus minus meminiſſe deberet. *Farin. ibid. n.* 139. *& ſeqq.* Idem dicitur, quando teſtis aſſerit; ſe non recordari, quando Iudicis arbitrio tanti temporis ſpatium non affluxerit, ex quo oblivio poſſit præſumi. Si autem teſtis primò dubitativè deponit, ſecundò verò affirmativè, & ſine dubitatione probat ſtandum erit ſecundo dicto, niſi deponat in eodem examine; quia tunc nihil probat, niſi alleget cauſam primæ dubitationis. *Farin. ibid. n.* 334. 335.

§. 10. Quando teſtis primò deponit per verbum Credo, & poſteà dicit ſe ſcire, ſtandum erit ſecundo dicto, & non dicitur contrarius, nec varius, dummodo tamen alleget cauſam novæ certitudinis, & ſcientiæ. *Clar. q.* 53. *n.* 16. *Farin. ibid. n.* 336. Si verò primò dixit ſe ſcire, deindè dicit ſe credere, an ſit varius, vel probet? Sunt hinc indè opiniones. *Farin. loc. cit. n.* 141. *& ſeqq.* in tribus caſibus ſuſtinet opinionem, quòd probet: primo, quando ità dixit in eodem examine: ſecundo quando ſumus in his, quæ innoteſcunt per fidem: & tertio, quando teſtis dixit, ſe ſcire, & allegat veram rationem ſuæ ſcientiæ. Sed *Bordon. in prax. c.* 22. *n.* 20. tenet contra Farin. & ſuſtinet, quòd, quando teſtis primò dixit ſe neſcire, & poſtea dicit ſe credere, eſt varius, & non probat, maximè ſi locutus ſit cum parte. Item ſi teſtis in primo examine dixit, ſe credere, non dicitur varius; quia poſſum hodie unum credere, & cras aliud; & vicè verſa. *Farin. ibid. n.* 346. ubi limitat tribus modis: primò, ut procedat in caſibus, in quibus teſti deponenti de credulitate plenè creditur. Secundò, ut concluſio procedat in caſu, in quo licita eſt correctio: & tertio, ut concluſio procedat, dummodo teſtis alleget cauſam novæ credulitatis. Si

teſtis

teſtis deponens de aliquo facto, reddendo rationem ſcientiæ, reſpondit, quia vidi: deindè dicit, quia audivi, & è contra, non eſt varius; quia poſſunt ſimul ſtare, quòd idem factum viderit, & audierit: ſed ſi ſimpliciter dicat ſcire, & poſteà dicat, quia audivi, tunc non probat, niſi ut teſtis de auditu. Si teſtis dixit ſe ſcire; poſteà ſe neſcire, poteſt concordari, intelligendo ſecundam depoſitionem, ut neſciat aliquid ultra id, quod ſupra dixit. *Farin. ibid. n. 351, & ſeqq.* Si verò è contra interrogatus dixit ſe neſcire; & poſtea dicit, ſe ſcire: an dicatur varius, ſunt duæ opiniones contrariæ. Una tenet, quòd ſic. *Clar. q. 53. n. 14.* & alii Doctores citati à Farin. *ibid. n. 358.* & debet puniri extraordinariè. *Ghisl. de Iud. R. c. 17. num. 58.* Et licèt non ſit uſu receptum; quòd puniatur de falſo, tamen non probat. *Bertaz. conſil. 246. vol. 1. & conſil. 359. n. 11. vol. 2.* Contrarium nihilominùs tenet Farin. *loc. cit.* ubi multos citat & Barboſ. qui alios etiam allegat *in cap. cùm cauſam de teſtib.* Limitat tamen Farin. primo, dummodo Iudex teſtem ex officio repetat, ſecùs ſi ad inſtantiam partis, aut ſi ipſe teſtis ex intervallo velit ſe corrigere. *Rot. in noviſ. deciſ. 19. de teſtib.* Secundo, ſi teſtis ſupervenientis novæ ſcientiæ cauſam allegat. Si verò teſtis dixerit fuiſſe præſentem actui de quo nihil ſcire primò affirmavit, poſtea dicere non poteſt, ſe neſcire. Si teſtis primò dixit, ſe hoc tantùm ſcire, ſi poſtea aliquid addit non probat tanquam varius. Secùs ſi dixiſſet hoc ſcio, vel hoc eſt verum, ſine illa particula *tantùm* Vel hoc eſt, quantum ſcio; quia illa dictio *quantum* non eſt taxativa. *Farin. ibid. n. 365. 366.* Si teſtis in primo examine dicit delictum fuiſſe commiſſum preſente Titio, & Cajo, & poſtea interrogatus, qui fuerint preſentes, dicat, quòd nullus fuit præſens, poteſt Iudex ſalvare à contrarietate, tale dictum interpretando illa verba, quòd nullus fuit præſens excepto Titio, & Cajo, ut jam depoſuit. *Idem. ibid. n. 368.* Si deponit certitudinaliter de aliquo negotio, & poſtea in repetitione, ſi non recordatur de prima depoſitione, poteſt de eodem negotio certitudinaliter teſtificare, referendo ſe ad ſuam primam depoſitionem, nec Iudex debet illi denegare lecturam talis depoſitionis.

§. 11. Et tandem Teſtium dicta debent eſſe clara, & certa; quia debent concludere non de poſſibili, ſed de neceſſe; & ideò dicit Farin. quòd nihil probant. Verba autem dubia, & obſcura referuntur ab eodem Farin. & ſunt, prout ſi teſtis dicat. *Res ſe aliter habere poteſt*; vel ſi deponit per verbum *circiter, fortè, forſitan, ſi benè memini*, vel *non recordor*, vel *prima fronte*, vel *ni fallor*; vel *ſalva veritate*. Vel per verba alternativa *Seù*, vel *Aut*, niſi concludant maleficium, nempè, ſi dicat *vulneravit cum fica, aut gladio*. Vel per Verbum *Circa*, quando eſt vis in tempore præciſo. Vel per verba *Plus, vel minus*; vel per verba *mihi videtur*, aut *non videtur*; vel per verbum *Meo judicio videri*, vel *ſecundùm meam conſcientiam*; vel *teneo rem ità ſe habere*; vel per verba *poterat*, vel *poteſt eſſe*. Poteſt tamen dictum teſtis obſcurum, & dubium interpretationem recipere ab alio teſte, vel à capitulis. *Farin. q. 67. n. 56. & ſeqq.* Similiter Teſtis dubius declaratur per dicta aliorum teſtium. *Rot. Rom. deciſ. 334. n. 4. part. 3. recent.*, & recepit declarationem ab articulis. *eadem Rot. deciſ. 131. n. 2. part. 3.*

De

De Teſte corrupto. Regula XI.

§. 1. Teſtis corruptus eſt ille, qui à corrumpente ſubornatur pecunia, promiſſione, vel aliqua re, minis, aut metu ad falſum dicendum & regulariter non probat, immò de falſo poteſt accuſari, quòd etiam procedit, ſi ad falſum dicendum amore, timore, vel odio rogetur, vel ſi tantùm præcibus corrumpatur. Et præſumitur in dubio dixiſſe falſum, etiam quòd non probetur falſum dixiſſe, & poterit extraordinariè puniri, pro eò, quòd turpiter pecuniam acceperit; & idem dicitur, ſi pecuniam accepit, ut verum dicat. *Farin. q. 67. n. 236. & ſeqq.* & nihil probat; quòd etiam verificatur, ſi accipiat pecuniam pro non ferendo teſtimonio. Similiter punitur ille, qui corrupit teſtes ſive ſit pars; ſive tertius, etiam quòd illis poſtea ex ſe ipſo uſus non ſit. Idem ib. d. n. 255. An autem Teſtes corrupti aſſerentes falſum dixiſſe, quia ab aliis fuerunt ſubornati, probent contra corrumpentes, & ſubornantes ad effectum, ut poſſit contra eos criminaliter agi? Eſt maxima quæſtio inter Doctores; nam alii affirmant, quòd non faciunt indicium ad torturam contra corrumpentes; quia cùm ſint falſarii, & perjuri, non eſt illis credendum *Farin. q. 45. num. 1. & ſeqq.* Idem Farin. tamen concludit poſtea *nu. 28.* Quòd ſi duo, vel tres dicant ſe fuiſſe ſolecitatos, vel corruptos faciunt indicium ad torturam, contra ſolecitantem, ſeù corrumpentem, ſi corrumpens aliud revelans in contrarium non deduxerit. Idem *Farin. q. 67. nu. 180. & alii.* Et quando teſtis corruptus fuit productus ad examinandum ab eodem ſubornatore, facit indicium ad torturam contra eum, ſi aliundè conſtat de falſitate depoſitionis.

§. 2. Duo teſtes faciunt indicium ad torturam contra corrumpentes etiam ſi ſint ſingulares circa tempus, locum, & modum ſubornationis. Secùs ſi ſint ſingulares circa cauſam; putà; quia unus dicit ſe ſubornatum in una cauſa, & alius in alia. Si verò prædicti teſtes, ultra falſam, quam aſſerunt, feciſſe depoſitionem, eſſent quoq; perjuri, vel varii, ut putà quia in primo examine negaſſent ſubornationem, deindè in alio illam eſſent confeſſi; tunc non facerent indicium ad torturam, & ſtandum eſt primo dicto, etiam quòd ultimum emanaverit in tortura *Farin. ibid. n. 41. 45.* Secùs autem eſt, ſi dictum ſocii criminis vel corrupti ſit adminiculatum, & confirmatum in tortura: nam tunc facit indicium ad torturam contra corrumpentem. *Baiar. ad Clar. q. 21. n. 31. 32.* Et ſi ſint plures, eis creditur, ut procedatur ad Inquiſitionem contra nominatos, licèt ſint ſocii criminis, & perjuri. *Clar. §. falſum n. 5. ex Boſſ. tit. de indicio. n. 156. in fine* qui teſtatur, ità multoties ſervari vidiſſe, & ſe pluries practicaſſe. Et advertat Iudex, quòd quando reperitur aliquis teſtis corruptus, & ſubornatus, omnes corrupti, & ſubornati præſumuntur. *Maſcar. concl. 1340. n. 6. Farin. ib. d. n. 256.* Et talis ſubornatio, & corruptio indiciis, & adminiculis, ac conjecturis probatur, & per teſtes de auditu. Et is præſumitur ſubornaſſe, qui ex illius teſtimonio commodum percipit.

§. 3. Subtrahens, & occultans præſumitur culpabilis, & hanc ſubtractionem factam à Reo, vel eius opera ſufficit cum aliquo adminiculo ad torturam contra Reum, ubi aliàs ille teſtis eſſet omni exceptione major. Immo habetur pro convi-

cto, & tanquam convictus puniri poteſt, niſi conſtet, vel conſtare poſſit de eius innocentia. *Farin. q.* 78. *n.* 148. *Guaz. def.* 19. *c.* 16 *n.* 7. Teſtes ſi citati ſunt ad detegendam ſubornationem, & conſpirationem fugam arripiant, præſumitur falſum dixiſſe ad ſubornationem eius, qui commodum ex eorum depoſitione percipiebat. *Chart. deciſ.* 90. *n.* 45. Item teſtis vocatus, & requiſitus ad teſtificandum, ſi teſtificari renuat, atque recuſet, præſumitur corruptus, & malitiosè ſe ſubtrahere. *Menoch. præſump.* 55. *nu.* 45. *& alij citati à Barboſ. in collect. ad cap. Super eo nu.* 5. *de teſtib.*

§. 4. Ad duplicem effectum poteſt quis excipere contra teſtem corruptum: primò ut fidem non faciat, quo caſu ſat eſt probare, quòd ſit corruptus: ſed quando quæritur, ut puniatur tanquam falſarius expedit probare utrumque, nempè, quòd ſit mendax, & quòd ſit corruptus. *Maſcar. de probat. concl.* 188. Et talis ſubornatio teſtis ad falſum dicendum præſumitur ex attentata ſubornatione. *Rota apud Farin. deciſ.* 207. *n.* 5. *part.* 1. Et ſubornans teſtes ad falſum deponendum in cauſa criminali debet puniri juxta qualitatem cauſæ ſupra quam teſtis deponit, & eadem pœna, qua teſtis ſubornatus falſum deponit. *Clar. q.* 89. *n.* 1. *Bertaz. conſ.* 218. *n.* 18. *Farin. q.* 67. *n.* 258. In dubio teſtis, qui ante depoſitionem accepit pecuniam, vel quid ſimile, præſumitur falſum dixiſſe, & torqueri poteſt in ordine ad pœnam falſi, ſi conſtat pecuniam accepiſſe. *Farin. ibid. n.* 237. Et ſi poſt depoſitionem pecuniam accepit, dicitur etiam corruptus, ſi pecunia ante depoſitionem fuerit conventa, præſumi poteſt ex condicto recipere, & eſt valdè ſuſpectus quoad probationem. *Idem ibid. n.* 278.

De Teſtibus Inimicis. Regula XII.

§. 1. INimicus capitalis etiam cum tortura non probat. *Bajar. q.* 24. *num.* 8., & omninò repellitur à teſtimonio ferendò contra inimicum, etiam in cauſa hæreſis, Simoniæ leſæ majeſtatis, & aliis exceptis, & gravioribus delictis etiam occultis, & difficilis probationis, ubi veritas aliter haberi non poteſt. *Clar. q.* 24. *n.* 7. Et non ſufficit, niſi ad inquirendum generaliter, hoc eſt ad Iudicem inſtruendum, & inducendum ad aſſumendam informationem ſupra delictum, non autem ad inquirendum ſpecialiter, ità concordando opiniones tenet *Farin. q.* 53. *n.* 15. Undè ſi quis opponat de capitali inimicitia, & ſe offerat ad illam probandam, incontinenti examen differtur, & teſtes non recipiuntur in cauſa criminali, niſi priùs fuerit judicatum ſuper dicta inimicitia. Verum tamen eſt, quòd inimicitia ſtudiosè procurata ab eo, qui ſcit teſtem poſſe deponere contra ſe; ut ſi eum percuteret, vel alio modo cum eo inimicitiam contraheret, ut non poſſit eſſe teſtis contra ſe, per talem inimicitiam non repellitur teſtis à teſtimonio ferendo; & Iudicis arbitrio relinquitur, an inimicitia ſit procurata per fraudem, ut judicium eludatur. *Farin. ibid. n.* 64. Et licèt non appareat de inimicitia, neque de odio mentis, dummodo adſint cauſæ inimicitiæ, repellitur, dato etiam quòd teſtis dicat eſſe amicum, cùm revera ſit inimicus; quia diſſimulans inimicitiam eſt peſſimus inimicus. *Dec. tract. crim. lib.* 3. *c.* 25. *n.* 23. An verò credatur teſti dicenti ſe inimicum, ad effectum, ut à teſtimo-

ſtimonio repellatur, velut examinatus non probet? Textus *in cap. Inquiſitionis §. tertiæ de accuſat.* dicit, credendum eſſe, niſi hoc dicat in fraudem. In quo propoſito Soccin. conſiderat tres caſus, quos refert Boſſius. Primus eſt, quando illud dicit ante juramentum, & tunc Iudex debet illum repellere, niſi in fraudem id aſſerat, dummodo inimicitia ſit capitalis. Secundus caſus, quando illud dicit poſt juramentum, & tunc abſolutè repellitur, ſive in fraudem ſit, ſive non; quia ſi verum dicit eſt inimicus, ſi falſum eſt perjurus. Tertius caſus eſt, quando poſt depoſitionem illud aſſerit, putà, ſuper generalibus, vel aliter; & tunc aut incontinenti illud dicit, & creditur, aut ex intervallo, & non creditur, ſed ſtandum eſt primo dicto.

§. 2. Et non ſolùm repellitur inimicus manifeſtus, ſed etiam præſumptus, ſuſpectus, & occultus, qui ſe fingit amicum. *Farin. ibid. n.24.* Et licèt aliqui dicant inimicitiam debere eſſe evidentem, & manifeſtam, ut repellat teſtem à teſtificando, hoc tamen non eſt verum de inimicitia, ſed de probatione inimicitiæ, quæ debet eſſe manifeſta, & concludens. Et dicitur eſſe manifeſtè, & concludenter probata, ſi de cauſa appareat, quamvis odium, rancor, & effectus inimicitiæ ſint occulti; ut poſt Dec. aſſerit Farin. *ibid. n. 26.* Repellitur etiam teſtis odioſus, aut non benevolus, & non diligens eum contra quem deponit. *Idem ibid. n. 30.* dummodo odium ſit privatum, & non publicum; putà, quia facinoroſus, criminoſus, vel infamis; quia tale odium non procedit ab ira, nec eſt injuſtum juxta illud Pſalmiſtę *Iniquos odio habui.* Quando verò inimicitia ſit capitalis, vel non; Iudicis arbitrio remittitur, quæ ſi habet ortum ex cauſa gravi, vel capitali dicitur capitalis; ſecùs ſi ex cauſa levi: & Iudex ſuum arbitrium regulabit juxta facti, & perſonarum qualitates, & circunſtantias. *Farin. q. 49. n. 86. 87.* Inimicus non capitalis licèt non repellatur à teſtificando, non tamen dicitur teſtis integer, ſed ei diminuitur de fide tantùm, quantùm patitur qualitas inimicitiæ Iudicis arbitrio. *Farin. q. 53. n. 54.* Item repellitur à teſtimonio ferendo conſanguineus inimici, etiam quòd conſanguinitas procedat ex linea tranſverſali, & affines uſq; ad quartum gradum affinitatis, etiamſi converſati fuerint ſimul; quia ſufficit ſubeſſe cauſam inimicitiæ. *Farin. ibid. num. 34. 35.* nam ex offenſione conſanguinei infra quartum gradum contrahitur inimicitia. *Dec. ibid. lib. 2. c. 25. n. 37. & ſeqq.* Repellitur etiam valdè amicus inimici, & ſocius, & domeſticus eius, & qui legam faciunt cum inimico, & qui ſunt contrariæ factionis. *Alex. conſ. 2. n. 9. 10. lib. 7.* Farin. tamen *ibid. n. 36. & ſeqq.* limitat multis in modis, & præcipuè, ut procedat, quando familiaritas eſt magna, continua, & antiqua: Secùs ſi recens, & non magna: limitat etiam, ut non repellatur in totum, ſed ei de fide minuatur; idem dicit de converſatione cum inimico. Item repellitur inimicus de recenti reconciliatus; quia in ipſo præſumitur etiam nocendi animus: & quamvis aliqui velint inimicum poſt triduum non poſſe dici de recenti reconciliatum, remittitur tamen Iudicis arbitrio. *cap. cum oporteat. & Clar. q. 24.*, quæ reconciliatio non præſumitur, quando inimicitia eſt capitalis, ideò per allegantem probanda eſt; ſecùs ſi eſt levis. *Farin. ibid. n. 62.* Et dictum inimici tempore depoſitionis non validatur per ſecutam reconciliationem.

§. 3. Cauſæ autem capitalis inimicitiæ univerſaliter loquendo ſunt, primò,

Minæ de occidendo, & injuriæ ſive ſint reales, ideſt, quæ re vera factæ ſunt, ut percuſſione baculi, arundinis, alapæ, pugni &c. *Farin. q. 49. n. 47.* ſive ſint verbales per ly. *Mentiris, Tu es ſpurius, falſarius* &c. Vel crimen innocenti reprobans, vel etiam abſentem malæ famæ diſſeminans: Vel per ſcripturam, ſive famoſum libellum, quòd maximè procedit, ſi prolatæ ſint contra nobilem, ſecùs ſi contra vilem; quam tamen limitationem reijcit. *Roder. tom. 2. q. 16. a. 3.* quoad Religioſum ob ſtatus honorificentiam. Sciendum tamen eſt, quòd ſi verba de ſui natura injurioſa proferunt ſub conditione, non inferunt injuriam; Aut ſi refert verba injurioſa ab alijs relata, vel de quibus erat fama. *Bertaz. conſ. 176. num. 4.* Item ex adulterio commiſſo cum uxore alterius, vel cum ſorore, matre, filia, & conſanguinea. *Dec. tom. 1. lib. 3. c. 25.* Secunda eſt expoliatio, & ablatio bonorum de re notabili, ſive vi, ſive clam facta: aut ſi lis mota eſt de omnibus, vel de majori parte bonorum: apud Religioſos verò eſt expoliatio prælationis, ſive lis mota de prælatione, quæ apud ipſos omnis boni nomine venit. Tertia eſt lis, ſeù accuſatio criminalis, ſive civilis ſit; vel ſi lis mota ſit contra teſtem de ſtatu; putà, quòd infamis, vel quid ſimile ſit: undè ex qualibet querela criminali contrahitur inimicitia capitalis. *Farin. deciſ. 83. n. 3.* etiam ſi querela, vel accuſatio data ſit ſuper crimine non capitali, dummodo crimine probato oriatur infamia, vel aliquod grave damnum Reo evenire poterat. *Farin. q. 49. n. 24. & ſeqq.* Hinc eſt, quòd Accuſator teſtis eſſe non poteſt contra accuſatum; neque aſcendentes, vel deſcendentes, aut conſanguinei, & affines uſque ad quartum gradum. *Farin. q. 68. n. 68.* Item inimicitia capitalis contrahitur inter Iudicem, & Reum ex parte Rei etiam ex ſola carceratione pro crimine, quod per ſententiam infamat, & ideò non poteſt contra Iudicem examinari. *Bald. in l. ignoret. in fine ff. de exhib.* Secùs verò ſi carceratus fuit pro crimine, quod non infamat. *Farin. q. 56. n. 181.* licèt non ſit integer; ex parte autem Iudicis nunquam cenſetur contracta inimicitia, niſi quando non coactus officio procedit contra aliquem; vel quando injuſtè tulit ſententiam corporis afflictivam; vel quando ad nocendum carcerari, aut torqueri fecit: nam ex tortura illata ſemper oritur inimicitia capitalis contra Iudicem. Quarta cauſa eſt teſtimonium contra aliquem in cauſa criminali, ſicut etiam qui ſpontè ad teſtificandum acceſſit in cauſa criminali, reijcitur in alia; ſecùs quando coactè; quia non poteſt præſumi odium ſicut in ſpontè accedente. Item ex ſubditi, vel Inferioris obedientia denegata Majori arguitur inimicitia. *Cap. ſi Diaconus, verſ. & inimicos 5. diſt.* Item ex conjuratione, & conſpiratione oritur inimicitia, cùm nemo adverſus aliquem ad conjurandum, & conſpirandum perducatur, niſi inteſtinis odijs ſuccenſus. *Farin. q. 43. n. 62.* Ubi etiam declarat, quòd conſpiratio dici poteſt omnis conventicula, & conjuratio multorum ad actum illicitum. Et Pitigan. *in pract. crim. in 2. ſubſtant. c. p.* dicit, quòd conſpiratores dicuntur, qui ex pacto conveniunt, ut unus accuſet, ſeù denuntiet, & reliqui ſint teſtes, & poſſunt compelli ad manifeſtandam conſpirationem. Quinta cauſa eſt ſententia Iudicis prolata non ſolùm criminaliter ad pœnam pecuniariam, ſed & multò magis ad corpoream, & capitalem, quæ extenditur ad omnes Rei conſanguineos uſque ad quartum gradum incluſivè. Aliæ cauſæ remittuntur Iudicis arbitrio. Conſule Bictum q. 27.

Ini-

§. 4. Inimicitia autem non capitalis non excludit teſtem, ſed facit aliqualem probationem. *Clar. q. 24. n. 5.* & arbitrarium eſt Iudici circa qualitatem probationis, cùm tantùm admitti debeat de fide, quantùm patitur qualitas inimicitiæ. *Farin. q.* 188. *n.* 110. Et inimicitia non præſumitur, niſi probetur. *Idem q. 49. n. 126.* & non debet eſſe deducta in genere, ſed probata in ſpecie cum ſuis cauſis, & qualitatibus, & debet eſſe evidens, & manifeſta. Et teſtis inductus ad probandam inimicitiam. ut probet, oportet, ut etiam non interrogatus reddat cauſam ſui dicti, & eſt probanda per duos teſtes *Dec. c. 25. n. 29. & ſeqq.* Sciat tandem Iudex, quòd quando veritas aliter haberi non poteſt, admittuntur inimici cum adminiculis quoad pœnam extraordinariam. *Ricc. decis.* 196. Et opinio contraria, quòd teſtes inimici non ſunt admittendi, etiam quando veritas aliter haberi non poteſt, procedit, ubi non concurrunt alia adminicula.

De Teſtibus inhabilibus. Regula XIII.

§. 1. QUanquam teſtes inhabiles ex Iure poſitivo admitti non poſſint à Iudice Regulari; ſcire tamen debet Iudex, quinam habiles, vel inhabiles ſint, & quantam probationem faciant, ſi admittantur. Et primò minor 20. annorum regulariter repellitur à teſtimonio in criminalibus. *l. in teſtim. ff. de teſtib. Farin. q.* 58. *n.* 1. *& ſeqq. cum alijs ab eo citatis*; qui admittuntur, quando alij teſtes idonei non interfuerunt. *Farin. ibid. n.* 20. 21. Vel quando delictum ſuper quo proceditur, eſſet factum in loco, & tempore, in quibus alij teſtes veriſimiliter non interfuerunt. *Alex. conſ. 64. n. 5.* Sed Cavalc. *de teſtib. p.* 1. *nu.* 20. dicit, quòd in criminali cauſà de conſuetudine ſat videtur teſtem eſſe puberem, quo tempore iurare poteſt. An autem Reus ex ſolo teſte 20. annorum in caſibus exceptis, quando deponit de viſu torqueri poſſit affirmat Caſon. *de indic. tract.* 10. *c.* 1. *nu.* 12. Sed negat Farin. *q.* 37. *nu.* 62. quia non eſt omni exceptione maior, & ſolus ſine adminiculis non facit indicium ad torturam, ſecùs cum adminiculis. Undè puer vim paſſus per Sodomiam, ſi conſtet de fractura facit indicium ad torturam cum tortura, ſi voluntariè conſenſit; Secùs ſi per vim; quia ſine tortura cum adminiculis ſufficit. *Plot. conſ.* 50. *nu.* 231. *& ſeqq.* Duo minores multò magis ad torturam ſufficiunt. *Dian. p. 4. reſol.* 25. Proximus pubertati, idèſt, poſt decimum annum cum dimidio in caſibus exceptis, & difficilis probationis admittitur ſine juramento, & facit indicium ad inquirendum, & ſi eſt adminiculatus ad arbitrium Iudicis facit indicium ad torturam. *Farin. q. 58. n. 52.*

§. 2. Mulier de Iure Canonico non admittitur ad teſtificandum, ſed benè de Iure civili, non tamen eſt major omni exceptione; & ideò duæ mulieres non ſufficiunt ad condemnandum; nec tres convincunt in capitalibus. In caſibus tamen exceptis, & difficilis probationis admittuntur ſicut alij inhabiles. *Farin. q. 59. nu.* 1. 26. 27. 28. 29. Et magis creditur quàm maſculis, ſi deponit ad favorem, & maſculus ad odium: aut quando maſculus eſt rudis, & ignarus, fœmina autem nobilis. *Cavalc. de teſtib. p. p. caſ. 25. nu. 64. 68.* Item contra Clericum, vel Religioſum Laicus non poteſt eſſe teſtis in cauſa criminali. *cap. de cætero de teſtib.* & unus non

ſufficit ad torturam: & duo concurrere debent, ut faciant indicium ad torturam; primò quòd ſint plures, ſecundò, quòd deponant immediatè ſuper delicto, & non ſuper remotis. In criminibus tamen exceptis, vel in ſubſidium, quando veritas aliter haberi non poſſit, admittitur. *Farin. q. 61. n.* 104. 107. Quando tamen juſtitia periclitaretur cum notabili Ordinis detrimento, & ad evitandum quodcumque ſcandalum Sæculi, Sæculares ipſi dummodo ſint bonæ famæ poſſunt, & debent abſolutè admitti in teſtes contra Religioſos, ut dicit Spatar. *de modo correg. Regul. tract. 7. c. 3. n. 2. 3.* impugnans Roder. contrarium docentem. Item Monialis eſt teſtis integra in cauſis Monialium, & una facit ſemiplenam probationem, & duæ plenam. *Roder. tom. 2. q.* 11. *a. 3.* quòd etiam procedit ſi deponant contra Religioſos, qui delicta commiſerunt, apud eaſdem, & earum Monaſteria. *Spatar. tract. 7. c. 2. n. 3. 4.* In hoc tamen diſſentit Bordon. *in prax. crim. c. 16. num. 36.* Ubi *n. 37.* dicit quòd contra extraneos non ſunt omni exceptione majores. Item Novitii, Tertiarii, & alii commenſales ſunt legitimi Teſtes contra profeſſos. *Roder. ibid. nu.* 44. quando delictum eſt commiſſum præſentibus, Laicis, & Clericis, Laici poſſunt repelli parte opponente. *Mihel Ferro q. 19. n. 4. p. 1.* Et in favorem Reorum Laici præferuntur Clericis. *cap. cler. diſt.* 8. *Maſc. concl.* 104.

§. 3. Pauper de Iure non eſt teſtis idoneus, & quamvis non repellatur, ſi eſt bonæ vocis, & famæ, *Clar. q. 24. nu.* 11. non tamen eſt omni exceptione maior. *Maſcar. concl.* 1361. *n. 6.* Et ſi eſt vilis non admittitur ſine tortura: & pauperes dicuntur illi, qui de proprio labore, & artificio vivunt: viles verò ſunt ruſtici, & qui ex infima plebe ſunt nati, vel à velitate exercitii. *Farin. q. 57. n. 49. 54.* ut hiſtriones, Buffones, Ioculatores &c. Item accuſatus de crimine gravi pendente accuſatione à teſtimonio repellitur: & idem dicitur de inquiſito, denunciato, & de eo, cui per viam exceptionis crimen objicitur. *Farin. q. 56. n. 167. & ſeqq.* Item Hæretici, Apoſtatæ, & in fide ſuſpecti, Publici criminoſi, conſpiratores, Calumniatores, Infames, & Excommunicati, niſi priùs abſolvantur. Meretrices tamen admittuntur ad probandum ea, quæ facta ſunt in poſtribulo, & duę meretrices non ſufficiunt ad condemnandum; & una ſine adminiculis non facit indicium ad torturam. Socius criminis quoque repellitur ut inhabilis, admittitur tamen cum tortura, & cum adminiculis facit indicium ad torturam:

§. 4. Adminicula autem eſſe poſſunt, primò inimicitia capitalis. Secundò fama contra nominatum. Tertio fuga nominati. Quarto ſtricta amicitia, & aſſidua converſatio cum nominato. Quinto allocutio facta ad aures cum nominato immediatè ante delictum. Sexto teſtes de auditu. *Farin. q. 43. n.* 138. 169. *& ſeqq.* Duo tamen ſocii ſine adminiculis ſufficiunt ad torturam; quia unus alteri adminiculatur. *Diana p. 4. tract. 6. reſol. 7.* Sciat tamen Iudex, quòd ſupradicti infames repelluntur in totum à teſtimonio in caſibus non exceptis, & facilioris probationis, ſive ſint infames infamia Iuris, ſive facti. *Farin. q. 36. n. 37.* In exceptis tamen caſibus, & in criminibus, quæ de nocte perpetrari ſolent, & difficilis probationis, & quando veritas aliter haberi non poteſt, quàm per infames, admittuntur in ſubſidium. *Farin. q. 56. n. 50. 51.* Et non debent admitti niſi cum tortura; quia teſtes inhabiles defectu famæ, vel ſtatus, & propria culpa non admittuntur ſine tortura. *Clar.*

q. 25.

q. 25. *n.* 1. Inhabilis tamen inhabilitate non vitioſa; ut Affines, conſanguinei, domeſtici, familiares, compares, minores, feminæ, pauperes, viles &c. admittuntur ſine tortura *Guaz. def.* 19. *c.* 10. *n.* 10. eorum verò probationes arbitrio Iudicis remittuntur.

§. 5. Ad hoc tamen ut hujuſmodi teſtes inhabiles admittantur plura concurrere debent: & primò, quòd delicta ſint excepta, & difficilis probationis, ità quòd veritas aliter haberi non poſſit. Secundò requiritur, ut inhabilitas ſit extrinſeca; nam ſi ex inimicitiis, & odiis oriatur, repelluntur etiam in criminibus exceptis. *Bertaz. conſ.* 528. Tertiò requiritur, ut deponat cum juramento etiam quòd ſit Reus, quando deponit contra ſocios; quia tunc fungitur officio teſtis. *Clar. q.* 21. *n.* 12. & ſufficit, quòd juramentum interponat antequam ponatur ad torturam, vel poſtea, præſente eo contra quem deponit, prout ſervatur in confrontatione. *Clar. ibid.* Quartò, quòd producatur de facti ſubſtantiam comprobandam, non autem adminicula. *Farin. q.* 37. *n.* 18. Quintò quòd per viam Inquiſitionis, & ex officio procedatur, ſecùs ſi per viam Accuſationis. *Far. q.* 62. *n.* 71. Sextò, quòd plures teſtes inhabiles inducantur: Et ſic duo ſocii criminis cum adminiculis faciunt indicium ad torturam, & ſufficiunt ad condemnandum Reum pœna extraordinaria. *Guaz. def.* 32. *c.* 8. An verò tres ſocii ſufficiant ad condemnandum pœna ordinaria extant duæ opiniones. Prima negat, & tantùm concedit, quòd ſufficiunt ad torturam, & præcipuè Farin. *q.* 62. *n.* 312. dicit, quòd teſtium numerus ſupplet eorum defectum quoad torquendum, non quoad condemnandum. Secunda opinio affirmat, quòd tres teſtes minus idonei ſufficiunt ad condemnandum nominatum pœna ordinaria, quando ex circunſtantiis, & conjecturis, ac perſonarum qualitate veriſimiliter præſumitur verum deponere. *Farin. ibid.* ubi *nu.* 385. dicit, quòd quando teſtes ſunt plures, quam duo, & veriſimilia deponunt, tunc plenè probant admiſſi in caſu à Iure permiſſo: quia ex multitudine deponentium inhabilitas illorum reparatur: quòd non debet intelligi de teſtibus prorſus inhabilibus, ſed de illis, qui faciunt aliqualem præſumptionem. Et in tali ſenſu, quòd teſtium numerus ſuppleat inhabilitatem teſtium, quando ſunt tres, tenent Alciat. Soccin. Bertaz. citati à Farin. *q.* 62. *num.* 325. Et quando numerus teſtium non omni exceptione majorum eſt ultra tres, tunc ex numero teſtium ſuppletur eorum inhabilitas. *Idem Farin. deciſ.* 143. *num.* 3. *part.* 1. Et ideo quando ſunt quatuor ſufficiunt ad condemnandum ad pœnam ordinariam.

§. 6. Alij verò tenent dictum numerum quaternarium ſufficere tantùm ad pœnam extraordinariam. Verùm ſi unus ex dictis quatuor eſſet omni exceptione major, junctus cum tribus inhabilibus, non dubito, quòd ſufficiant ad pœnam ordinariam: Major difficultas eſt, quando duo teſtes deponunt contra aliquem, & unus ex duobus eſt omni exceptione major, & alter inhabilis, an in tali caſu efficiant plenam probationem. Alij affirmant, maximè ſi teſtis inhabilis deponat cum tortura ad purgandam inhabilitatem ex defectu famæ, vel ſtatus: & per conſequens in ſententia ipſorum ſocius criminis cum tortura, ſimul cum alio teſte omni exceptione majori immediatè de delicto deponente plenè probant. *Farin. q.* 62. *num.* 328. ubi multos Doctores pro hac opinione cumulat, & docet de communi; & *nu.* 329. reijcit

cit alios oppoſitam tenentes, cum hoc tamen limitatione, quòd teſtis non ſit prorſus inhabilis; ut inimicus, conſpirator, & ſimilis: nam teſtis prorſus inhabilis non poteſt recipere ſupplementum à teſte habili. *Bald. & D.D. in l.ſi quis ex argentarijs ff. de eodem*; & multò minus ex adminiculis, & præſumptionibus. Et idem dicitur de inhabilitate, quæ provenit ex intereſſe, dummodo veniat principaliter, ſecùs ſi in conſequentiam. *Bertaz. concl. 178. n. 16.* Contrarium tamen docet Menoch. aſſerens, quòd nominatio ſocij criminis non prorſus inhabilis cum uno teſte omni exceptione majori non plenè probet delictum. Et Farin. *q. 43. n. 167.* dicit, quòd talis opinio eſt apertè falſa; quòd maximè procedit, quando cum teſte non prorſus inhabili concurrunt adminicula; quia tunc ipſe ſolus cum adminiculis facit ſemiplenam probationem; & ſic junctus cum alio teſte omni exceptione majori, qui facit aliam ſemiplenam probationem, dum tendunt ad eundem finem, faciunt plenam probationem: Et idem dicitur, quando duo ſocij criminis etiam ſine adminiculis junguntur cum teſte omni exceptione majori; quia probationes imperfectæ junguntur, quando quælibet probatio facit ſemiplenam probationem, & tendunt ad eumdem finem. *Bal. in l. ſpadonem §. qui Iura ff. de accuſ. Aret. Felin. & alij citati à Vivio concl. 945. n. 3.*

§. 7. Sed hîc oritur difficultas, an teſtis inhabilis, ſeu non integer admiſſus; vel quia ſumus in his, quæ fiunt clam, & ſecretè, vel quia non poſſunt haberi alij teſtes habiles, vel aliqua alia ratione ſpeciali admittatur cum tortura, dicatur omni exceptione major? Opinio eſt hinc indè à multis Doctoribus pro una quaque parte roborata. Prima affirmat, ità quòd duo teſtes inhabiles cum tortura convincunt in his, quæ ſunt difficilis probationis. Secunda verò, & eſt probabilior, negat; quia tortura non purgat totaliter inhabilitatem, ſed in parte: undè quando teſtes non integri admittuntur aliqua ratione ſpeciali, non ſunt omni exceptione majores, ſed aliqualem probationem faciunt: Et iſta aliqualis probatio inducta per teſtes inhabiles eſt minus quàm ſemiplena. *Farin. q. 62. num. 73.* Et ſic unus teſtis inhabilis, quando aliqua ratione admittitur, deponens de veritate non facit indicium ad torturam, etiam ſi deponat cum tortura, cum alijs tamen indicijs, facit indicium ad torturam, ità communiter Doctores. Hinc eſt, quòd ſi ſocius criminis fatetur contra ſe, & tertium, & eius depoſitio fuerit adminiculata, & illam firmavit in tortura, gravat nominatum ad torturam etiam in criminibus non exceptis; ſecùs ſi non eſt adminiculata, quia in tali caſu facit tantùm indicium ad inquirendum. *Clar. q. 21.* qui teſtatur de communi. Undè regulariter iſta duo neceſſariò concurrere debent, nempè, tortura, & adminicula; ut unus teſtis inhabilis faciat indicium ad torturam: quòd multò magis procedit in criminibus exceptis, in quibus leviores ſuſpiciones, & adminicula ſufficiunt, quàm in non exceptis. *Clar. ibid.* Et quia in Iure non eſt determinatum, quæ adminicula concurrere debent, relinquitur arbitrio Iudicis juxta qualitatem perſonæ, & delicti: aliqui volunt quòd ſufficiat adminiculum malæ famæ, & unum adminiculum per duos teſtes probatum ſufficit. *Farin. q. 37. n. 14. & alij.*

§. 8. An autem teſtes inhabiles, qui plures patiuntur defectus, ſint prorſus inhabiles, itàut nullam faciant fidem etiam in caſibus difficilis probationis, in qui-

bus

bus veritas aliter haberi non poſſit? Opinio pariter eſt hinc indè. Aliqui affirmant, etiamſi de Iure communi Statuto aliquo, vel conſuetudine ſocii criminis, & alij teſtes inhabiles admitterentur; nec cum tortura admittuntur; quia tortura non ſupplet plures defectus. *Farin. cum alijs ab eo citatis q. 62. nu.* 381. *& ſeqq. Guaz. def.* 19. *c.* 18. *n.* 7. Sed Bajar. ad Clar. *q.* 24. *n.* 128. dicit quòd, quidquid ſit de Iure, conſuetudo ſervat, ut omnes teſtes cum tortura admittantur, etiam quod mille defectus patiantur, aliàs raró dictum ſocij criminis, qui pluribus defectibus perſæpè ſunt notati nullum indicium facerent, & ſic delicta remanerent impunita, quando tamen ſunt magis infames, majori tortura ſunt afficiendi ad eorum dicta convalidanda. *Ricc. deciſ. Cur. Archiep. c.* 149. *p.* 3. ubi ità deciſum refert, & addit, quod hanc opinionem teneat conſuetudo. Et quamvis Farin. *ibid. n.* 383. impugnat Bajardum, practica tamen eſt in contrarium, quòd, ſcilicèt, confirment eorum dicta in tortura & deindè procedatur contra nominatos, modò aliquod aliud adminiculum concurrat. Et in noſtro modo procedendi *in* 3. *ſubſtant. nu. mihi* 112. ſtatuitur, quòd cum inhabilitas teſtium ſit de Iure poſitivo, & ad ſolemnitatem pertineat, excepta inimicitiæ inhabilitate; quæ fundatur in Iure naturæ, poterunt teſtes inhabiles per noſtros Iudices admitti ſi, & quatenùs ipſis expedire videbitur. Et ibid. *nu.* 108. dicunt, quòd Socius criminis purgatus, & adminiculatus valet ad torquendum. Si verò ſint plures purgati valent ad condemnandum pœna extraordinaria. Qui verò ſe tentatos, & ſolecitatos, ſed renuiſſe, affirmant, non ſunt ſocii criminis, & ſi plures ſunt, ſufficiunt ad condemnandum. Verior tamen, & communior opinio, quam refert, & ſequitur Farin. eſt, Dictum ſocij criminis, valere tantummodò ſicut dictum vulnerati propter odium, & inimicitiam, quæ exorta præſumitur ex tali tentatione, vel ſollicitatione. Et in additionibus ad noſtras Inſtructiones Iudiciales factis in Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1662. *num. mihi* 109. poſt enumerationem teſtium infamium ſic concluditur. Declaramus prætereà hujuſmodi teſtes aliàs infames etiamſi ex uſu Religionis admittantur ad actus legitimos, ad celebrationem &c. non tamen poſſe, vel debere admitti tanquam teſtes integros, & ad plenam probationem in Iudicijs adverſus alterum.

§. 9. Ultra teſtes inhabiles, de quibus ſupra locuti ſumus, ſunt etiam alij, qui repelluntur à teſtimonio, inter quos poni poſſunt, qui ſunt affectionati; *cap. Accuſator. s. Bertaz. conſ.* 170. *n.* 7. *& conſ.* 251. *n.* 13. Et qui ſpontè ſe offerunt ad deponendum contra aliquem, ſimiliter repelluntur; quia præſumuntur inimici. Et ſpontè dicitur deponere teſtis, qui ſe Curiæ præſentavit, nec citatus, nec vocatus, nec requiſitus.

De Teſtibus, qui poſſunt, vel non poſſunt cogi ad veritatem deponendam. Reg. XIV.

§. 1. QUoniam officium teſtis eſt publicum, & neceſſarium, ideò teſtes etiam omni exceptione majores, ſi nolunt veritatem deponere in Iudicio, regulariter maximè in cauſa criminali à Iudice cogi poſſunt, ut veritatem dicant; & ſi eam

ſi eam deponere nolunt ſunt cogendi per cenſuras, vel per torturam, & efficacius eſt per carceres; quòd maximè procedit, quando veritas aliter haberi non poteſt. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus teſtes non poſſunt cogi. Et primò, ſi non conſtat de corpore delicti contra Reum; nam quando non poteſt cogi principalis, multò minus teſtis. Secundò, ſi teſtes ſunt privilegiati, ut Filius contra Patrem, etiam de conſenſu Patris: nec frater, nec Conſobrinus, nec Conſobrina, nec nati ex eis, nec patruus, amita, avunculus, nec matertera. Gener adverſus ſocrum, Uxor contra maritum, Liberti contra patronos, & eorum liberi & è contra. Agnati, Cognati, affines uſque ad quartam generationem, niſi aliter veritas haberi non poſſit. *Farin. q.* 78. *n.* 108. *q.* 100. *n.* 110. Tertiò, non poſſunt cogi teſtes, ſi non conſtet, quòd ſint veriſimiliter informati, & quòd veriſimiliter ſcire poſſint id, de quo interrogantur; aliàs ſi eſſent torti, confeſſio non noceret nec ipſis, nèc ab ipſis nominatis. Quartò, non poteſt cogi teſtis, cui ex depoſitione aliquod periculum ſibi evenire poteſt, prout ſi contraheret inimicitiam cum aliqua perſona potenti. Et Iudicis arbitrio relinquitur, ſi teſti immineat, vel non, tale periculum. Et in foro conſcientiæ interrogatus, aliàs non tenebatur dicere veritatem, ſi timebat ſibi aliquod damnum eventurum in fama, honore, aut bonis externis. *Sic docebant Navar. in Encher. c.* 25. *n.* 50. *& Leſſius de juſt. lib.* 2. *c.* 30. Sed de præſenti hæc opinio eſt damnata per Sanctiſs. D. N. Innoc. XI. undè nunc tenetur teſtificare veritatem etiam cum gravi detrimento, & præjudicio. Quintò, non poteſt cogi ad deponendum id, quod ſub ſigillo ſecreti, aut gratia petendi conſilium, aut auxilium, aut remedium quis noverit, etiamſi præceſſerit infamia, aut ſemiplena probatio, niſi aliundè ſciverit, vel factum vergeret in Reipublicæ, vel alterius damnum, & præjudicium pendens in futurum. *Navar. in manu. c.* 25. *concl.* 5. *Leſs. ibid. c.* 6. *nu.* 6. *Reginal. in prax. lib.* 24. *n.* 47. *Azor. & alij*. Sextò, non poteſt cogi teſtis ad reſpondendum in tangentibus propriam turpitudinem; quia hoc eſt probandum à parte contraria. Septimò, Sacerdotes non poſſunt cogi ad revelandum ea, quæ ipſis in Sacramento Confeſſionis per pœnitentem expoſita ſunt. Octavò, teſtes in totum, & totaliter inhabiles non poſſunt torqueri ad deponendum, quia nullum facerent indicium; & ideò inimicus capitalis non debet torqueri pro ferendo teſtimonio contra inimicum; quia tortura non purgat defectum inimicitiæ. Nonò, Clerici contra Laicos in cauſa ſanguinis non poſſunt cogi ad teſtificandum; nam licèt admittantur in caſibus exceptis, & privilegiatis, Superiores tamen non debent dare licentiam, ut deponant in cauſa ſanguinis propter periculum irregularitatis.

§. 2. In caſu verò, quo teſtes non poſſunt cogi, præſertim in cauſis Regularium, qui non poſſunt cogere Laicos, nec Clericos, nec alios extraneæ Religionis, nec expedit eos compellere per ſuos Superiores: poſſunt Prælati Regulares mittere duos Religioſos graves probatæ vitæ, ut alloquantur eas perſonas, à quibus informentur familiariter ſuper delicto, qui deindè factum narratum ad Iudicem cum juramento referant, & valebit depoſitio illorum, ac ſi ipſamet perſona, quæ delictum vidit, depoſuiſſet immediatè. *Ità f. Mart. à S. Ioſeph in ſuo epit. c.* 4. *n.* 5. *& cap.* 7. *nu.* 6. *Ioſeph à S. Maria in ſuo Tribun. tract.* 4. *c.* 7. *§.* 7. & talis depoſitio facta coràm Iudice Regulari valet ad torturam in ſententia multorum, licèt diſſentiat Bord. *in prax. crim. c.* 15. *n.* 30.

Et

§. 3. Et quamvis Superior Regularis poſſit cogere ſuum ſubditum, ut teſtificet contra alium ſubditum ipſius Superioris in caſu, quo teſtis cogi poſſit ad teſtificandum; non tamen poteſt cogere, ut teſtificet contra aliquem Laicum Sæcularem, vel Clericum, aut Religioſum alterius Ordinis, nec Subditus in hoc tenetur obedire; quia Superior non poteſt præcipere ea, quæ ſunt præter, vel ſupra Regulam, ut ex communi teſtatur Sanchez *lib. 6. c. 2. n. 13.* Et in propriis terminis Bord. *ibid. c. 16. n. 11.* Item cogi poſſunt etiam per torturam teſtes, qui dicunt, ſe non recordari de his, de quibus veriſimiliter recordari debent; & multò magis quandò affirmant ſe non recordari de his, quæ eodem contextu geſta ſunt. Nam ſi ricordantur de uno, ità veriſimiliter recordari debent de aliis; & hoc etiam procedit, quandò teſtis dicit non recordari de perſonis, quæ ſimul erunt præſentes.

De Teſtium tortura. Regula XV.

§. 1. TOrmentum torturæ non datur niſi in ſubſidium Iuris; ideò antequam Iudex inferat torturam ſive Reo, ſive Teſtibus inſpicere debet, an aliter quàm per torturam veritas haberi poſſit: nam ſi alia via poteſt illam extorquere non eſt inferenda; cum ſit remedium tantùm ſubſidiarium: Et præcipuè in tortura teſtium Iudex debet eſſe valdè circunſpectus nè injuſtè, & fruſtra torqueatur, cùm Teſtes indebitè torti non probent, ſed nec indicium faciunt. Et Iudex ſine legitima cauſa, & legitimè in actis probata Teſtes, & etiam Reos torquens incidit in excommunicationem latam in Can. *ſi quis ſuadente Diabolo* in Iudicem temerè procedentem, qui etiam officio deſtituendus, & ad id perpetuò inhabilis declarandus omninò erit. *Clar. q. 64. Alex. conſ. 65. l. penult. ff. de quæſt. Leſſ. de juſt. & jur. l. 2. c. 29. dub.* 17. Et ſi plures eſſent Teſtes, duobus tantùm, vel tribus inferenda eſſet tortura; & licèt arbitrio Iudicis, remittatur; quis eorum prior torquendus ſit; attamen regulariter incipiendum eſt à magis ſuſpectis: & dato, quòd omnes eſſent æqualiter ſuſpecti incipiendum èſt ab eo, à quo faciliùs veritas haberi poſſet, & conſequenter à Iuniori, timidiori, & debiliori: & hoc idem dicendum eſt de tortura Reorum, quando plures ſunt. Nec teſtes torqueri debent antequam Reus conſtituatur, ut ſi forte iſte fateatur delictum opus non ſit Teſtes torquere. Item non poſſunt torqueri, niſi contra eos præcedant indicia, quòd ſint informati de his, de quibus interrogantur, & veritatem dicere nolent. Indicia enim contra Teſtes, quibus mediantibus torqueri poſſunt, non ſunt indicia delicti ſicut in Reo, ſed indicia ſcientiæ, quam teſtes negant, quæ indicia debent eſſe certa, non æquivoca, ſed luce meridiana clariora; ità ut Iudex de eorum ſcientia nihil dubitare poſſit.

§. 2. Cauſæ autem torquendi teſtes, ſunt: Prima, ſi ſunt inhabiles ad teſtificandum, ut infames, viles perſonæ, ſocii criminis, ultronei &c. nam iſti debent abluere maculam inhabilitatis vi tormentorum. *Boſſ. de tort. teſt. n. 9. Clar. q. 25. Ferraz. tit. 11. c. 4. Inciſ. tract. 7. c. 18.* Secunda, teſtes varii in ſubſtantialibus: Negantes in judicio, quòd extra dixerunt. Qui interfuerunt delicto, & negant: qui veritatem ex malitia confiteri nolunt: qui de mendacio ſunt convicti: qui vacillant

in ſuis dictis: qui juridicè interrogati, reſpondere nolunt, aut Iudicem irrident: ità communiter Doctores. Item qui ſunt contrarii in ſubſtantialibus. Advertat tamen Iudex, quòd Teſtes in dignitate poſiti ob ſolam variationem torqueri non poſſunt, niſi in exceptis. Item Debiles, Infirmi, Pueri, Senes, & qui ſexageſimum annum attigerunt, Patres graviſſimi, quorum fama plurimum Religioni confert, torqueri non debent: Si tamen caſus eſſet adeò atrox, & enormis, ut aliud fieri oporteret conſenſus P. Generalis accedere debet, maximè ſi ageretur de tortura funis, vel aliorum tormentorum extraordinariorum, & in abſentia P. Generalis, de mandato P. Procuratoris ex noſtris ſtatutis *loc. cit. n. mihi* 116. Et tortura teſtium debet eſſe mitior, quàm Rei, ità ut non excedat medietatem horæ, nec ſit minor unius quadrantis juxta facti, & perſonarum qualitatem; quòd ſi in teſtibus excederet ſpatium dimidiæ horæ eſſet exceſſiva, & ſic per ea dicerentur purgata indicia negotii principalis; & è contra, ſi ſolum detineretur per ſpatium unius Pater eſſet ità levis, ut non ſufficeret, maximè in illis teſtibus, qui torquentur ad convalidanda eorum dicta, vel ad tollendam maculam inhabilitatis. Et ante torturam præcipuè funis Iudex Reum, vel teſtes, qui torquendi ſunt interrogare tenetur, an habeant aliquod impedimentum, ſeù nocumentum in corpore, ſi eſt infirmus, debilis &c.; ac inducere aliquem peritum qui recognoſcat, tale nocumentum in corpore, per quod non ſit illi inferendum tormentum funis. Immò cùm opus fuerit funis adhibere tormentum, id non debet fieri, niſi peritus aſſiſtat, qui liget & depoſito brachia laxata componat, ut vel ſic charitati, & juſtitiæ conſulatur: quòd obſervandum eſt etiam de aſſiſtentia, & judicio medici, caſu quo tortus, vel torquendus infirmitates, vel animi deliquia allegaret, vel antè appenſionem, vel in fune ſuſpenſus. Et quando Reus, vel teſtis eſt torquendus debet eſſe jejunus, vel poſt factam digeſtionem idèſt, poſt ſeptimam horam à comeſtione.

§. 3. Ante torturam omninò concedendæ ſunt torquendo copia actorum, & defenſiones, ne ſine legitima cauſa irretractabile tormentum ſubire cogatur; qui ſecus fecerit, pœnas contra male torquentes fulminatas incurrit. Quando tamen teſtes, ſunt torquendi ob variationem, vacillationem, vel mendacium reſultans ex ore proprio ipſorum teſtium, & de hoc conſtat in ipſomet proceſſu, tunc proceditur ad torturam non data copia indiciorum, & ſine deputatione, & diſcuſſione Cauſæ cum Advocatis, & Procuratoribus: ſed ſi de mendacio non conſtat niſi per alios teſtes, & Curia ex hoc vult ipſum teſtem torquere tamquam veriſimiliter informatum, & ſe defendit, opponendo contra dictos Teſtes in hoc caſu non eſt ei deneganda copia indiciorum, & defenſiones, ſi ab eo petantur. Idèm dic, ſi teſtis torquetur tamquam Servus crimінoſus, infamis, aut ſocius criminis; & hoc conſtat in Actis per ejus confeſſionem, vel notoriè; tunc non conceditur defenſio, nec diſputatio cum Advocatis: ſed ſi hoc non conſtat per ipſius confeſſionem, vel notoriè, eſt audiendus in ſuis defenſionibus; & tunc datur copia, quæ tantùm percutit ipſum teſtem, & non totus proceſſus. Si verò torquetur tamquam pricipalis quoad ſe, & teſtis quoad alios, debent dari copia proceſſus, & defenſiones. *Farin. q. 39. n.* 147.

n. 147. *& ſeqq.* Si torqueretur ad ſciendum tantùm complices delicti jam confeſſi non dantur defenſiones; quia torquetur in caput tantùm alterius; ſecùs ſi torqueatur ad ſciendam qualitatem aggravantem; quia dantur defenſiones *Scacc. de judic. c.* 100. *n.* 16. Et in tortura non ſunt interrogandi teſtes in ſpecie, ſed in genere contra delinquentem, aliàs eſſet ſuggeſtio; quòd adeò eſt verum, ut reſponſio in tortura ad ſpecialem ſuggeſtivam interrogationem ſit nulla, etiam ſi ſuggeſtio eſſet palliata, & non expreſſa.

§. 4. An autem teſtium depoſitio in tormentis facta egeat ratificatione? Quidam negant, ut Baldus. Contrarium tamen eſt verius, quòd, ſcilicèt; confeſſio in tormentis facta non nocet, nec ipſi Reo, nec aliis nominatis, niſi extra vincula, & timores ſequenti die fuerit ratificata; quia confeſſio emanata in tormentis, metu tormentorum eſt ſuſpecta. Hæ tamen opiniones faciliter conciliari poſſunt. Ut prima opinio procedat, quando tortura eſt levis, nempè, Carceris, compedum, manicarum ferearum, ſubtractionis ſibi, diſciplinæ, ſeù virgarum percuſſio, quæ apud Regulares præcipuè ſunt in uſu, & ſingulariter apud nos ex noſtro modo procedendi *loc. cit.* Vel quando tortura infertur teſti ad convalidandum dictum, vel ad tollendam maculam, vel ad videndum in quo dicto perſiſtat: tunc enim quia tortura datur ad purgandam maculam, & ad tollendum defectum, ſublata macula, & defectu nihil ampliùs requiritur, nec ulteriùs eſt interrogandus, niſi Iudex velit illũ ponere ad faciem nominatorum, & illum cum ipſis confrontare ſi negent, ut faciliùs veritatem requirat, prout facere licet, ut tradit *Clar. qu.* 45. *nu.* 14. Secunda verò opinio procedit, ſi tortura teſti illata fuerit, quia negavit interfuiſſe facto, de qua præſentia fuerat convictus, aut quando veriſimiliter fuerit de delicto informatus, quia fuit præſens, & negavit aliquid ſcire, vel audiviſſe, aut vidiſſe, nam tunc requiritur ratificatio, prout requiritur in ipſo Reo in tormentis confeſſo. Immò poſt primam torturam, & ratificationem, requiritur alia levis tortura ad tollendam maculam, & ut confirmet dictum ſuum in tortura, & poſt hanc torturam non requiritur alia ratificatio extra tormenta. Alii tamen tenent, quòd requiratur ratificatio, vel quòd ſi Iudex ità faceret, non malè faceret, ſed tutiùs procederet. Et hæc confeſſio facta in tortura dicitur debilior confeſſione priùs ſine tortura facta tàm in ſe, quàm in alios; & ideò quandò eſt ſibi contrarius ſtandum eſt primæ depoſitioni. *Aret. conſ.* 61. *Baiar. q.* 65. *nu.* 2. *ubi citat Bald. in l.* 1. §. *quæſt.*, qui facit tres caſus. Primò, quando quis in ſe tantùm interrogatur; & tunc validior eſt confeſſio ſpontanea in tormentis. Secundò, quando quis de alio interrogatur; & tunc quæ fit in tormentis eſt validior. Tertiò, quando quis torquetur in ſe & in alios; & tunc debilior eſt confeſſio, quæ fit in tortura.

§. 5. Et licèt teſtes non torqueantur, niſi ſemel attamen quando indicia, pro quibus tortura illata fuit, plenè evacuata non fuerunt, poſſunt iterùm, atque iterùm uſque ad tertiam vicem torqueri, quòd evenit quando multum urgentia ſunt indicia, ſeù quando nova, & graviora ſuperveniunt indicia, vel cùm ſæpiùs teſtes varii ſunt, hi enim in tali caſu torqueri poſſunt, ſi dictum in tortura ratificare nolunt, non tamen ultra tertiam vicem: Immò in tali caſu non eſt repetitio, ſed con-

tinuatio eiuſdem torturæ, quæ præſtari poteſt pluries etiam eadem hora: ſi verò eſt repetitio diſtincta, prohibita eſt in quocumque caſu eodem die. Sciat tamen Iudex; quòd nulli unquam, & præcipuè teſtibus tormenta applicanda ſunt cùm aliundè veritas haberi poſſit: undè ſi quis eſſet convictus, quòd fuit præſens facto, & ipſe negaret, non poſſet torqueri, quando adſint alii teſtes, qui facto interfuerunt, & deponerent, & propalarent factum, & delinquentem, quia tortura, ut diximus, eſt remedium ſubſidiarium in defectu aliarum probationum, quandò veritas aliter haberi non poſſit. *Clar. q. 64. num. 5.*, poteſt tamen puniri de perjurio, & falſo. *Farin. q. 67. n. 220.*

De conſideratione examinis Teſtium ſeù de Indiciis, & probationibus. Regula XVI.

§. 1. Cùm tota Iudicii ſubſtantia ex dicto Teſtium, & ex vi probationum, ſeù indiciorum dependeat: Idcircò prudens Iudex peracta Inquiſitione, & Teſtium examine facto, antequam ad ulteriora procedat, vim probationum, & indiciorum ex proceſſu reſultantium exactè conſiderare, & maturè diſcutere debet, num plenam, vel ſemiplenam probationem faciant. Item conſiderare debet ſi conſtet de corpore delicti, de quo ſi non conſtat, non poteſt Reum interrogare, nec Inquiſitionem ſpecialem formare, nec Reum citare. In illis tamen delictis, quæ ſunt difficilis probationis corpus delicti ſufficit conſtare per conjecturas. *Farin. q. 2. n. 12*, ſeù præſumptivè, quòd maximè procedit in delictis facti tranſeuntis, in quibus corpus delicti probatur per indicia, & non præcedentibus indiciis, & conjecturis in talibus delictis, non poteſt devenire Iudex ad interrogationem, nec contra Reum tranſmittere Inquiſitionem, ſeù citationem. *Farin. ibid. nu. 13.* Et indicia debent eſſe ſufficientia ad interrogandum; quia ſi non eſſent ſufficientia, Confeſſio indè ſecuta, cum juramento firmata, & ex ſupra venientibus indiciis roborata non nocet, ut communiter aſſerunt Doctores, nemine diſcrepante.

§. 2. Eſt autem probatio modus, ſive medium, quo res probata dicitur, nempè, Teſtium dictis, præſumptionibus, indicijs, ſeù infamia legitimè probatis. Item ſcripturis, documentis, inſtrumentis &c. juxta varietatem cauſarum, quæ tractantur. Et eſt in quadruplici differentia. Alia dicitur perfecta, alia imperfecta: Alia plena, alia ſemiplena, ſeù evidentiſſima, & evidens. Perfecta eſt illa, quæ tantam fidem facit, quantam ad finiendam controverſiam ſufficit; & hæc requirit ultra Denunciationem, & Denunciatorem duo teſtes conteſtes omni exceptione majores, qui plenam, & dilucidam probationem in ſubſtantialibus efficiant, undè dicitur quoque plena probatio. Imperfecta eſt illa, quæ fit per teſtes ſingulares, qui plenam probationem non faciunt, ſed tantùm ſemiplenam, & inchoatam ſi ſunt omni exceptione majores. *Caet. 2. 2. q. 69. Panor. & alij extr. de probat.* ſi verò non ſunt omni exceptione majores faciunt ſolum imperfectam probationem. Undè ſemiplena probatio eſt illa, quæ rei geſtæ fidem aliquam facit Iudici, non tamen tantam, ut ſufficiat ad Reum condemnandum pœna ordinaria, & hæc fieri po-

poteſt quatuor modis. Primò, per depoſitionem, poſt Denunciantem, unius teſtis idonei jurati, & omni exceptione majoris, qui proprijs oculis viderit, vel proprijs auribus audierit delictum commiſſum, de quo requiritur. Secundò fit per litterarum comparationem: Tertiò per ſcripturam privatam: Quartò per præſumptionem non urgentem. *Maſc. concl. 4. n. 11. 15. 17. Farin. q. 36 n. 21.* Et quando ſemiplenæ probationi vehemens addatur adminiculum probatio plena evadit. *Anian. Bald. Marſ. & Maſc. l. 1. de probat. concl. 55. n. 1.* Adminiculum enim eſt confirmatio, ſeù ſuppletio probationis per ſe ſolum non operans, ſed benè cum alijs. *Maſc. loc. cit. & Bald. in l. ea quidem C. de accuſat.* Probatio evidentiſſima eſt, quæ ex privilegijs, inſtrumentis, & litteris cæteriſque eius generis eruitur: *c. licet cauſam de probat. c. pia. de except. in 6.* Probatio evidens eſt, quæ teſtium dictis, reique evidentia reſultat. *c. tua de cohabit. cler. & mulier. c. cum contingat de reſcrip.* Datur etiam alia probatio minus evidens, quæ ex probabilibus conjecturis deducitur, quæ & præſumptiones vocantur. *c. afferent. de præſumpt. l. metum ff. de dolo. c. ſi clerici de ſent. excom.*

§. 3. Indicium eſt notabile ſignum maleficij, vel alterius rei ad veritatem habendam, quo, vel quibus mediantibus, & legitimè probatis Iudex contra delinquentes ad inquirendum movetur. *c. ſtudijs de præſumpt. Angel. de maleſ. v. fama. Bitt. q. 61. n. 4.* Et eſt in duplici differentia: Aliud eſt proximum, aliud remotum; proximum eſt, quod immediatè reſpicit veritatem rei, & delicti; Remotum verò, quod reſpicit tantùm circunſtantias: Item aliud eſt leve, aliud grave, aliud graviſſimum; & licèt Iudicis arbitrio horum diſcrimina, ut plurimum relinquantur, etiam ex noſtro modo procedendi *in 3. ſubſt. nu. mihi* 114. attamen ut illius indicium in re tanti momenti, minùs quàm fieri poteſt, à ſemita veritatis diſcedat, illa diſtinguemus, ut infra.

§. 4. Indicia levia ſunt: Phyſionomia mala, rubor, pallor, timor, inconſtantia, quæ ſæpè ſolent eſſe fallacia indicia. Conſuetudo delinquendi in eodem crimine, bis, tervè; ſecundùm regulam legis: Semel malus, ſemper præſumitur &c. niſi per triennium probetur cum laude vixiſſe: Inimicitia non capitalis, nimis levis eſt: ſi gravis, & capitalis fuerit, etiam ad capturam Rei ſufficit. Fama, ſi originem trahat à viris probis, & honeſtis, eſt indicium ad ſpecialem Inquiſitionem. Et ſi ſtatim ex delicto emerſerit à perſonis fide dignis, ſufficit etiam ad torturam. Dictum ſocii criminis, ſi per torturam maculam abſtergat, facit indicium grave, & vehemens. Item dictum teſtis inhabilis; niſi per torturam inhabilitatis maculam & ipſe abſtergat, & tunc non indicium, ſed teſtimonium reputabitur. Hæc, & ſimilia dicuntur indicia levia, quia ſolùm ſufficiunt ad aperiendam viam Iudici, ut ſpecialiter inquirere poſſit, non tamen conſtituere Reum, & eò minus torquere, niſi alijs indicijs adjuventur, tranſeantque in gravis indicij naturam.

§. 5. Indicia gravia ſunt Confeſſio extrajudicialis facta ſine vi, metuvè coram Iudice incompetente: *Clar. q. 21. v. conf. extrajud. Farin. q. 33. n. 16. & q. 51. n. 47.* Scriptura manu Rei facta, putà, litteræ amatoriæ. Minæ delictum præcedentes à viro improbo prodeuntes, ſecùs ſi à probo alioquin excandeſcente: tunc enim ad inquirendum ſolùm ſufficiunt *Covar. lib. 2.* Inventio rei furatæ apud aliquem,

niſi

niſi probet undè habuerit, vel ſit vir bonæ famæ, & rem publicè teneat. *Farin. q. 57. n. 74.* Vel rerum, quæ inventæ eſſent in loco delicti, niſi doceat undè eas habuerit. Variatio, Vacillatio, Mendacium Rei non ſtupidi, nec obliviosi circa delicti ſubſtantiam, non tamen circunſtantias. *Pariſ. de ſynd. verſ. tortura. Farin. q. 52. n. 20. & q. 66. n. 100. Inciſa tract. 8. de indic.* Fuga Rei poſt delictum, & ante inceptam informationem, vel etiam poſt, juncta fama, vel cum fractione carcerum, niſi indebitè detineretur, probat delictum. *Boſſ. de indic. n. 49. Farin. q. 48. n. 25. 30. Gomez. c. 9. n. 11.* Sequeſtratio ſolius cum ſola in loco ſecreto, & ſuſpecto obſcuro, vel obſeratis foribus, vel nocturno tempore. Exclamatio puellæ, vel pueri, vel offenſi cum fuga, vel tremore, vel pallore delinquentis. Confeſſio facta in tormentis, & retractata in ratificatione: *Pariſ. ibid. c. 6. n. 1.* Hæc omnia indicia, quæ etiam præſumptiones dicuntur, ſufficiunt ad Reum inquirendum, conſtituendum, & etiam torquendum, ſi negaverit.

§. *6.* Indicia graviſſima, quæ violenta, & indubitata dicuntur, ſunt illa, quæ oriuntur ex maximis, & evidentibus conjecturis, & hæc movent mentem Iudicis ad certitudinem quamdam moralem, quòd Reus tale delictum commiſerit, ſufficiuntque non ſolùm ad inquirendum, & conſtituendum, ſed etiam ad condemnandum Reum. Ut ſi quis v. g. nudus cum nuda in eodem lecto deprehendatur, fornicatio præſumitur. *Gloſſ. in c. ſi quis uxorem 32. q. 1. cap. ex lit. de præſumpt. ubi D. D.* Si quis ſtricto enſe, & ſanguine conſperſo exeat de domo unicam januam habente, in qua ſit occiſus, tanquam homicida condemnari poteſt; niſi aliqua defenſione delictum minuat, in quo caſu pœna tantùm extraordinaria puniri poterit, exceptis attrociſſimis, quæ pœna ordinaria debent puniri. *Bart. l. fur eſt manifeſtus ff. de furtis. Farin. q. 52. n. 54.* Omnia indicia cujuſcumque generis ſint, nulla reputantur; niſi quodlibet ipſorum per duos ſaltem teſtes conteſtes integros probata ſint. *Clar. q. 20. n. 1. Farin. q. 37.* & habetur etiam in noſtro modo procedendi *loc. cit.* Et quamvis liceat Iudici indicia inter ſe copulare, quia indicia ad invicem ſe adjuvant: undè licèt unum indicium leve ad torturam non ſufficiat, junctum tamen cum alio ſufficit, ut dictum vulnerati, & conſuetudo delinquendi in eodem genere, faciunt unum indicium ad torturam. *Inciſa ibid. cap. 6. num. 9. Ambroſ. l. 4. c. 1. num. 20.* nihilominùs propter ſola indicia, nemo poteſt condemnari, nec ſtantibus rebus abſolvi ex noſtro modo procedendi *ibid. nu. 115.* ſed debent purgari per indicia contraria; nempè, Fuga per voluntariam præſentationem: Mala vita, aut fama, ſi per tres proximos annos probatum fuerit fuiſſe bonæ famæ, & inculpatæ vitæ &c.

§. 7. Plura indicia remota à maleficio ſingula probata per teſtes ſingulares, etiam quòd non ſint omni exceptione majores, ſed minus idoneos, & aliquem patiantur defectum ſufficiunt ad torturam, quando indicia eſſent ad minus tria, licèt non valde urgentia, & etiam ubi duo tantùm extarent, & veriſimilia viderentur. Teſtes tamen debent eſſe integræ fidei. *Guaz. def. 30. c. 4. nu. 13.* Et indicia, unumquodque in ſua claſſe, & in quocumque genere, debent eſſe luce meridiana clariora, certa, & non dubia; non æquivoca concludentia, & delictum inferentia, ità ut ſola Rei confeſſio deeſſe videatur: Secùs acta erunt nulla, & Iudex famæ reſtitutio-

nem

nem & ad omnia damna tenebitur. Indicium verò proximum, & immediatum de delicto ipſo probatum per unum teſtem omni exceptione majorem ſine alijs adminiculis ſufficit ad interrogandum, & eſt ſufficiens ad torturam; ut ſi v. g. quis vidit, vel audivit. *Belag. tract. 6. per totum.* Indicia ſufficientia ad Reum interrogandum ſunt procul dubio illa, quæ pertingunt ſaltem ad ſemiplenam probationem; ut eſt depoſitio unius Teſtis oculati de delicto omni exceptione majoris, vel indicia ei æquipollentia, & in hoc concordant unanimiter Iuriſtæ, Theologi, & Summiſtæ omnes. Et licèt aliqui Iuriſtæ ſuſtineant non requiri ſemiplenam probationem, ſed ſufficere indicia, vel ſaltem præſumptiones non ſolùm ad interrogandum, ſed etiam ad torquendum. apud nos tamen ex vi noſtrorum Statutorum *n. mihi 98.. n 2. ſubſtan.* requiritur, quòd delictum ſit probatum ſaltem ſemiplenè, vel per infamiam, vel per unum teſtem omni exceptione majorem, vel per indicia illi æquipollentia.

§. 8. Confeſſio extrajudicialis certa, & veriſimilis probata per duos teſtes conteſtes non ſingulares facit ſemiplenam probationem, quòd maximè procedit in confeſſione facta coram Iudice, competenti, non in forma judicij, ſed ut à perſona privata, & etiam facta coram Iudice incompetenti abſque vi, & metu, quæ cùm habeat vim Confeſſionis extrajudicialis facit indicium ad torturam coram Iudice competenti, licèt fuerit coram eo revocata; dummodo tamen Acta Iudicis incompetentis non fuerint declarata nulla; quia ſi fuiſſent declarata nulla, talis confeſſio ampliùs non valeret ad torquendum. Si verò talis confeſſio eſſet emanata per metum, vel minas, vel calore iracundiæ, vel incidenter, vel per laſciviam, vel per vanam gloriam, non facit indicium ad torturam; ſi tamen redundaret in damnum alterius, confitens ex ſola jactantia, & gloriatione puniri poteſt, & debet; quia hujuſmodi confeſſio eſt delictum de per ſe, pro ut is, qui jactavit ſe carnaliter cognoviſſe aliquam honeſtam mulierem &c. & ſufficit ad imponendam confitenti pœnam extraordinariam Iudicis arbitrio ſecundùm qualitatem injuriæ tertiæ perſonæ factæ; Et ſi confitens non probaret ſuam confeſſionem emanatam fuiſſe Ioco, & eſſet poſitus ad torturam pro delicto extrajudicialiter confeſſo, cum clauſula ſine præjudicio, & ſuſtineret torturam, non per hoc eximitur à pœna; quia ut dixi, eſt delictum de per ſe. Undè licèt abſolvatur à delicto principali, non debet abſolvi pro dicta jactantia legitimè probata. *ità D. D. communiter apud P. Didac. p. 5. c. 13. n. 20.*

§. 9. Fama, eſt communis opinio, voce manifeſtata ex ſuſpicione proveniens, ut alibi diximus, quæ ſi circa malum verſatur dicitur infamia, & quando ſæpiùs ad aures Superioris defertur, vocatur Clamoroſa inſinuatio. Quæ fama, ſeù infamia viam Inquiſitioni pandit, ſi à viris probis, & honeſtis ortum habet, & in principio proceſſus conſtet ſaltem per duos teſtes conteſtes, qui expreſsè debent interrogari à quibus audierint, quos ſi non nominant, nulla eſt famæ, ſeù infamiæ probatio. Et teſtes deponentes de fama, tenentur etiam dicere de cauſa ſcientiæ famæ, groſſiori modo declarando quid ſit fama alias depoſitio non ſubſiſtit regulariter loquendo. Non per hoc tamen eſt contemnenda fama ſi ortum habeat à turpibus perſonis, quando in loco non poſſunt haberi teſtes honeſti, & fide digni; ut ſi v. g. agatur de

delicto

cit alios oppoſitam tenentes, cum hoc tamen limitatione, quòd teſtis non ſit prorſus inhabilis; ut inimicus, conſpirator, & ſimilis: nam teſtis prorſus inhabilis non poteſt recipere ſupplementum à teſte habili. *Bald. & D.D. in l. ſi quis ex argentarijs ff. de eodem*; & multò minus ex adminiculis, & præſumptionibus. Et idem dicitur de inhabilitate, quæ provenit ex intereſſe, dummodo veniat principaliter, ſecùs ſi in conſequentiam. *Bertaz. concl. 178. n. 16.* Contrarium tamen docet Menoch. aſſerens, quòd nominatio ſocij criminis non prorſus inhabilis cum uno teſte omni exceptione majori non plenè probet delictum. Et Farin. *q. 43. n. 167.* dicit, quòd talis opinio eſt apertè falſa; quòd maximè procedit, quando cum teſte non prorſus inhabili concurrunt adminicula; quia tunc ipſe ſolus cum adminiculis facit ſemiplenam probationem; & ſic junctus cum alio teſte omni exceptione majori, qui facit aliam ſemiplenam probationem, dum tendunt ad eundem finem, faciunt plenam probationem: Et idem dicitur, quando duo ſocij criminis etiam ſine adminiculis junguntur cum teſte omni exceptione majori; quia probationes imperfectæ junguntur, quando quælibet probatio facit ſemiplenam probationem, & tendunt ad eumdem finem. *Bal. in l. ſpadonem §. qui Iura ff. de accuſ. Aret. Felin. & alij citati à Vivio concl. 945. n. 3.*

§. 7. Sed hîc oritur difficultas, an teſtis inhabilis, ſeu non integer admiſſus; vel quia ſumus in his, quæ fiunt clam, & ſecretè, vel quia non poſſunt haberi alij teſtes habiles, vel aliqua alia ratione ſpeciali admittatur cum tortura, dicatur omni exceptione major? Opinio eſt hinc indè à multis Doctoribus pro una quaque parte roborata. Prima affirmat, ità quòd duo teſtes inhabiles cum tortura convincunt in his, quæ ſunt difficilis probationis. Secunda verò, & eſt probabilior, negat; quia tortura non purgat totaliter inhabilitatem, ſed in parte: undè quando teſtes non integri admittuntur aliqua ratione ſpeciali, non ſunt omni exceptione majores, ſed aliqualem probationem faciunt: Et iſta aliqualis probatio inducta per teſtes inhabiles eſt minus quàm ſemiplena. *Farin. q. 62. num. 73.* Et ſic unus teſtis inhabilis, quando aliqua ratione admittitur, deponens de veritate non facit indicium ad torturam, etiam ſi deponat cum tortura, cum alijs tamen indicijs, facit indicium ad torturam, ità communiter Doctores. Hinc eſt, quòd ſi ſocius criminis fatetur còntra ſe, & tertium, & eius depoſitio fuerit adminiculata, & illam firmavit in tortura, gravat nominatum ad torturam etiam in criminibus non exceptis; ſecùs ſi non eſt adminiculata, quia in tali caſu facit tantùm indicium ad inquirendum. *Clar. q. 21.* qui teſtatur de communi. Undè regulariter iſta duo neceſſariò concurrere debent, nempè, tortura, & adminicula; ut unus teſtis inhabilis faciat indicium ad torturam: quòd multò magis procedit in criminibus exceptis, in quibus leviores ſuſpiciones, & adminicula ſufficiunt, quàm in non exceptis. *Clar. ibid.* Et quia in Iure non eſt determinatum, quæ adminicula concurrere debent, relinquitur arbitrio Iudicis juxta qualitatem perſonæ, & delicti: aliqui volunt quòd ſufficiat adminiculum malæ famæ, & unum adminiculum per duos teſtes probatum ſufficit. *Farin. q. 37. n. 14. & alij.*

§. 8. An autem teſtes inhabiles, qui plures patiuntur defectus, ſint prorſus inhabiles, itàut nullam faciant fidem etiam in caſibus difficilis probationis, in qui-

bus

bus veritas aliter haberi non poſſit? Opinio pariter eſt hinc indè. Aliqui affirmant, etiamſi de Iure communi Statuto aliquo, vel conſuetudine ſocii criminis, & alij teſtes inhabiles admitterentur; nec cum tortura admittuntur; quia tortura non ſupplet plures defectus. *Farin. cum alijs ab eo citatis q. 62. nu. 381. & ſeqq. Guaz. def. 19. c. 18. n. 7.* Sed Bajar. ad Clar. *q. 24. n.* 128. dicit quòd, quidquid ſit de Iure, conſuetudo ſervat, ut omnes teſtes cum tortura admittantur, etiam quod mille defectus patiantur, aliàs raro dictum ſocij criminis, qui pluribus defectibus perſæpè ſunt notati nullum indicium facerent, & ſic delicta remanerent impunita, quando tamen ſunt magis infames, majori tortura ſunt afficiendi ad eorum dicta convalidanda. *Ricc. deciſ. Cur. Archiep. c.* 149. *p.* 3. ubi ità deciſum refert, & addit, quod hanc opinionem teneat conſuetudo. Et quamvis Farin. *ibid. n.* 383. impugnat Bajardum, practica tamen eſt in contrarium, quòd, ſcilicèt, confirment eorum dicta in tortura & deindè procedatur contra nominatos, modò aliquod aliud adminiculum concurrat. Et in noſtro modo procedendi *in 3. ſubſtant. nu. mihi* 112. ſtatuitur, quòd cum inhabilitas teſtium ſit de Iure poſitivo, & ad ſolemnitatem pertineat, excepta inimicitiæ inhabilitate, quæ fundatur in Iure naturæ, poterunt teſtes inhabiles per noſtros Iudices admitti ſi, & quatenùs ipſis expedire videbitur. Et ibid. *nu.* 108. dicunt, quòd Socius criminis purgatus, & adminiculatus valet ad torquendum. Si verò ſint plures purgati valent ad condemnandum pœna extraordinaria. Qui verò ſe tentatos, & ſolecitatos, ſed renuiſſe, affirmant, non ſunt ſocii criminis, & ſi plures ſunt, ſufficiunt ad condemnandum. Verior tamen, & communior opinio, quam refert, & ſequitur Farin. eſt, Dictum ſocij criminis, valere tantumodò ſicut dictum vulnerati propter odium, & inimicitiam, quæ exorta præſumitur ex tali tentatione, vel ſollicitatione. Et in additionibus ad noſtras Inſtructiones Iudiciales factis in Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1662. *num. mihi* 109. poſt enumerationem teſtium infamium ſic concluditur. Declaramus prætereà hujuſmodi teſtes aliàs infames etiamſi ex uſu Religionis admittantur ad actus legitimos, ad celebrationem &c. non tamen poſſe, vel debere admitti tanquam teſtes integros, & ad plenam probationem in Iudicijs adverſus alterum.

§. 9. Ultra teſtes inhabiles, de quibus ſupra locuti ſumus, ſunt etiam alij, qui repelluntur à teſtimonio, inter quos poni poſſunt, qui ſunt affectionati; *cap. Accuſator. s. Bertaz. conſ.* 170. *n.* 7. & *conſ.* 251. *n.* 13. Et qui ſponte ſe offerunt ad deponendum contra aliquem, ſimiliter repelluntur; quia præſumuntur inimici. Et ſpontè dicitur deponere teſtis, qui ſe Curiæ præſentavit, nec citatus, nec vocatus, nec requiſitus.

De Teſtibus, qui poſſunt, vel non poſſunt cogi ad veritatem deponendam. Reg. XIV.

§. 1. QUoniam officium teſtis eſt publicum, & neceſſarium, ideò teſtes etiam omni exceptione majores, ſi nolunt veritatem deponere in Iudicio, regulariter maximè in cauſa criminali à Iudice cogi poſſunt, ut veritatem dicant; &

ſi eam

ſi eam deponere nolunt ſunt cogendi per cenſuras, vel per torturam, & efficacius eſt per carceres; quòd maximè procedit, quando veritas aliter haberi non poteſt. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus teſtes non poſſunt cogi. Et primò, ſi non conſtat de corpore delicti contra Reum; nam quando non poteſt cogi principalis, multò minus teſtis. Secundò, ſi teſtes ſunt privilegiati, ut Filius contra Patrem, etiam de conſenſu Patris: nec frater, nec Conſobrinus, nec Conſobrina, nec nati ex eis, nec patruus, amita, avunculus, nec matertera. Gener adverſus ſocrum, Uxor contra maritum, Liberti contra patronos, & eorum liberi & è contra. Agnati, Cognati, affines uſque ad quartam generationem, niſi aliter veritas haberi non poſſit. *Farin. q.* 78. *n.* 108. *q.* 100. *n.* 110. Tertiò, non poſſunt cogi teſtes, ſi non conſtet, quòd ſint veriſimiliter informati, & quòd veriſimiliter ſcire poſſint id, de quo interrogantur; alias ſi eſſent torti, confeſſio non noceret nec ipſis, nèc ab ipſis nominatis. Quartò, non poteſt cogi teſtis, cui ex depoſitione aliquod periculum ſibi evenire poteſt, prout ſi contraheret inimicitiam cum aliqua perſona potenti. Et Iudicis arbitrio relinquitur, ſi teſti immineat, vel non, tale periculum. Et in foro conſcientiæ interrogatus, aliàs non tenebatur dicere veritatem, ſi timebat ſibi aliquod damnum eventurum in fama, honore, aut bonis externis. *Sic docebant Navar. in Encher. c.* 25. *n.* 50. *& Leſſius de juſt. lib.* 2. *c.* 30. Sed de præſenti hæc opinio eſt damnata per Sanctiſs. D. N. Innoc. XI. undè nunc tenetur teſtificare veritatem etiam cum gravi detrimento, & præjudicio. Quintò, non poteſt cogi ad deponendum id, quod ſub ſigillo ſecreti, aut gratia petendi conſilium, aut auxilium, aut remedium quis noverit, etiamſi præceſſerit infamia, aut ſemiplena probatio, niſi aliundè ſciverit, vel factum vergeret in Reipublicæ, vel alterius damnum, & præjudicium pendens in futurum. *Navar. in manu. c.* 25. *concl.* 5. *Leſs. ibid. c.* 6. *nu.* 6. *Reginal. in prax. lib.* 24. *n.* 47. *Azor. & alij*. Sextò, non poteſt cogi teſtis ad reſpondendum in tangentibus propriam turpitudinem; quia hoc eſt probandum à parte contraria. Septimò, Sacerdotes non poſſunt cogi ad revelandum ea, quæ ipſis in Sacramento Confeſſionis per pœnitentem expoſita ſunt. Octavò, teſtes in totum, & totaliter inhabiles non poſſunt torqueri ad deponendum, quia nullum facerent indicium; & ideò inimicus capitalis non debet torqueri pro ferendo teſtimonio contra inimicum; quia tortura non purgat defectum inimicitiæ. Nonò, Clerici contra Laicos in cauſa ſanguinis non poſſunt cogi ad teſtificandum; nam licèt admittantur in caſibus exceptis, & privilegiatis, Superiores tamen non debent dare licentiam, ut deponant in cauſa ſanguinis propter periculum irregularitatis.

§. 2. In caſu verò, quo teſtes non poſſunt cogi, præſertim in cauſis Regularium, qui non poſſunt cogere Laicos, nec Clericos, nec alios extraneæ Religionis, nec expedit eos compellere per ſuos Superiores: poſſunt Prælati Regulares mittere duos Religioſos graves probatæ vitæ, ut alloquantur eas perſonas, à quibus informentur familiariter ſuper delicto, qui deindè factum narratum ad Iudicem cum juramento referant, & valebit depoſitio illorum, ac ſi ipſamet perſona, quæ delictum vidit, depoſuiſſet immediatè. *Ità f. Mart. à S. Ioſeph in ſuo epit. c.* 4. *n.* 5. *& cap.* 7. *nu.* 6. *Ioſeph à S. Maria in ſuo Tribun. tract.* 4. *c.* 7. §. 7. & talis depoſitio facta coràm Iudice Regulari valet ad torturam in ſententia multorum, licèt diſſentiat Bord. *in prax. crim. c.* 15. *n.* 30.

Et

§. 3. Et quamvis Superior Regularis poſſit cogere ſuum ſubditum, ut teſtificet contra alium ſubditum ipſius Superioris in caſu, quo teſtis cogi poſſit ad teſtificandum; non tamen poteſt cogere, ut teſtificet contra aliquem Laicum Sæcularem, vel Clericum, aut Religioſum alterius Ordinis, nec Subditus in hoc tenetur obedire; quia Superior non poteſt præcipere ea, quæ ſunt præter, vel ſupra Regulam, ut ex communi teſtatur Sanchez *lib. 6. c. 2. n. 13.* Et in propriis terminis Bord. *ibid. c. 16. n. 11.* Item cogi poſſunt etiam per torturam teſtes, qui dicunt, ſe non recordari de his, de quibus veriſimiliter recordari debent; & multò magis quandò affirmant ſe non recordari de his, quæ eodem contextu geſta ſunt. Nam ſi ricordantur de uno, ità veriſimiliter recordari debent de aliis; & hoc etiam procedit, quandò teſtis dicit non recordari de perſonis, quæ ſimul erunt præſentes.

De Teſtium tortura. Regula XV.

§. 1. TOrmentum torturæ non datur niſi in ſubſidium Iuris; ideò antequam Iudex inferat torturam ſive Reo, ſive Teſtibus inſpicere debet, an aliter quàm per torturam veritas haberi poſſit: nam ſi alia via poteſt illam extorquere non eſt inferenda; cum ſit remedium tantùm ſubſidiarium: Et præcipuè in tortura teſtium Iudex debet eſſe valdè circunſpectus nè injuſtè, & fruſtra torqueatur, cùm Teſtes indebitè torti non probent, ſed nec indicium faciunt. Et Iudex ſine legitima cauſa, & legitimè in actis probata Teſtes, & etiam Reos torquens incidit in excommunicationem latam in Can. *ſi quis ſuadente Diabolo* in Iudicem temerè procedentem, qui etiam officio deſtituendus, & ad id perpetuò inhabilis declarandus omninò erit. *Clar. q. 64. Alex. conſ. 65. l. penult. ff. de quæſt. Leſſ. de juſt. & jur. l. 2. c. 29. dub.* 17. Et ſi plures eſſent Teſtes, duobus tantùm, vel tribus inferenda eſſet tortura; & licèt arbitrio Iudicis, remittatur; quis eorum prior torquendus ſit; attamen regulariter incipiendum eſt à magis ſuſpectis: & dato, quòd omnes eſſent æqualiter ſuſpecti incipiendum èſt ab eo, à quo faciliùs veritas haberi poſſet, & conſequenter à Iuniori, timidiori, & debiliori: & hoc idem dicendum eſt de tortura Reorum, quando plures ſunt. Nec teſtes torqueri debent antequam Reus conſtituatur, ut ſi forte iſte fateatur delictum opus non ſit Teſtes torquere. Item non poſſunt torqueri, niſi contra eos præcedant indicia, quòd ſint informati de his, de quibus interrogantur, & veritatem dicere nolent. Indicia enim contra Teſtes, quibus mediantibus torqueri poſſunt, non ſunt indicia delicti ſicut in Reo, ſed indicia ſcientiæ, quam teſtes negant, quæ indicia debent eſſe certa, non æquivoca, ſed luce meridiana clariora; ità ut Iudex de eorum ſcientia nihil dubitare poſſit.

§. 2. Cauſæ autem torquendi teſtes, ſunt: Prima, ſi ſunt inhabiles ad teſtificandum, ut infames, viles perſonæ, ſocii criminis, ultronei &c. nam iſti debent abluere maculam inhabilitatis vi tormentorum. *Boſſ. de tort. teſt. n. 9. Clar. q. 25. Ferraz. tit. 11. c. 4. Inciſ. tract. 7. c.* 18. Secunda, teſtes varii in ſubſtantialibus: Negantes in judicio, quòd extra dixerunt. Qui interfuerunt delicto, & negant: qui veritatem ex malitia confiteri nolunt: qui de mendacio ſunt convicti: qui vacillant

in ſuis dictis: qui juridicè interrogati, reſpondere nolunt, aut Iudicem irrident: ità communiter Doctores. Item qui ſunt contrarii in ſubſtantialibus. Advertat tamen Iudex, quòd Teſtes in dignitate poſiti ob ſolam variationem torqueri non poſſunt, niſi in exceptis. Item Debiles, Infirmi, Pueri, Senes, & qui ſexageſimum annum attigerunt, Patres graviſſimi, quorum fama plurimum Religioni confert, torqueri non debent: Si tamen caſus eſſet adeò atrox, & enormis, ut aliud fieri oporteret conſenſus P. Generalis accedere debet, maximè ſi ageretur de tortura funis, vel aliorum tormentorum extraordinariorum, & in abſentia P. Generalis, de mandato P. Procuratoris ex noſtris ſtatutis *loc. cit. n. mihi* 116. Et tortura teſtium debet eſſe mitior, quàm Rei, ità ut non excedat medietatem horæ, nec ſit minor unius quadrantis juxta facti, & perſonarum qualitatem; quòd ſi in teſtibus excederet ſpatium dimidiæ horæ eſſet exceſſiva, & ſic per ea dicerentur purgata indicia negotii principalis; & è contra, ſi ſolum detineretur per ſpatium unius Pater eſſet ità levis, ut non ſufficeret, maximè in illis teſtibus, qui torquentur ad convalidanda eorum dicta, vel ad tollendam maculam inhabilitatis. Et ante torturam præcipuè funis Iudex Reum, vel teſtes, qui torquendi ſunt interrogare tenetur, an habeant aliquod impedimentum, ſeù nocumentum in corpore, ſi eſt infirmus, debilis &c.; ac inducere aliquem peritum qui recognoſcat, tale nocumentum in corpore, per quod non ſit illi inferendum tormentum funis. Immò cùm opus fuerit funis adhibere tormentum, id non debet fieri, niſi peritus aſſiſtat, qui liget & depoſito brachia laxata componat, ut vel ſic charitati, & juſtitiæ conſulatur: quòd obſervandum eſt etiam de aſſiſtentia, & judicio medici, caſu quo tortus, vel torquendus infirmitates, vel animi deliquia allegaret, vel antè appenſionem, vel in fune ſuſpenſus. Et quando Reus, vel teſtis eſt torquendus debet eſſe jejunus, vel poſt factam digeſtionem idèſt, poſt ſeptimam horam à comeſtione.

§. 3. Ante torturam omninò concedendæ ſunt torquendo copia actorum, & defenſiones, ne ſine legitima cauſa irretractabile tormentum ſubire cogatur; qui ſecus fecerit, pœnas contra male torquentes fulminatas incurrit. Quando tamen teſtes, ſunt torquendi ob variationem, vacillationem, vel mendacium reſultans ex ore proprio ipſorum teſtium, & de hoc conſtat in ipſomet proceſſu, tunc proceditur ad torturam non data copia indiciorum, & ſine deputatione, & diſcuſſione Cauſæ cum Advocatis, & Procuratoribus: ſed ſi de mendacio non conſtat niſi per alios teſtes, & Curia ex hoc vult ipſum teſtem torquere tamquam veriſimiliter informatum, & ſe defendit, opponendo contra dictos Teſtes in hoc caſu non eſt ei deneganda copia indiciorum, & defenſiones, ſi ab eo petantur. Idem dic, ſi teſtis torquetur tamquam Servus crimінoſus, infamis, aut ſocius criminis; & hoc conſtat in Actis per ejus confeſſionem, vel notoriè; tunc non conceditur defenſio, nec diſputatio cum Advocatis: ſed ſi hoc non conſtat per ipſius confeſſionem, vel notoriè, eſt audiendus in ſuis defenſionibus; & tunc datur copia, quæ tantùm percutit ipſum teſtem, & non totus proceſſus. Si verò torquetur tamquam pricipalis quoad ſe, & teſtis quoad alios, debent dari copia proceſſus, & defenſiones. *Farin. q.* 39. *n.* 147.

n. 147. *& ſeqq.* Si torqueretur ad ſciendum tantùm complices delicti jam confeſſi non dantur defenſiones; quia torquetur in caput tantùm alterius; ſecùs ſi torqueatur ad ſciendam qualitatem aggravantem; quia dantur defenſiones *Scacc. de judic. c.* 100. *n.* 16. Et in tortura non ſunt interrogandi teſtes in ſpecie, ſed in genere contra delinquentem, aliàs eſſet ſuggeſtio; quòd adeò eſt verum, ut reſponſio in tortura ad ſpecialem ſuggeſtivam interrogationem ſit nulla, etiam ſi ſuggeſtio eſſet palliata, & non expreſſa.

§. 4. An autem teſtium depoſitio in tormentis facta egeat ratificatione? Quidam negant, ut Baldus. Contrarium tamen eſt verius, quòd, ſcilicèt; confeſſio in tormentis facta non nocet, nec ipſi Reo, nec aliis nominatis, niſi extra vincula, & timores ſequenti die fuerit ratificata; quia confeſſio emanata in tormentis, metu tormentorum eſt ſuſpecta. Hæ tamen opiniones faciliter conciliari poſſunt. Ut prima opinio procedat, quando tortura eſt levis, nempè, Carceris, compedum, manicarum ferrearum, ſubtractionis ſibi, diſciplinæ, ſeù virgarum percuſſio, quæ apud Regulares præcipuè ſunt in uſu, & ſingulariter apud nos ex noſtro modo procedendi *loc. cit.* Vel quando tortura infertur teſti ad convalidandum dictum, vel ad tollendam maculam, vel ad videndum in quo dicto perſiſtat: tunc enim quia tortura datur ad purgandam maculam, & ad tollendum defectum, ſublata macula, & defectu nihil ampliùs requiritur, nec ulteriùs eſt interrogandus, niſi Iudex velit illũ ponere ad faciem nominatorum, & illum cum ipſis confrontare ſi negent, ut faciliùs veritatem requirat, prout facere licet, ut tradit *Clar. qu.* 45. *nu.* 14. Secunda verò opinio procedit, ſi tortura teſti illata fuerit, quia negavit interfuiſſe facto, de qua præſentia fuerat convictus, aut quando veriſimiliter fuerit de delicto informatus, quia fuit præſens, & negavit aliquid ſcire, vel audiviſſe, aut vidiſſe, nam tunc requiritur ratificatio, prout requiritur in ipſo Reo in tormentis confeſſo. Immò poſt primam torturam, & ratificationem, requiritur alia levis tortura ad tollendam maculam, & ut confirmet dictum ſuum in tortura, & poſt hanc torturam non requiritur alia ratificatio extra tormenta. Alii tamen tenent, quòd requiratur ratificatio, vel quòd ſi Iudex ità faceret, non malè faceret, ſed tutiùs procederet. Et hæc confeſſio facta in tortura dicitur debilior confeſſione priùs ſine tortura facta, tàm in ſe, quàm in alios; & ideò quandò eſt ſibi contrarius ſtandum eſt primæ depoſitioni. *Aret. conſ.* 61. *Baiar. q.* 65. *nu.* 2. *ubi citat Bald. in l.* 1. *§. quæſt.*, qui facit tres caſus. Primò, quando quis in ſe tantùm interrogatur; & tunc validior eſt confeſſio ſpontanea in tormentis. Secundò, quando quis de alio interrogatur; & tunc quæ fit in tormentis eſt validior. Tertiò, quando quis torquetur in ſe & in alios; & tunc debilior eſt confeſſio, quæ fit in tortura.

§. 5. Et licèt teſtes non torqueantur, niſi ſemel attamen quando indicia, pro quibus tortura illata fuit, plenè evacuata non fuerunt, poſſunt iterùm, atque iterùm uſque ad tertiam vicem torqueri, quòd evenit quando multum urgentia ſunt indicia, ſeù quando nova, & graviora ſuperveniunt indicia, vel cùm ſæpiùs teſtes varii ſunt, hi enim in tali caſu torqueri poſſunt, ſi dictum in tortura ratificare nolunt, non tamen ultra tertiam vicem: Immò in tali caſu non eſt repetitio, ſed con-

tinuatio eiuſdem torturæ, quæ præſtari poteſt pluries etiam eadem hora: ſi verò eſt repetitio diſtincta, prohibita eſt in quocumque caſu eodem die. Sciat tamen Iudex; quòd nulli unquam, & præcipuè teſtibus tormenta applicanda ſunt cùm aliundè veritas haberi poſſit: undè ſi quis eſſet convictus, quòd fuit præſens facto, & ipſe negaret, non poſſet torqueri, quando adſint alii teſtes, qui facto interfuerunt, & deponerent, & propalarent factum, & delinquentem, quia tortura, ut diximus, eſt remedium ſubſidiarium in defectu aliarum probationum, quandò veritas aliter haberi non poſſit. *Clar. q. 64. num. 5.*, poteſt tamen puniri de perjurio, & falſo. *Farin. q. 67. n. 220.*

De conſideratione examinis Teſtium ſeù de Indiciis, & probationibus. Regula XVI.

§. 1. Cùm tota Iudicii ſubſtantia ex dicto Teſtium, & ex vi probationum, ſeù indiciorum dependeat: Idcircò prudens Iudex peracta Inquiſitione, & Teſtium examine facto, antequam ad ulteriora procedat, vim probationum, & indiciorum ex proceſſu reſultantium exactè conſiderare, & maturè diſcutere debet, num plenam, vel ſemiplenam probationem faciant. Item conſiderare debet ſi conſtet de corpore delicti, de quo ſi non conſtat, non poteſt Reum interrogare, nec Inquiſitionem ſpecialem formare, nec Reum citare. In illis tamen delictis, quæ ſunt difficilis probationis corpus delicti ſufficit conſtare per conjecturas. *Farin. q. 2. n. 12*, ſeù præſumptivè, quòd maximè procedit in delictis facti tranſeuntis, in quibus corpus delicti probatur per indicia, & non præcedentibus indiciis, & conjecturis in talibus delictis, non poteſt devenire Iudex ad interrogationem, nec contra Reum tranſmittere Inquiſitionem, ſeù citationem. *Farin. ibid. nu. 13.* Et indicia debent eſſe ſufficientia ad interrogandum; quia ſi non eſſent ſufficientia, Confeſſio indè ſecuta, cum juramento firmata, & ex ſupra venientibus indiciis roborata non nocet, ut communiter aſſerunt Doctores, nemine diſcrepante.

§. 2. Eſt autem probatio modus, ſive medium, quo res probata dicitur, nempè, Teſtium dictis, præſumptionibus, indicijs, ſeù infamia legitimè probatis. Item ſcripturis, documentis, inſtrumentis &c. juxta varietatem cauſarum, quæ tractantur. Et eſt in quadruplici differentia. Alia dicitur perfecta, alia imperfecta: Alia plena, alia ſemiplena, ſeù evidentiſſima, & evidens. Perfecta eſt illa, quæ tantam fidem facit, quantam ad finiendam controverſiam ſufficit; & hæc requirit ultra Denunciationem, & Denunciatorem duo teſtes conteſtes omni exceptione majores, qui plenam, & dilucidam probationem in ſubſtantialibus efficiant, undè dicitur quoque plena probatio. Imperfecta eſt illa, quæ fit per teſtes ſingulares, qui plenam probationem non faciunt, ſed tantùm ſemiplenam, & inchoatam ſi ſunt omni exceptione majores. *Caet. 2. 2. q. 69. Panor. & alij extr. de probat.* ſi verò non ſunt omni exceptione majores faciunt ſolum imperfectam probationem. Undè ſemiplena probatio eſt illa, quæ rei geſtæ fidem aliquam facit Iudici, non tamen tantam, ut ſufficiat ad Reum condemnandum pœna ordinaria, & hæc fieri po-

poteſt quatuor modis. Primò, per depoſitionem, poſt Denunciantem, unius teſtis idonei jurati, & omni exceptione majoris, qui proprijs oculis viderit, vel proprijs auribus audierit delictum commiſſum, de quo requiritur. Secundò fit per litterarum comparationem: Tertiò per ſcripturam privatam: Quartò per præſumptionem non urgentem. *Maſc. concl.* 4. *n.* 11. 15. 17. *Farin. q.* 36 *n.* 21. Et quando ſemiplenæ probationi vehemens addatur adminiculum probatio plena evadit. *Anian. Bald. Marſ. & Maſc. l.* 1. *de probat. concl.* 55. *n.* 1. Adminiculum enim eſt confirmatio, ſeù ſuppletio probationis per ſe ſolum non operans, ſed benè cum alijs. *Maſc. loc. cit. & Bald. in l. ea quidem C. de accuſat.* Probatio evidentiſſima eſt, quæ ex privilegijs, inſtrumentis, & litteris cæteriſque eius generis eruitur. *c. licet cauſam de probat. c. pia. de except. in* 6. Probatio evidens eſt, quæ teſtium dictis, reique evidentia reſultat. *c. tua de cohabit. cler. & mulier. c. cum contingat de reſcrip.* Datur etiam alia probatio minus evidens, quæ ex probabilibus conjecturis deducitur, quæ & præſumptiones vocantur. *c. afferent. de præſumpt. l. metum ff. de dolo. c. ſi clerici de ſent. excom.*

§. 3. Indicium eſt notabile ſignum maleficij, vel alterius rei ad veritatem habendam, quo, vel quibus mediantibus, & legitimè probatis Iudex contra delinquentes ad inquirendum movetur. *c. ſtudijs de præſumpt. Angel. de maleſ. v. fama. Bict. q.* 61. *n.* 4. Et eſt in duplici differentia: Aliud eſt proximum, aliud remotum; proximum eſt, quod immediatè reſpicit veritatem rei, & delicti; Remotum verò, quod reſpicit tantùm circunſtantias: Item aliud eſt leve, aliud grave, aliud graviſſimum; & licèt Iudicis arbitrio horum diſcrimina, ut plurimum relinquantur, etiam ex noſtro modo procedendi *in* 3. *ſubſt. nu. mihi* 114. attamen ut illius indicium in re tanti momenti, minùs quàm fieri poteſt, à ſemita veritatis diſcedat, illa diſtinguemus, ut infra.

§. 4. Indicia levia ſunt: Phyſionomia mala, rubor, pallor, timor, inconſtantia, quæ ſæpè ſolent eſſe fallacia indicia. Conſuetudo delinquendi in eodem crimine, bis, tervè, ſecundùm regulam legis: Semel malus, ſemper præſumitur &c. niſi per triennium probetur cum laude vixiſſe: Inimicitia non capitalis, nimis levis eſt: ſi gravis, & capitalis fuerit, etiam ad capturam Rei ſufficit. Fama, ſi originem trahat à viris probis, & honeſtis, eſt indicium ad ſpecialem Inquiſitionem. Et ſi ſtatim ex delicto emerſerit à perſonis fide dignis, ſufficit etiam ad torturam. Dictum ſocii criminis, ſi per torturam maculam abſtergat, facit indicium grave, & vehemens. Item dictum teſtis inhabilis; niſi per torturam inhabilitatis maculam & ipſe abſtergat, & tunc non indicium, ſed teſtimonium reputabitur. Hæc, & ſimilia dicuntur indicia levia, quia ſolùm ſufficiunt ad aperiendam viam Iudici, ut ſpecialiter inquirere poſſit, non tamen conſtituere Reum, & eò minus torquere, niſi alijs indicijs adjuventur, tranſeantque in gravis indicij naturam.

§. 5. Indicia gravia ſunt Confeſſio extrajudicialis facta ſine vi, metuvè coram Iudice incompetente: *Clar. q.* 21. *v. conf. extrajud. Farin. q.* 33. *n.* 16. *& q.* 51. *n.* 47. Scriptura manu Rei facta, putà, litteræ amatoriæ. Minæ delictum præcedentes à viro improbo prodeuntes, ſecùs ſi à probo alioquin excandeſcente: tunc enim ad inquirendum ſolùm ſufficiunt *Covar. lib.* 2. Inventio rei furatæ apud aliquem,

niſi

nem & ad omnia damna tenebitur. Indicium verò proximum, & immediatum de delicto ipſo probatum per unum teſtem omni exceptione majorem ſine alijs adminiculis ſufficit ad interrogandum, & eſt ſufficiens ad torturam; ut ſi v. g. quis vidit, vel audivit. *Belag. tract. 6. per totum.* Indicia ſufficientia ad Reum interrogandum ſunt procul dubio illa, quæ pertingunt ſaltem ad ſemiplenam probationem; ut eſt depoſitio unius Teſtis oculati de delicto omni exceptione majoris, vel indicia ei æquipollentia, & in hoc concordant unanimiter Iuriſtæ, Theologi, & Summiſtæ omnes. Et licèt aliqui Iuriſtæ ſuſtineant non requiri ſemiplenam probationem, ſed ſufficere indicia, vel ſaltem præſumptiones non ſolùm ad interrogandum, ſed etiam ad torquendum. apud nos tamen ex vi noſtrorum Statutorum *n. mihi 98.. n 2. ſubſtan.* requiritur, quòd delictum ſit probatum ſaltem ſemiplenè, vel per infamiam, vel per unum teſtem omni exceptione majorem, vel per indicia illi æquipollentia.

§. 8. Confeſſio extrajudicialis certa, & veriſimilis probata per duos teſtes conteſtes non ſingulares facit ſemiplenam probationem, quòd maximè procedit in confeſſione facta coram Iudice, competenti, non in forma judicij, ſed ut à perſona privata, & etiam facta coram Iudice incompetenti abſque vi, & metu, quæ cùm habeat vim Confeſſionis extrajudicialis facit indicium ad torturam coram Iudice competenti, licèt fuerit coram eo revocata; dummodo tamen Acta Iudicis incompetentis non fuerint declarata nulla; quia ſi fuiſſent declarata nulla, talis confeſſio ampliùs non valeret ad torquendum. Si verò talis confeſſio eſſet emanata per metum, vel minas, vel calore iracundiæ, vel incidenter, vel per laſciviam, vel per vanam gloriam, non facit indicium ad torturam; ſi tamen redundaret in damnum alterius, confitens ex ſola jactantia, & gloriatione puniri poteſt, & debet; quia hujuſmodi confeſſio eſt delictum de per ſe, pro ut is, qui jactavit ſe carnaliter cognoviſſe aliquam honeſtam mulierem &c. & ſufficit ad imponendam confitenti pœnam extraordinariam Iudicis arbitrio ſecundùm qualitatem injuriæ tertiæ perſonæ factæ; Et ſi confitens non probaret ſuam confeſſionem emanatam fuiſſe Ioco, & eſſet poſitus ad torturam pro delicto extrajudicialiter confeſſo, cum clauſula ſine præjudicio, & ſuſtineret torturam, non per hoc eximitur à pœna; quia ut dixi, eſt delictum de per ſe. Undè licèt abſolvatur à delicto principali, non debet abſolvi pro dicta jactantia legitimè probata. *ità D. D. communiter apud P. Didac. p. 5. c. 13. n. 20.*

§. 9. Fama, eſt communis opinio, voce manifeſtata ex ſuſpicione proveniens, ut alibi diximus, quæ ſi circa malum verſatur dicitur infamia, & quando ſæpiùs ad aures Superioris defertur, vocatur Clamoroſa inſinuatio. Quæ fama, ſeù infamia viam Inquiſitioni pandit, ſi à viris probis, & honeſtis ortum habet, & in principio proceſſus conſtet ſaltem per duos teſtes conteſtes, qui expreſsè debent interrogari à quibus audierint, quos ſi non nominant, nulla eſt famæ, ſeù infamiæ probatio. Et teſtes deponentes de fama, tenentur etiam dicere de cauſa ſcientiæ famæ, groſſiori modo declarando quid ſit fama alias depoſitio non ſubſiſtit regulariter loquendo. Non per hoc tamen eſt contemnenda fama ſi ortum habeat à turpibus perſonis, quando in loco non poſſunt haberi teſtes honeſti, & fide digni; ut ſi v. g. agatur de

delicto

delicto in Lupanari commiſſo. Neque teſtes deponentes de fama ſemper tenentur nominare à quibus audierint; quia ſi fama ortum habuit ex aliqua conjectura, vel ex veriſimili, probabili, & rationabili cauſa tunc non eſt neceſſarium Auctores nominare, dummodo teſtes exprimant dictas cauſas, & conjecturas, cùm in tali caſu defectus perſonarum ſuppleatur per argumenta probabilia, & non ſit ſola, & ſimplex fama ſed adminiculata. *Farin. conſ.* 55. *n.* 51. *&* q. 47. *n.* 235. *ubi alios citat.* Si verò teſtes non adducunt cauſas, & conjecturas veriſimiles, nec nominent à quo audierint, non probant, etiam ſi dicant ſe ità publicè dici audiviſſe. *Farin. d. q. n.* 159. In delictis difficilis probationis ſola fama ſine adminiculis facit indicium ad torturam, & cum adminiculis facit plenam probationem. Dummodo tamen ſit legitimè probata, & habeat ortum ab aliqua veriſimili cauſa, & à perſonis fide dignis, niſi contrarium probetur. *Farin. q.* 47. *n.* 11. 91. *&* 48. *&* 162. Duabus probationibus oppoſitis de fama, bona malæ prævalet; ſicuti etiam ſi per triennium honeſtè vixiſſe probaverit, malam famam in contrarium extinguet. *Boſſ. in pract. tit. de facien. def. n.* 8. *Clar. q.* 5. *Farin. q.* 9. *n.* 1. Clamoroſa inſinuatio non eſt neceſſaria, niſi quando procedendum eſt contra Prælatum, Conventum, vel graviſſimam aliquam perſonam. Contra alios ſola ſufficit infamia.

§. 10. Præſumptio eſt cognitio veritatis reſultans ex circunſtantiis, vel ex argumento ad credendum unum factum ſurgens ex probatione alterius, & eſt in triplici differentia. Una eſt Iuris, & de Iure; altera eſt Iuris tantùm; tertia hominis. Præſumptio Iuris, & de Iure eſt diſpoſitio legis aliquid præſumentis tamquam ſibi comperto ſtatuentis. Præſumptio autem Iuris tantùm eſt diſpoſitio legis aliquid præſumentis, ſed ulteriùs non procedentis, & nihil ſuper præſumpto ſtatuentis. Præſumptio verò hominis illa propriè dicitur, quæ à Iure expreſſa non eſt, ſed Iudicis arbitrio committitur, ut inſpiciat, quid ſibi videtur, & in nullo Iure expreſsè reperitur confirmata. Sit v. g. exemplum. Semel malus, ſemper præſumitur malus in eodem genere mali. *in cap. ſemel malus de reg. Iuris. in 6.* Sed circunſcripta alia lege, cùm hæc ulteriùs non procedat, & ſuper præſumpto nihil ſtatuat, hæc dicitur præſumptio Iuris tantùm. Si verò addatur alia lex ulteriùs procedens, & ſuper præſumpto aliquid ſtatuens, iſta dicitur præſumptio Iuris, & de Iure. v. g. Ponamus, quòd quis in Iudicio falſum juraverit, & iſte iterùm in teſtem inducatur: Iſte ſemel malus, & perjurus ex vi dicti cap. ſemper præſumitur perjurus. Et cùm ulteriùs *in cap. ex parte* ſtatuatur, quòd talis à teſtimonio repellatur ex vi hujus capitis *ex parte*. Iſte habet contra ſe præſumptionem Iuris, & de Iure, niſi conſtiterit, quòd ſe emendavit, & quòd bonus exiſtat, ut notat *gloſ. in d. c. ſemel.* Si verò ultra prædicta Iudex aliquid in Iure non expreſſum rationabiliter, & à lege non diſcrepans præſumpſerit, hæc ultima dicitur præſumptio hominis, ſicut etiam quælibet alia in Iure non expreſſa. Et ex iſtis probationibus Iuris, & de Iure, vel etiam Iuris tantùm legitimè probatis Iudex devenire poteſt ad condemnationem Rei, & illum pœna ordinaria punire *Bict. q.* 74. *n.* 2. Ex præſumptionibus verò hominis tantùm, pœna ordinaria delicti non eſt infligenda, ſed mitior Iudicis arbitrio.

For-

Forma examinandi Teſtes. Praxis prima.

FActa Viſitatione, & in Actis redacta recognitione corporis delicti, ſi eſt facti permanentis: Vel facto examine Denunciantis, ſi eſt facti tranſeuntis. Iudex debet devenire ad examen Teſtium, mandareque ut coràm ſe vocentur pro tali die, hora, & in tali loco: cumque coràm Iudice comparuerint, Actuarius ante illorum examen, hæc præmittere debet.

§. 1. In nomine Domini. Amen. Die &c. Anno &c. In Conventu N. &c. Perſonaliter comparuit Coram P. N. Provinciali &c. in camera ſuæ ſolitæ reſidentiæ P. N. de N. Sacerdos ætatis ſuæ annorum .... Religionis verò .... teſtis ex officio aſſumptus, *vel ſi ad inſtantiam partis procedatur dicatur,* teſtis productus, monituſque de veritate dicenda, ac illi præſtito juramento, prout juravit tacto pectore more Sacerdotali ad opportunas interrogationes reſpondit, ut infra, videlicèt.

Interrog. Ubi ſit de familia? A quo tempore? An ſciat, vel imaginetur cauſam ſuæ vocationis, & præſentis examinis? *Si ℞. Ita Pater.* Dictum eſt ei, ut recenſeat, & dicat id, quod imaginetur. *Si factum reſpondit ad modum deponentis.*

Interrog. Quomodo, & à quibus ſciat tale delictum *explicetur* fuiſſe perpetratum? *Item interrogabit de circunſtantiis, loci, & temporis, ac conteſtibus; & ſi in omnibus concordat v. g. cum Denunciante &c.*

Inter. An antequam ad illum acceſſerit, locutus fuerit cum aliquo? Cum quo? Quibus præſentibus? &c. An fuerit edoctus ab aliquo quomodo deberet reſpondere? An ſit Amicus, vel familiaris v. g. Denunciantis &c? An unquam cum dicto Fratre N. habuerit litem, rixam, vel contentionem? An pro veritate depoſuerit? An aliquid aliud velit addere? &c.

Si verò teſtis ad ſecundam interrogationem reſpondit per verbum Neſcio.

Inter. An ſemper manſerit in dicto Conventu? An tali die, & hora fuerit in Conventu N. &c? An ſciat dicto tempore contentionem aliquam &c. (vel aliud ſimile) in dicto Conventu N. accidiſſe? *Vel.* An ſciat aliquam diffamationem contra aliquem eorundem fratrum ibidem commorantium divulgatam eſſe? Quomodo id ſciat? A quo audierit? An ſciat aliquem conſcium eſſe de tali diffamatione, vel delicto? Quinam ſint? Et quomodo ſciat. An dicta diffamatio nota ſit pluribus? Quibus? An ſciat, à quibus talis diffamatio originem traxerit? Cujus opinionis, & famæ ſint illi fratres apud ſe, & alios, à quibus, talis diffamatio originem traxit? *Item interrogabit, de tempore, loco, & alia neceſſaria per ordinem, uſque dum habeat plenam facti cognitionem.*

Inter. An ſciat quiſnam ille fuerit, qui furtum fecerit, vel ad turpia ſollicitaverit? *vel aliud delictum fecerit, prout in Denunciatione conſtabit.*

Inter. An cognoſcat f. N. de N? Quomodo illum cognoſcat? Ex quo tempore illum cognoſcat? Cujus opinionis, & famæ apud ipſum ſit, & apud alios? Quomodo hoc ſciat? An ſciat, vel audierit prædictum f. N. tale delictum commiſiſſe?

A quo audierit? An perſonæ à quibus audivit ſint fide digni? An quæ depoſuit, pro veritate dixerit? An unquam habuerit cum dicto f. N. &c. litem, rixam, vel contentionem.

Item interrogabit ſi opus fuerit, & ipſe teſtis non expreſſerit. De loco, tempore, circunſtantijs, & conteſtibus. Et tandem

Inter. An aliquid aliud velit addere, vel minuere? *poſt à concludat.* Quibus acceptatis ſi, & in quantum &c. P. Commiſſarius, vel Miniſter mandavit ipſi teſti, ut ſuo examini ſibi priùs lecto ſe ſubſcriberet, prout infra ſubſcripſit, præcipiens illi in virtute Sanctæ obedientiæ, nè cuiquam de his omnibus loqueretur, illumque dimiſit ſalvo jure ipſum reexaminandi toties, quoties opus fuerit &c.

Io f. N. &c. depoſui ut ſupra, f. N. miniſter &c. f. N. Actuar. &c.

Si teſtis ſe correxit, vel declaravit, aut aliquid addidit ante ſubſcriptionem, vel poſt conſtare debet in Actis his verbis.

Dictus Teſtis in relectione ſui examinis ſtatim ſe correxit, vel addidit dicendo, Hoc & hoc &c.

Si verò examen non fuit ob aliquod impedimentum perfectum, ſic erit dicendum.

Quoniam ob urgentia negotia, vel ob horæ tarditatem examen compleri non potuit, P. Provincialis, vel Commiſſarius juſſit pro nunc terminari, animo tamen illud continuandi, cùm primum commoditas acceſſerit; priùs verò lectum examen ipſi teſti, fecit ab illo ſubſcribi, prout infra ſubſcripſit, præcipiens illi &c. *ut ſupra. Et pro continuatione.*

Die &c. Cùm P. Provincialis, vel &c. expeditus eſſet à ſupradicto negotio, regrediens ad perficiendum examen f. N. &c. teſtis, ipſum in Ius vocavit, & coràm ipſo adſtanti juramentum præſtitit, prout juravit &c. & ut infra Interrogavit.

Quæ forma ſervanda erit etiam in examine Rei, quando interrumpi contingat.
Si teſtis irriverens, vel pertinax fuerit, ſic erit dicendum.

§. 2. Tunc præfatus P. N. &c. Provincialis, vel Commiſſarius &c. videns quòd prædictus Teſtis pluries benignè admonitus, & ſemel, atque iterùm correptus, ut à ſua pertinacia diſcederet, noluit reſpondere, & quòd ex benignitate pejor efficitur; nec adducit cauſam veram, & rationabilem, quare reſpondere recuſat: quinimmò cum riſu, & contemptu impertinentia effutire cœpit; Ideò ut à ſua pertinacia recedat, Iuris remedijs utendum cenſuit, & præſenti Decreto pro reſponſione extorquenda decernit, ut dictus Teſtis in carcerem detrudatur, ibi quotidie in pane, & aqua jejunet, *vel* tamdiù à Divinis ſit ſuſpenſus, quo uſque reſipiſcat, & ſuis mandatis pareat. Datum &c.

Ita eſt f. N. Provincialis &c. Ego f. N. Actuarius &c.

Et poteſt etiam Iudex conſtringere teſtem pertinacem, & inobedientem manicis ferreis, compedibus &c. ſecundùm qualitatem delicti, & perſonæ. Et ſi à pertinacia diſcedit, ſequitur examen ut infra.

Cùm Pater N. &c. teſtis legitimè interrogatus in Cauſa P.N.&c. ad cor reverſus fuerit, & de ſua pertinacia veniam petierit, hac die &c. admiſſus denuò ad examen fuit Interrogatus An &c.

Si teſtis mendacium dicat, Actuarius debet regiſtrare in Actis ut infra.

Tunc

§. 3. Tunc P. Provincialis, vel Commiſſarius ipſum admonuit, ut veritatem de plano fateatur, quia in ſua depoſitione mendacium dixiſſe deprehenſus eſt. Quare

Inter. An viderit, *vel* audierit &c. Reſpondit &c.

Iterùm monitus, ut à mendacijs recedat, aliter contra ipſum tanquam contra falſum teſtem per Iuris, & facti remedia procederetur; Reſp. &c. Quòd cernens P. Provincialis, vel Commiſſarius, volenſque ipſum de mendacio convincere, vocari fecit P. N. de N. teſtes, eoſque coram ipſo f. N. cum juramento iterùm examinavit, & primò interrogavit P. N., ſi verè f. N. erat cum ipſis, quando &c. Qui reſpondit. Ità Pater. Poſtea interrogavit P. N. teſtem: An verè f. N. ad fuerit cum ipſis quando &c. qui & ipſe reſpondit. Ità Pater. Tunc ſubjunxit P. Provincialis, vel Commiſſarius &c. Quid dicis nunc, non ne es convictus de falſitate, & mendacio? quo tacente, & in pertinacia permanente, averſatus præfatus Pater mendacij acerbitatem una cum copia repertorum ei aſſignavit ſpatium 24. horarum ad ſe defendendum, quare non debeat puniri tanquam teſtis falſus; & interim carceribus ad cuſtodiam mancipari mandavit, prout præſenti Decreto mandat, & præcipit. Acta ſunt hæc in Con. N. die etc.

Subſcriptiones ut ſupra.

Poſtea Actuarius pro executione Decreti carcerationis ſcribat ut infra.

Fidem facio ego infraſcriptus Actuarius, qualiter f. N. carceratus fuit vigore dicti Decreti hac die . . . In Conv. etc. Ego f. N. Actuarius.

Vide infra in praxi 4. §. 5. & 6.

Forma vocandi teſtem abſentem. Praxis ſecunda.

§. 1. Cùm nobis f. N. Miniſtro Provinciali, vel Commiſſario &c. viſum, fuerit pro expeditione hujus Cauſæ neceſſariam eſſe nobis perſonam P. N. &c. ac ejuſdem in judicio depoſitionem, idcircò auctoritate noſtri officii *ſi eſt Ordinarius, vel ſi eſt Commiſſarius*, virtute Iuriſdictionis nobis impartitæ à P. N. Generali præcipimus ipſi in virtute præſentis decreti, ut ſtatim eo recepto diſcedens à Conventu in quo modo moratur, ſe conferat ad Conventum N., in quo Tribunal noſtrum ereximus ſub pœna . . . . Datum in Conventu N. die . . . . &c.

F. N. Provincialis, vel Commiſſarius &c.

Si Decretum hoc erit mittendum per litteras, ſic in Actis erit regiſtrandum.

§. 2. Quod Decretum Adm. R. P. N. &c. per litteras incluſum direxit P. N. &c. Guardiano Conventus N., à quo talem reſponſionem accepit. *& inſerat ipſas litteras in proceſſu.*

Aliæ formulæ examinandi Teſtes pro diverſitate delictorum. Praxis tertia.

§. 1. Forma examinandi in Cauſa Apoſtaſiæ.

IN nomine Domini. Amen. Die . . . . &c. In Conventu N. &c. Coram Adm. R. P. N. &c. in Camera ſuæ ſolitæ reſidentiæ exiſtente comparuit f. N. de N. &c. teſtis vocatus, *vel* productus &c. ætatis ſuæ annorum . . . . Religionis verò . . ., & delato ei juramento de veritate dicenda, prout juravit tactis Sacris Scripturis ad opportunas interrogationes reſpondit ut infra.

Inter. Ubi ſit de familia? Ex quo tempore? An ſciat aliquem fratrem vota transſgreſſum fuiſſe? Quomodo hoc ſciat? In qua hora de Conventu exivit? In quo loco erat ipſe teſtis, quando vidit illum exeuntem? Quomodo illum videre potuit tempore noctis? An ſciat cauſam talis fugæ? An habuerit complices, vel ſocios de tali fuga conſcios? An ſciat quo iverit? An alii fratres viderint illum, quando exivit? Quinam ſint? An ſit Amicus, vel inimicus talis fratris? An unquam habuerit cum illo litem, rixam, vel contentionem? *Et alia interrogatoria faciet Index ſecundùm qualitatem Cauſæ, & perſonæ. Et poſtea claudat Actuarius examen modo quo ſupra in prima praxi.*

Forma examinandi Teſtes quoad inimicitiam probandam.

§. 2. IN nomine Domini. Amen. Die &c. In Conventu &c. Coram &c. *ut ſupra.*

Inter. An ſciat cauſam ſuæ vocationis, & præſentis examinis? An cognoſcat f. N. de N? Ex quo tempore illum cognoſcit? An ſciat inter ipſum, & P. N. de N. aliquam inimicitiam ortam fuiſſe? An ſciat cauſam talis inimicitiæ? Quomodo illam ſciverit? Quæ ſigna inimicitiæ viderit, vel audierit interveniſſe inter ipſos? An ſciat fuiſſe reconciliatos? Quo tempore fuerunt reconciliati? An poſt reconciliationem viderit, vel audierit inimicitiæ ſigna inter ipſos? An credat ob talem inimicitiam vulneraſſe, *vel* percuſſiſſe, *vel* Denunciaſſe f. N. de N. &c? Qua de cauſa hoc credat? An aliis fratribus nota ſit talis inimicitia? Quinam ſint. Et alia interrogatoria faciet, prout ſupra &c.

Forma examinandi Teſtes ad Confeſſionem extrajudicialem probandam.

§. 3. IN nomine Domini. Amen. Die &c. In Conventu &c. Coram &c. *ut ſupra.*

Inter.

Inter. An ſciat cauſam ſuæ vocationis, & præſentis examinis? An cognoſcat f. N? Ubi eum cognovit? A'quo tempore? An aliquando ſecum ſermonem habuerit? An locutus fuerit cum eo de aliquo delicto ab ipſo perpetrato? De quo delicto? In quo loco? Quo tempore? quibus præſentibus.

Tunc dictum eſt ei, ut diſtinctè narret factum eò modo quo audivit. *poſtea.*

Inter. Quid dicebat de modo, quem tenuit ad tale delictum committendum. Qua occaſione ad talem jactantiam lapſus fuerit? An ipſe teſtis credat eum verum dixiſſe? Cur ità credit? Quoties audivit ab eo dictum delictum perpetraſſe? An alii hoc ſciant, vel audierint ab eo? An ipſe teſtis odio, vel amore motus ſit ad talia deponenda? An cum dicto f. N. &c. unquam habuerit contentionem, rixam, vel inimicitiam? An aliquid aliud velit addere, vel minuere? Et relectum confirmavit, & propria manu ſubſcripſit, dimiſſuſque fuit cum præcepto de ſilentio tenendo, ac ſalvo jure ipſum repetendi toties, quoties opus fuerit &c.

Subſcriptiones ut ſupra.

Si teſtis eſſet varius, vacillans, vel aliquo alio modo inhabilis Iudex poteſt illum torquere ante conſtitutionem Rei, melius tamen erit poſt conſtitutionem, ut alibi diximus: ſed quia hoc ad arbitrium, & prudentiam Iudicis remittitur, conſiderata qualitate delicti, ac perſonarum; ideò in caſu, quo deberet torqueri ante Rei conſtitutionem, poterit formare Decretum de tortura, ut infra.

De Tortura Teſtium. Praxis quarta.

SI teſtis fuerit varius, & vacillans, & propterea torquendus, ſic erit ſcribendum.

§. 1. Die &c. In Conventu &c. P. N. &c. Provincialis, ſeù Commiſſarius ſedens pro tribunali, viſis videndis, & conſideratis conſiderandis, ponderataque variatione, vel vacillatione, & inconſtantia ipſius fratris N. teſtis dicentis in primo examine facto die .... *deſcribatur ſuum dictum*. & in examine præſentis negantis ac dicentis .... *Vel* in priori examine dicentis ſcire certitudinaliter tale delictum *explicetur*, & in præſenti examine deponentis de eodem delicto dubitativè, & non allegantis veram, & ſufficientem rationem hujuſmodi variationis. Ad tollendam igitur omnem variationis & perjurii maculam, (ſi qua ineſſet) ab ejuſdem teſtis perſona, & ad ſciendum in quo dicto perſiſtat, & ad omnem alium meliorem finem, & effectum, citra tamen præjudicium quorumcumque Iurium fiſco, ſeù Curiæ ex dicta ejus priori depoſitione acquiſitorum, quibus per præſentem torturam nullo modo præjudicare intendit, & citra præjudicium eum puniendi ob præfatam variationem, ac perjurium, & non aliter, nec alio modo mandavit eumdem f. N. teſtem examinatum & varium &c. duci ad locum torturæ, ibique expoliari, & funi applicari, prout præſenti Decreto funi applicari mandat. *Vel* recludi in carcerem, manicis ferreis conſtringi, & in compedibus poni, nec cum aliquo loqui, ibique ſolo pane, & aqua veſci, donec puram veritatem teſtetur &c. *Si agatur de alio genere tormenti explicetur aliud. Vel* Conſideratis circunſtantiis ipſam depoſitionem concomitantibus, quæ verificatæ fuerunt prout in actis, *dummodo ità ſit*,

&

& quæ ſunt adeò veriſimiles, ut arbitrio prudentis viri credendum ſit ipſum teſtem in prima depoſitione verum dixiſſe, & in ſecunda mentitum fuiſſe; præſertim cùm ea, quæ in ſua prima depoſitione dixerit, ſpontè depoſuerit, & de plano, & in ſecunda nullam ſufficientem, & rationabilem, aut veriſimilem cauſam ſuæ hujuſmodi variationis alleget: Qua propter valdè veriſimile eſt, & credibile, ipſum teſtem, ad revocandam ſuam depoſitionem ſubornatum fuiſſe. Ad effectum ergo idipſum ab eodem teſte clariùs audiendi, à quo, vel à quibus ad ſuam primam depoſitionem revocandam ſubornatus fuerit, & ad omnem alium meliorem finem, citra tamen Iurium quorumcumque Curiæ acquiſitorum, vel ſpectantium, præjudicium, ipſum puniendi ob præfatam variationem, quibus per præſentem torturam præjudicare non intendit, & non aliàs, nec aliter, nec alio modo, de quo expreſsè proteſtatus fuit, & proteſtatur; ipſum N. teſtem in ſuis depoſitionibus variantem mandavit duci ad locum tormentorum, ibique expoliari &c. *ut ſupra Forma torquendi eſt infra in praxi 5. §. 2.*

Si teſtis aliud dicit in Iudicio cum juramento, & aliud extrajudicialiter ſine juramento, ſic erit formandum Decretum.

§. 2. Die &c. P. N. &c. viſis videndis, & perlectis, ac conſideratis depoſitionibus f. N. teſtis in Iudicio coram ipſo cum juramento factis ex una parte, & ex altera dictum etiam ejuſdem teſtis extrajudicialiter ſine juramento, vel cum juramento coram N. & N. emanatum; *Aut apud P. N. &c. Iudicem incompetentem.* Et perſpectis verbis præciſis ab ipſo prolatis tàm in Iudicio, quàm extra, prout in actis, ex quibus apertiſſimè patet ipſum eſſe informatum de veritate, & notitia delinquentium, ad tollendam omnem maculam perjurij (ſi qua ineſſet in eius perſona) *vel* ad purgandum omnem variationis defectum, *vel* ad effectum ſciendi in quo dicto perſiſtat, & ad omnem alium bonum, & meliorem finem. mandat ipſum teſtem duci &c. vel recludi in carcerem &c. *ut ſupra, cum ſubſcriptionibus &c.*

Si Teſtis fuerit infamis, erit torquendus ut infra.

§. 3. Die &c. Cùm P. N. &c. ſedens pro tribunali viſis &c. & conſideratis &c. ſtante qualitate f. N. teſtis examinati in cauſa N. & conſiderata infamiæ nota, qua affectus reperitur, *vel* conſiderata ejus ſuſpicione, *quæ debet explicari*, *vel* inhabilitatis nota, quia nimirùm eſt ſocius criminis &c. vilis perſona &c. ad tollendam dictæ infamiæ, *vel* inhabilitatis notam, & ut ejus dictum magis efficiat nominatum, & ad omnem alium meliorem finem, & effectum mandavit, prout præſenti Decreto mandat duci ad locum torturæ, ibique ſpoliari, & funi applicari &c. *Vel* per unum integrum diem in cella recludi, & cum nemine loqui, ibique ſolo pane, & aqua veſci &c. *ut ſupra.*

Si teſtis neget ſcire, cùm aliàs conſtet eum ſcire, ſic erit formandum Decretum.

§. 4. Die &c. P. N. &c. ſedens &c. auditis, & perlectis depoſitionibus teſtium deponentium ipſum f. N. ſcire commiſſi delicti *explicetur* ſeriem: factiſque ipſi teſti pluribus monitionibus, ut veritatem fateatur: conſideratoque quòd conſtet in judicio formiter ipſum fuiſſe præſentem in loco commiſſi criminis, tempore quo fuerat perpetratum: undè veriſimile eſt ipſum vidiſſe, quomodo dictum factum ſe habuerit, & qui fuerint delinquentes &c. Et licèt ipſe negare non erubeſcat delin-

quentes.

quentes vidiſſe: et conſideratis aliis indiciis ex actibus reſultantibus, & contra dictum teſtem facientibus: Quapropter ad effectum habendi ab ipſo teſte plenam, & integram veritatem ſuper præmiſſis, & ſuper his de quibus veriſimiliter apparet informatus, atque ad omnem alium finem, & effectum, decrevit, prout præſenti decreto decernit eumdem f.N. teſtem examinatum duci ad locum tormentorum &c. *vel* in carcerem trudi &c. citra tamen præjudicium etc. *ut ſupra &c.*

Si verò teſtis non negat fuiſſe præſentem, ſed negat vidiſſe, vel audiiſſe, nec adducit veriſimilem cauſam, forma Decreti erit ſequentis tenoris.

§. 5. Die etc. P. N. etc. viſis etc. et conſideratis examinibus P. N. et P. N. teſtium deponentium dictum f. N. fuiſſe præſentem, et ſcire perpetrati criminis ſeriem. *Vel* Conſiderato, quòd conſtat in proceſſu per propriam confeſſionem ipſum teſtem fuiſſe præſentem in loco commiſſi criminis tempore, quo fuerat perpetratum: Undè veriſimile eſt ipſum vidiſſe, quomodo dictum factum ſe habuerit, et qui fuerint delinquentes, et non obſtantibus pluribus admonitionibus, ut veritatem fateatur, negare non erubeſcat delinquentes vidiſſe: conſideratiſque aliis indiciis in proceſſu contra ipſum reſultantibus. Qua propter ad effectum habendi ab ipſo teſte etc. *reliqua ut ſupra.*

Vel ſi eſſet torquendus teſtis ob perjurium, & falſitatem, forma erit.

§. 6. Die etc. P. N. etc. viſis etc. et conſiderata pertinacia prædicti f. N. teſtis examinati, non obſtantibus, tot, et tantis admonitionibus factis, ut conſtat in proceſſu, decrevit dari terminum dicto teſti pertinaci una cum copia repertorum ad ſuas defenſiones faciendas, quare tamquam teſtis perjurus, et falſus puniri non debeat. Sicque decrevit citra tamen præjudicium Iurium Curiæ etc.

Subſcriptiones.

Si teſtis non ſe defendit, formabit tandem Decretum Carcerationis &c.

Tunc præfatus P. N. etc. videns, quòd prædictus teſtis pluries benignè admonitus noluit reſpondere, et quòd ex benignitate peior efficitur, nec adducit cauſam veram, et rationabilem in ſui defenſam, nec evacuat dicta Teſtium in contrarium deponentes (vel quare reſpondere recuſat) ideò, ut à ſua pertinacia diſcedat Iuris remediis utendum cenſuit, et præſenti Decreto pro veritate habenda, vel pro reſponſione extorquenda decernit, ut dictus f. N. teſtis in carcerem detrudatur, ibique quotidie in pane, et aqua jejunet quouſque reſipiſcat, et ad veritatem dicendam ſe diſponat, vel reſpondeat, et mandatis pareat. Acta ſunt in Conventu etc. die etc.

Subſcriptiones Iudicis, & Actuarii.

Poſtea idem Actuarius pro executione Decreti fidem faciat, ut ſupra p. 1. §. 3. & ſi teſtis ſe diſponit ad veritatem fatendam, vel ad reſpondendum, deſcribat pariter ut ſupra in praxi 1. §. 2.

Forma viſitandi Teſtes inhabiles ad torturam funis. Praxis quinta.

QUando teſtes, & etiam Rei patiuntur aliquod nocumentum in corpore, per quòd inhabiles reddantur ad ſuſtinendum tormentum funis, Iudex debet vocare

care aliquem peritum ad recognoſcendum talem defectum, & Actuarius debet regiſtrare in Actis talem recognitionem, ut infra.

§. 1. Die etc. in Conventu etc. Coram P. N. &c. comparuit perſonaliter f. N. etc. Teſtis examinatus, *vel Reus prætenſus* in Cauſa, et Cauſis de quibus ſupra, aſſerens ſe eſſe à tali impedimento gravatum, *explicetur*, et per conſequens non poſſe torturæ funis ſubijci. Quare P. N. etc. elegit, et deputavit peritum ſpectatorem hujus facti f. N. etc. Infirmariæ præfectum, ut cum ſociis ſibi bene viſis, videat, an res ità ſe habeat, ſicuti aſſerta fuit, et deindè omnia referat eidem P. N. Iudici &c. ut adulteriora procedere valeat. Ità eſt f. N. Iudex etc. Ego f. N. Actuarius.

Tunc ſupradictus f. N. etc. eodem die ad dictum f. N. viſitandum ſe contulit, et me Actuario, ac infraſcriptis teſtibus præſentibus vidit etc. *hîc ſpecificetur quod vidit*. Deindè Coram dicto P. N. Iudice etc. eodem die, et loco comparuit, et delato ei juramento de veritate dicenda, prout juravit tactis Sacris Scripturis ad opportunas interrogationes. Reſp. ut infra.

Inter. An perfecerit, ut peritus, ea, quæ in mandatis habuit? Reſp. etc.

Dictum eſt ei, ut referat, quæ in propoſito vidit? *hîc omnia adamuſſim ſunt ſcribenda, & ſi nullam patiuntur inhabilitatem, Decretum torturæ erit ut infra.*

§. 2. Tunc P. N. Iudex etc. viſis videndis, et conſiderata relatione f. N. periti, volens ad ulteriora procedere, et tollere ab ipſo teſte maculam perjurii, *vel* inhabilitatis, *vel* ad habendam plenam, et integram veritatem etc. mandavit, prout præſenti decreto mandat ipſum f. N. teſtem etc. duci ad locum torturæ ibique etc. Et hoc ſine præjudicio Iurium Curiæ quomodocumque acquiſitorum, ſuper quibus ipſum non intendit torquere, de quo proteſtatur, et hanc proteſtationem repetit nunc pro tunc in quolibet actu, et non aliàs etc. Ductus verò ad locum torturæ, dum ſpoliaretur, et ligaretur, fuit iterùm benignè monitus, et hortatus, ut tandem veritatem manifeſtet, nec expectet in funem elevari, prout elevabitur, ſi in obſtinatione perſiſtet. Reſp. etc.

Et perſiſtens in ſua obſtinatione mandavit Adm. R. P. Iudex elevari ſurſum, qui ità elevatus clamavit etc. *Actuarius hîc ſcribat verba, & clamores.*

Monitus, nè patiatur in tormento detineri, ſed veritatem fateatur. Reſp.?

Inter. An tandem mendacia dimittere velit, et veritatem fatendo de tormentis deponit. ℟.

Videnſque P. Adm. R. in obſtinatione permanere juſſit, eum elevari, et elevatus nihil dixit, et cùm ſletiſſet in tortura per ſpatium dimidiæ horæ, *vel &c.* juxta horologium pulveris, mandavit eum leviter deponi, ſolvi, et brachia reaptari, indui, et in carcerem reponi, animo etc. ſed ante relectum confirmavit, et propria manu ſubſcripſit hac die etc.

Subſcriptiones Iudicis teſtis Aſſiſtentis Actuarii.

Si Teſtis veritatem dixit in tortura erit ratificanda die ſequenti, ut alibi diximus; nec poteſt torqueri ultra tertiam vicem.

DE CITATIONE REORUM IN GENERALI

TRACTATUS QUARTUS.

DE CITATIONE REI PRÆSENTIS.

Regula prima.

§. 1. CAptis informationibus per ſupra recenſitos modos procedendi, quæ ſufficientes ſint ad Rei conſtitutionem, completoque examine Teſtium, ſi delictum fuerit ſaltim ſemiplenè probatum vel per infamiam, vel per unū teſtem omni exceptione majorem, vel per indicia illi æquipollentia, & conſtiterit de corpore delicti, ſi eſt facti permanentis, Reus ipſe citandus eſt, ſi eſt præſens, vel per verbale præceptum Iudicis, vel per internuncios; contra enim non citatum nulla eſt quæcumq; ſententia. *c. paſtoral. §. cæterum de re judic. & omnes.* Si verò eſſet abſens citandus eſt per ſimplicem Epiſtolam nulla intimata ſibi cauſa contra eum in proceſſu contenta; ità de hac obſervantia in foro Regulari teſtatur P. Bover. *in direct. p. 2. c. 34.* Quo vocato, & coram Iudice comparente, Iudex ipſe ex noſtro modo procedendi *in 2. ſubſtan. n. mihi 99.* debet in primis illi notificare ſtatum ſuæ Cauſæ ſaltim in genere; ut ſciat ſe ad obediendum Iudici interroganti teneri; & poſtea illum interrogare ſuper his, quæ contra eum in proceſſu continentur. Cui interrogationi ſi ipſe reſpondit præſtito priùs juramento ſtatim dicitur lis conteſtata, & nomen eius inter Reos receptum. *Clar. q. 14.*

§. 2. Dixi præſtito priùs juramento; quia in Criminalibus apud Regulares loco libelli, ſeù petitionis ſuccedit examen Iudiciale, & reſponſio Rei medio juramento facta, ſeù traditiò articulorum, & eorum reſponſio judicialiter exhibita. Cùm igitur citatio ſit caput, baſis, & fundamentum Iudicij, prout communiter docent Doctores, & præcipuè Vant. *de nullitat. tit. de nullita. proceſſ. n. 27.* & Marant. *de ordin. Iud. p. 6. memb. 1. n. 1.* Hinc eſt, quòd Acta ſine legitima citatione Iudicialiter facta, ſunt ipſo Iure nulla, itàut proceſſum ob legitimæ citationis defectum totum corruere tenuerint. *Vant. in tit. qualiter ſent. & proceſſus nu. 116.* Menoch. *conſ. 100. n. 112.* Marant. *loc. cit. tit. de citat. num. 12.*, & communiter omnes. Et quamvis Princeps de abſoluta poteſtate poſſit procedere ſine citatione

contra abſentem, in his, quæ ſunt de poteſtate ipſius Principis; Secùs tamen eſt in his, in quibus Princeps non habet poteſtatem, quia tollere citationem, quæ eſt omnium actionum Iudicialium inſtituendarum fundamentum, eſt tollere defenſionem; quæ eſt de Iure naturali, contra quam Princeps venire non poteſt, *ut in Clem. Paſtoralis de re jud. & notat Bart. in l. cum mulier ff. de ſolut. matrim.*, benè poteſt non ſolùm Princeps, ſed etiam quilibet alius Superior, aut Iudex, *ut vult Butr. in cap. inter quatuor de Major. & obed. n.* 8. repellere petitionem ineptam, abſque eo quòd dicatur ſe negare juſtitiam. Et nota, quòd quis poteſt eſſe convictus, aut contumax etiam ſine citatione; & hoc poteſt contingere ſi præſens ſine citatione fuiſſet convictus; nam contra præſentem non requiritur citatio; quia citatio ſolùm facit, ut quis ſit præſens, prout tradunt Ioan. And. *in cap. fin. de elect. in 6.* & Baldus *in Auth. ſi omnes C. ſi mi. ſe ab hæreſ. abſt.* Contumax tamen poteſt eſſe ſine citatione condemnatus, ſi occultat ſe, ut citari non poſſit, ut vult Panor. *in d. c. inter quatuor. n. 2.*

§. 3. Si Reus prætenſus voluerit ſe defendere proponendo dilatorias exceptiones, debet hoc facere ante litis conteſtationem; quia ſi lis conteſtata fuit, approbavit Iudicem; proceſſum, & accuſatorem, & per conſequens non poteſt ampliùs proponere dilatorias exceptiones, quæ ſunt in triplici differentia. Quædam reſpiciunt perſonam Iudicis, & dicuntur Dilatoriæ Fori, ſeù exceptiones incompetentiæ: quòd, ſcilicèt, Iudex careat Iuriſdictione, vel quòd ſit incompetens, vel quòd ſit ſuſpectus: Et ſi eſt Delegatus, quòd non præſentavit Commiſſionem; vel quòd Delegans fuerit mortuus ante publicationem litterarum: vel quòd in Cauſa non poſſit procedere ſolus, & cætera hujuſmodi. Quædam reſpiciunt libellum accuſatorium in criminalibus: quod v. g. Accuſator ſit inimicus, vel alia de cauſa inhabilis ad accuſandum: vel quòd non ſe ſubſcripſit ad pœnam talionis: Et ſi procedatur per viam Inquiſitionis, quòd proceſſus non fuerit formatus diffamatione præcedente; vel quòd careat ſubſtantialibus &c. Si verò per viam articulorum Iuratorum, quòd articuli non ſint jurati, vel quòd articulans ſit inimicus, vel infamis, vel ſuſpectus de falſo &c. Quædam reſpiciunt cauſam ipſam: quòd, nempè, de eadem cauſa, ſeù de eodem delicto fuerit jam diffinitivè abſolutus, vel condemnatus, aut quòd lis pendet &c. Item poteſt excipere de præſcriptione, ob quam non poſſit moleſtari. Et iſtæ Dilatoriæ exceptiones ante litis conteſtationem factæ, & probatæ impediunt ejuſdem litis ingreſſum, poſt verò conteſtationem, vel Rei reſponſionem judicialiter ſuper delicto factam, non valent; niſi ſuperveniſſet de novo cauſa recuſationis, in quo caſu poteſt opponi etiam poſt litis conteſtationem, dummodo non ſuperveniat ex defectu ipſius opponentis; quia tunc reportaret commodum de culpa, & ideò non eſſent admittendæ: Vel quòd propter ignorantiam omiſiſſet Reus illas opponere ante litis conteſtationem, dummodo juret, quòd ante illam ignorabat. Vel quando excipiens proteſtatus fuit non conſentire in Iudicem, niſi quatenùs Iuris eſſet, vel quatenùs de Iure teneretur: quæ proteſtatio in quolibet actu repetenda eſt, & omiſſa in una comparitione tollitur ſuſpicio: Et ſi quis poſt oppoſitam recuſationem litigat coram Iudice recuſato, videtur renunciare recuſationi; quia Iudex per recuſationem non privatur Iuriſdictione, ſed tantùm

tùm remanet ſuſpenſa, donec decidatur articulus: & ideò ſi pars conſentit in Iudicem expreſsè, vel tacitè per comparitionem, exceptio recuſationis cenſetur renunciata, & articulus ſuſpenſionis non videtur ampliùs pendere. *Farin. in cap. Iudex n.2. de Offic. Deleg. Grat. diſcep. for. n.c.100.n.27. Rot. deciſ.563.p.1.diverſ.* Et talis exceptio recuſationis eſt alleganda coram ipſo Iudice, vel coram Superiore, & tunc eſt illi notificanda aliàs proceſſus, & ſententia tenerent, & debet fieri in ſcriptis, quia viva voce non tenet; *Farin. in frag. crim. lit. I. nu.* 703. Tutiùs tamen erit ſi dum recuſat, ſimul appellet ad Iudicem procedentem ad ulteriora.

§. 4. Si verò exceptiones eſſent famoſæ, & contra perſonam ipſius recuſati expreſsè militarent, tunc non coram ipſo Iudice recuſato, ſed coram Superiore allegandæ, & probandæ eſſent: & in tali caſu debet proteſtare Iudici recuſato, nè ad ulteriora procedat, aliter proceſſum, & ſententiam nullam eſſe intendit: & ad ſuſpendendum Iudicium ſufficit pro nunc Iuramentum. *Farin. conſ.* 17. *n.* 16. Et acta à Iudice allegato ſuſpecto, quamvis coram ipſo non fuerint propoſitæ exceptiones, nulla eſſent. *Farin. in frag. lit. I. n.* 882. *& ſeqq.* Si tamen Iudex recuſatus eſſet Ordinarius, ſi vult, poteſt aſſignare recuſanti ſpatium trium dierum ad ſpecificandam cauſam recuſationis, & eligat ex parte ſua arbitrum, ut cognoſcat, & terminet cauſam ſuſpicionis, & decidat ſimul cum alio eligendo à Iudice: Et ſi intra dictum terminum noluerit ſpecificare dictam cauſam, & eligere arbitrum, nec illam coram Superiore majori exprimere, poteſt Iudex procedere ad ulteriora, uſque ad ſententiæ prolationem. *Portel. verb. appellare num.* 13. Sed quia teſte Farin. iſtorum Arbitrorum electio hodie receſſit ab Aula in Statu Eccleſiaſtico, idcircò Superiores vel per ſe, vel per alium Iudicem illam cognoſcant; vel Adjunctum concedant. *Clar. q.* 43. *& ibi Bajar. n.* 18.

§. 5. Cauſæ autem ſufficientes ad Iudicem ſuſpectum recuſandum non poſſunt ità breviter numerari, debent tamen eſſe legitimæ, juſtæ, & rationabiles; & quando Iudex recuſatur ex cauſa notoriè frivola, & fruſtatoria poteſt reijci à Iudice recuſato, & ea non obſtante ad ulteriora procedere. *Farin. conſil.* 17. *n.* 16. *p.* 1. Nec parit effectum attentatorum, quòd maximè procedit in notorijs criminibus, in quibus Iudex ſuſpectus recuſari non poteſt. *Farin. q.* 21. *nu.* 129. niſi cauſa rationabilis adduceretur, quæ adumbraret notorium: & non ſufficit cauſa notoria in Iure, ſed debet eſſe notoria in facto: Et illa reputatur cauſa notoriè frivola, quando pœna à Iure ſtatuta eſt certa. Item frivola, & calumnioſa reputatur, & præſumitur, quando eſt facta in limine expeditionis, vel in publicatione ſententiæ. *Rot. Rom. deciſ.* 563. *n.* 1. *p.* 1. niſi cauſa ſuſpicionis eſſet nuper exorta de novo. *Lancel. c.* 6. *n.* 49. Si cauſa eſt legitima, & rationabilis, Iudex tenetur à judicandi munere ſe abſtinere, dummodo in libello recuſationis aſſignata ſit cauſa ſpecifica, & non generica: & ſi eſſet generica, & ſine clauſula, quòd contra perſonam ipſiuſmet Iudicis militaret, debet aſſignare terminum trium dierum, ad hoc ut recuſans aſſignet cauſam ſpecificam, ut ſupra adnotavimus, quòd ſi non aſſignat, poteſt ad ulteriora procedere; quia cauſa generica non eſt ſufficiens ad recuſandum Iudicem. Cauſæ igitur juſtæ, & legitimæ à Ripa *obſer.* 197. cenſentur 84. Cardinalis verò Alex. *in cap. poſtremò* ponit 90. cauſas. Conrad. in pract. tit. de except. enumerat 50,

quæ brevitatis gratia omittuntur à nobis, & tantùm paucas ſequentes recenſemus, quæ magis frequenter occurrere ſolent. Primò enim Compatriota unius partis poteſt ut ſuſpectus recuſari. Secundò, quando cauſa eſt dubia, & ſubtilis, & Iudex eſt imperitus. Tertiò, quando plus uni parti, quàm alteri favet: aut quando veriſimiliter præſumitur inclinare in favorem alterius partis: Et magis redditur ſuſpectus, ſi non admittit recuſationem, & non exprimit cauſam rejectionis recuſationis. Quartò, Conſanguineus, vel Affinis alterius partis. Quintò, familiaritas magna alterius partis, & prudentis Iudicis arbitrio remittitur, quando amicitia cum altera parte eſt magna. Sextò, Comminatio gravis extrajudicialiter facta ſufficit ad recuſandum Iudicem; ſecùs ſi comminatio eſſet Iudicialis, quia ex ea daretur appellatio. Septimò, Propalatio voti eſt cauſa ſuſpicionis; ſecùs ſi tantùm motiva in cauſa dediſſet. Octavò, ſi Iudex fuit datus ad petitionem alterius partis, nam in tali caſu poteſt recuſari per alteram partem. Nonò, ſi Iudex ſollicitavit, vel curavit ſe Iudicem deputari. Item ſi accepit aliquod munuſculum ab altera parte, vel eſſet corruptus prece, vel pretio. Decimò, Si Iudex eſſet indiſcretus, nam in tali caſu poteſt recuſari, ac ſi eſſet iniquus. Undecimò, Si Iudex non vult audire Advocatum in cauſa: Vel ſi contra excipientem, aliàs pronunciavit, & ab eius ſententia appellavit. Duodecimò, Iudex condemnatus de furto, adulterio, & ſimilibus de talibus criminibus judicare non poteſt, & propterea poteſt recuſari de jure in eiſdem criminibus. Et tandem omnes cauſæ, quæ ſufficiunt ad allegandum teſtem ſuſpectum, multò magis ſufficiunt ad allegandum Iudicem ſuſpectum; quia faciliùs repellitur Iudex à Iudicando, quàm teſtis à teſtificando. *Maſc. de probat. concl.* 953. *n.* 18. Et quando caput unius Congregationis eſt ſuſpectum tota Congregatio, ut ſuſpecta recuſari poteſt. *Scacc. de appel. q.* 16. *n.* 16.

§. 6. Quando autem cauſa recuſationis eſt dubia, & probabilis, ſi Iudex eſt Ordinarius, poteſt de conſenſu recuſatoris committere cauſam alicui perſonæ non ſuſpectæ. Et ſi recuſans in hoc nõ conſentit: tunc aut proceditur in cauſa ad inſtantiam partis, vel ex officio. Si ad inſtantiam partis, in hoc caſu à partibus debet eligi unus arbiter, qui poteſt judicare de cauſa ſuſpicionis. *Sanchez dub.* 3. *nu.* 22. Sed ſi partes non conſentiunt in unum arbitrum poſſunt eligere duos arbitros vel communiter, vel una pars unum, & altera alium; & ad hoc compelli poſſunt à Iudice etiam ſub cenſuris, & præfigere poteſt terminum infra quem ſi non eligant, poteſt reaſſumere ſuam Iuriſdictionem: & ſi non conveniant in unam ſententiam, poteſt eos compellere, ut eligant tertium, & etiam eodem modo compellere tertium electum, ut ſuſcipiat arbitrium. *Fuſcar. de ord. jud. fol.* 34. Si verò Iudex ex officio procedit; tunc duo arbitri debent communiter per Iudicem, & partem, contra quam proceditur, eligi. *Lezan. tom.* 4. *verb. recuſation.* 4. Quòd ſi communiter convenire non poſſunt, Iudex eligat unum, & pars recuſans eligat alterum, qui arbitri electi debent judicare de cauſa ſuſpicionis; nempè, ſi benè, vel malè Iudex fuit recuſatus; & ſi non conveniant, ſed diſcordant, ipſimet arbitri eligant tertium. *cap. cum ſpeciali. Sanchez. dub.* 3. *n.* 29. & ſtetur dicto illius, cum quo concordat tertius. *Sanch. ibid. Lez. loc. cit. nu.* 13. Et ſic etiam ſtatutum fuit in noſtro modo procedendi *in* 4. *ſubſtant. n. mihi* 131. Qui Arbitri non poſſunt eſſe alterius Re-

ligionis, neque Laici, ad hoc, ut poſſint recipere Ius judicandi: tale enim eis confertur à Iudice ordinario, & non ab officio aſſumpto. Et ſicuti Iudex recuſatus poteſt aſſignare terminum competentem arbitris intra quem deffinire debent cauſam ſuſpicionis. *cap. Suſpicio, & ibi Gloſ.* & ſi ſunt diſcordes præfigere etiam terminum, ut eligant tertium. Sic quoque arbitri electi debent aſſignare recuſanti terminum competentem ad probandum quidquid intendit ſuper exceptione recuſationis contra Iudicem propoſita, teſtes examinare, & alia facere, quæ ad hunc articulum ſpectant, & receptis probationibus debent audire allegationes hinc, indè. Et cùm concluſum fuerit in cauſa recuſationis, debent pronunciare ſententiam. *Ricc. reſol.* 400. *n.* 2. Et poſſunt compellere Iudicem recuſatum reſpondere ſuper articulis oppoſitionum. *Barboſ. in collect. ad cap.* 1. *de except. n.* 8. & ratio eſt, quia propriam Iuriſdictionem non recipiunt à partibus; neque principaliter, & abſolutè à Iudice Ordinario, ſed à Iure; & per hoc dicuntur arbitri Iuris, & non Compromiſſarij. Et ſi arbitri pronunciant cauſam eſſe juſtam, ſeù probatam, Iudex recuſatus non poteſt ampliùs ſe intromittere in illa cauſa. *cap. cum ſpeciali de appellat.* Et ſi ad ulteriora procedit, non ſolùm acta, ſed & ſententia cum omnibus inde ſequutis erunt nulla; quia per propoſitam recuſationem ſuſpenditur Iuriſdictio Iudicis recuſati, donec articulus ipſe recuſationis diſcutiatur, vel pars renunciet recuſationi. *Guaz. def.* 1. *n.* 1. Undè Procurator prætenſi Rei debet eſſe diligens; itàut quando Iudex eſſet tantùm allegatus ſuſpectus, ſi ad ulteriora procedit, ſtatim appellet ab ulteriori proceſſu; aliàs Rota pluries deffinivit proceſſum eſſe validum; quia de facto dari poſſunt caſus, in quibus Iudex recuſatus etiam ſi ad ulteriora procedat valida ſint eius acta.

§. 7. Primò enim ſi Iudex fuit tantùm voce, & non ſcriptis recuſatus, tunc geſta tenent; quia libellus recuſationis, ut ſupra dixi, debet offerri in ſcriptis. Secundò, ſi libellus recuſationis fuit porrectus, ſed non fuit pronunciatum. An cauſa recuſationis eſſet legitima, nec nè? Et tunc ex cauſæ eventu judicabitur an benè, vel malè fecerit Iudex in procedendo. Nam ſi legitimè recuſatus reperitur, omnia ab ipſo geſta in ſequenti, erunt nulla. Si verò cauſa recuſationis fuerit judicata invalida, erunt legitima omnia in ſequenti geſta: Quando autem pronunciatum fuit: quòd cauſa recuſationis ſit juſta, non poteſt ampliùs ad ulteriora procedere ſub pœna nullitatis. Et in Rot. Rom. *dec.* 2. *p.* 1. *diverſ.* habentur infraſcripta requiſita, quæ requiruntur ad hoc, ut ſententia poſt recuſationem lata ſit nulla. Primum eſt, quòd cauſa propoſita coram Iudice recuſato ſit talis, quæ ſi probaretur eſſet legitima. Secundum quòd ſit oppoſita ante litem conteſtatam. Tertium quod ſit propoſita in ſcriptis. Quartum quòd recuſans juraverit non proponere dictam ſuſpicionem ob calumniam. Et tandem quòd à Decreto Iudicis recuſati de procedendo ad ulteriora ſit appellatum in ſcriptis; etiam ſi poſtea non fuerit per recuſantem proſequuta appellatio, & debet appellare ab ulteriori proceſſu, aliàs acta per illum poſt recuſationem abſque tali appellatione, erunt valida: nec ſufficit ſimplex proteſtatio de habendo recurſum ad quos poterit, ſed appellatio debet interponi in ſcriptis. *Rot. deciſ.* 563. *n.* 12. *p.* 2. *diverſ.* Si Reus ſit de fuga ſuſpectus, poterit etiam ante citationem ad cuſtodiam carcerari; ſicuti etiam ſi citatus, & interrogatus

nega-

negaverit: quòd de conſilio Patrum, & peritorum in Ordine fieri oportet, nè bonum Religioſi nomen per carcerationem diminuatur. *Mirand. q. 16. a. 4. Clar. qu. 28.* quòd maximè eſt attendendum in noſtra Religione, in qua Carcer etiam ad cuſtodiam aliqualem infamationis notam inducit in carcerato,

De Citatione Rei abſentis. Regula II.

§. 1. QUoniam non rarò accidit, quòd Reus non poſſit citari nec perſonaliter, neque per nuntium, neque per Epiſtolam, nec per conſequens interrogari eò, quòd ſe abſentavit, & fugam arripuit: tunc citari debet ad valuas ſuę ſolitæ habitationis, & Refectorii, & ſi non comparet poſt neceſſarias dilationes, declarandus eſt contumax, & ob talem contumaciam tamquam confeſſum, & convictum ad pœnam ordinariam poteſt condemnari juxta conſuetudinē totius Italiæ, de qua teſtatur *Farin. q. 13. & conſ. 14. n. 3. Clar. q. 44. per totum.* Et de conſuetudine ſufficit una citatio, quæ debet continere tempus triginta dierum ſecundùm *Scacc. lib. 1. de Iudic. c. 43. n. 10.* Quorum decem dies pro primo, decem pro ſecundo, & decem pro tertio, & ultimo perremptorio aſſignantur; & ultimo termino elapſo proceditur ad ſententiam, *Bord. in prax. crim. c. 65. n. 7.* Alii tamen dicunt, quòd tempus aſſignandum abſenti eſt arbitrarium, arbitrio tamen ità regulatum, ut citatus veriſimiliter venire poſſit; & non comparendo condemnetur ut ſupra &c. Et elapſo termino Actuarius faciat fidem de contumacia, & elapſo altero die citandus eſt ad audiendam ſententiam contra eum pronunciandam, intra ſpatium v. g. trium dierum. Et adveniente die præfixo in citatione, & non ante, nec poſt, Iudex ferat ſuam ſententiam, præſentibus ad minus duobus teſtibus, qui ſubſcribant dictam ſententiam una cum Iudice, & Actuario. Si verò comparet Iudex illum conſtituere debet, & etiam carceri mancipare, tamquam de fuga valdè veriſimiliter, ac rationabiliter ſuſpectum.

De Conſtitutione Reorum. Regula III.

§. 1. ANtequam Iudex Reum conſtituat, debet diligenter conſiderare, & habere notitiam ipſius vitæ, ac morum; & præcipuè ſi ſit timidus, vel audax; timidus enim debet terreri, iracundus concitari, verecundus modeſtis, & blandis verbis capi, nec cum Reo familiaritatem contrahere debet; nam ex æquali converſatione naſcitur contemptus. Item ſi ſit litteratus, vel idiota; quia litteratus debet diligentiùs examinari, & ex locis etiam topicis, & ſyllogiſmis, ac argomentis ex proceſſu deſumptis interrogationes formare: Si verò eſt ſimplex, & ruſticus ſufficit ſimplex interrogatio cum ratione quadam ex natura deſumpta. Debet etiam conſiderare qualitatem, & naturam non minus Rei, quàm ſubſtantiam, & circunſtantias delicti, ac omnia indicia, quibus Reus eſt irretitus. Et ſi eſt vir ſuſpectus, & malitioſus, aut pertinax, debet Iudex uti pluribus verbis, & interrogationibus, & diligentiùs quàm alios examinare. & licet eum capere, involvere, intercipere, & interrogare etiam de circunſtantiis ad actum, de

quo

quo quæritur non pertinentibus. v. g. An ſtarent, vel ſederent? An ſi in actu delicti tempus eſſet nubiloſum, vel ſerenum. Item de qualitate veſtium, & ſimilibus ſecundùm facti contingentiam, ac Rei ſuſpicionem, ex quibus omnibus benè ponderatis poſſit ſummere occaſionem, artem, & modum examinandi, & convincendi ipſum Reum, ac illum conſtringere ad veritatem fatendam, ad quem habendam oportet, ut aliquando oſtendat ei vultum terribilem, dummodo tamen non excandeſcat; poſtquam autem veritatem eruerit cum aliquo benignitatis temperamento procedere debet; aliquando tamen oportet uti cum eo blandis verbis, quòd judicio prudentis Iudicis remittitur. Et quia noſtri Scriptores non ſunt illius auctoritatis cujus ſunt Tabelliones optimè conſultum fuit in noſtris Statutis *in 4. ſubſt. n. mihi* 140, ut Prælatus in Reo examinando aſſumat ſecum alterum fratrem maturum, qui Rei conſtituto ſubſcribat.

§. 2. His præmiſſis debet vocare Reum, & oretenus illi indicare, quòd ex deductis in proceſſu delictum taliter conſtat, quòd juridicè, & juſtè poteſt illum interrogare, & poſtea ei deferre juramentum de veritate dicenda, et ſi recuſat jurare cogendus eſt per torturam, dummodo tamen non alleget Iudicem ſuſpectum ante juramentum præſtandum. Neque in hoc caſu reus, qui cogitur à Iudice reſpondere, dici poteſt indefenſus; quia ſi vult habet remedium, nam proteſtari poteſt de nullitate proceſſus, et ſalvare ſibi Ius opponendi contra Inquiſitionem nulliter factam non præcedente diffammatione: Vel opponendi contra accuſatorem; vel quòd indicia non ſint ſufficientia ad ipſum interrogandum, & conſtituendum, et quatenùs eſſet talis proceſſus, proteſtari de illius nullitate, videlicet *dixi, & dico nullum, & ſi qua eſt appellavi, & appello &c. Clar. q. 6. n. 2.* & ſi deindè publicato proceſſu appareat de nullitate ipſius, poteſt Reus de ea opponere, & ſuas defenſiones facere. Neque eſt illi concedenda dilatio ad reſpondendum, ſeù deliberandum: & quando non vult reſpondere ſuper delicto, de quo interrogatur, neque ſuper qualitatibus, & circunſtantijs ipſius, aut ſi reſpondit, non præcisè, ſed obſcurè reſpondit, vel per verbum non recordor, vel neſcio, quando interrogatur ſuper his, de quibus veriſimiliter recordari poteſt, Iudex debet illum charitativè monere, ut reſpondeat. Et ſicut Reus legitimè interrogatus, ſub mortali culpa reſpondere tenetur de plano ſecundùm mentem Iudicis interrogantis: Sic renuens reſpondere ſine rationabili cauſa habendus eſt pro confeſſo, & pro tali eſt condemnandus, vel torquendus: In quo caſu non dantur illi defenſiones; quia non torquetur pro delicto, ſed pro habenda reſponſione, appoſita clauſula *citra præjudicium, de quibus eſt convictus, vel confeſſus.*

§. 3. In primo conſtituto opportunum erit, ut Iudex Reo magnam confidentiam permittat, ad hoc, ut quidquid velit, liberè deponat, abſque eo quòd contradicatur, & dum loquax eſt, ſinere, ut nimium ad ſaturitatem loquatur. Et etiam opportunum erit, ut in ipſo primo examine exordio, vel paulò poſt inquirat de Rei inimicis, & ſuſpectis antequam ad alias interrogationes, ſeù conſtitutos proſiliat, ut meliùs exceptionibus Rei tempeſtivè occurrat; quia cùm ex interrogationibus ſæpè in Teſtium cognitionem deveniat, qui contra ipſum depoſuerunt, illos ſtatim velut inimicos excipere ſolet, & ſi hac interrogandi forma exce-

ptionibus

ptionibus via præcluditur; deindè cæteras interrogationes proſequatur, interrogando de corpore delicti, de qualitatibus, de tempore, de circunſtantijs, de loco, & ſimilibus. Non tamen interrogetur de ſocijs criminum, niſi delictum ſine ſocijs committi non potuit, vel adſint indicia, vel infamia illorum exceptis quibuſdam caſibus, etiam ex noſtro modo procedendi *in 2. ſubſt. num. mihi* 103. 104. 105. & primò quando crimen eſt in perniciem publicam, ut hæreſis, proditio, & in Religione ſubornatio in relectionibus. Dogmatizatio contra Statuta, & bonos mores. Conſuetudo, vel frequentia ſollicitandi ad peccatum carnale; & præterea omnia illa, quæ notabile ſcandalum Sæcularibus afferre poſſunt. Secundò in criminibus leſæ majeſtatis, & etiam quando crimen eſſet in damnum tertiæ perſonæ tendens in futurum; ut ſi multi conſpiraſſent occidere aliquem, & unus ex ipſis capitur, jure poteſt de ſocijs interrogari. Et interrogatio in dictis caſibus debet eſſe in genere, & ſi Reus reſpondit, quòd fuerunt aliqui; tunc Iudex poteſt interrogare, quòd illos nominet in ſpecie. *Farin. q. 37. nu.* 133. In reliquis autem caſibus ſi Reus aliquem nominaverit, dum de eo interrogari non debuit, eius dictum ad torturam indicium non facit. Item ſi Reus eſt tantùm indiciatus, ſeù infamatus de uno crimine, non poteſt Iudex illum interrogare de alijs criminibus occultis, de quibus non adſit infamia, vel non extent indicia (etiam ſi eſſent ejuſdem ſpeciei delicta) cùm ſint tamen ſeparata, niſi in duobus caſibus. Primò, quando unum crimen eſt ſufficiens indicium alterius. Secundò, quando non poteſt cognoſci perfectè unum crimen ſine alterius cognitione, tanquam circunſtantia prioris. *ità ex noſtro modo proced. in 2. ſubſtan. num. mihi* 100. 101. 102. Si Reus delictum confeſſus fuerit, efficiat Iudex, ut omnes quaſcumque delicti qualitates, & circunſtantias recenſeat, fatentemque non interrumpat. Quinimmò cum delictum fateri cœperit non dimittat, etiamſi hora cœnæ, vel prandij, aut ſomni inſtaret.

§. 4. In ſecundo poſtea conſtituto ſi non eſt confeſſus, immò aliquo modo ſibi ipſi contrarius eſſe viderit, vel quòd falſa depoſuerit, poterit, & debebit ei contradicere improperando eidem contradictiones, & mendacia &c. Et in cauſis gravioribus erunt multiplicanda conſtituta cum interpellatione inter unum, & alium plurium dierum, ut mendaciorum priùs dictorum Reus oblitus, veritatem dicendo ſibi contradicat. Prædicta tamen confidentia nec in primo conſtituto permittenda erit Reo parato ad negandum, nè poſtea in negativa obſtinatior inveniatur. Valdè etiam expediens erit, præſertim dum Reus eſt verſutus, & creditur paratus ad veritatem negandam, ut ſubmiſſa voce interrogatoria formentur, & ad Actuarij aures dictentur, nè Reus audiat, nevè interim dum interrogatoria in Actis rediguntur ipſe callidè cogitet de mendacij reſponſione. Poſt ſingula verò interrogatoria jam ſcripta, oretenus erunt proferenda, itàut ſine dilatione Reus reſponſionem proferre debeat: etſi adæquatè nolit reſpondere, ſeù obſcurè, vel in pertinaci negativa perſiſtat, poteſt Iudex ipſum adſtringere, & comminare pœnas ad adæquatè reſpondendum; & perſeverans in tali pertinacia facit indicium ad torturam ad eruendam veritatem. *Menoch. præſumpt.* 89. *nu.* 142. & tanquam contumax poteſt condemnari, ut alibi diximus. Verùm hæc opinio non caret ſuis contradictionibus,

bus. Nam licèt aliqui dicant, recuſantes reſpondere, vel præciſè reſpondere nolentes, tamquam confeſſos poſſe damnari, ut Clar. *q.* 14. & alii Doctores fundantes ipſorum opinionem in illo textu Contumax habetur pro confeſſo; quam opinionem tenet ſimiliter Farin. *q.* 37. *n.* 191. Dummodo præceſſerit monitio de habendo illum pro confeſſo. Alii tamen hoc tantùm admittunt in delictis, pro quibus non irrogatur pœna corporalis, & in levioribus delictis, ſecus in gravioribus, & arduis, pro quibus venit imponenda pœna corporalis: in quibus caſibus pro habenda reſponſione præciſa non poteſt, ut contumax condemnari. *Mirand. q.* 26. *n.* 4. *concl.* 5. Et debet Iudex expreſſè proteſtari, quòd non torquet ad veritatem eruendam, ſed ad reſponſionem præciſam, vel abſolutam habendam citra præjudicium probatorum. Sed aliter alii & melius obſervant, & tantùm Reum ligaminibus ferreis, & ſtrictioribus carceribus compellunt, ut reſpondeat. Regulares verò, quia non interrogant, niſi præcedat ſaltim ſemiplena probatio, ſi habent in Conſtitutionibus, vel Statutis particularibus, quòd ſi Reus non reſpondeat, vel non præciſè, aut obſcurè reſpondeat, habeatur pro confeſſo: tunc poſt trinam monitionem factam, poteſt ei dari terminus ad ſe defendendum, & ſi non ſe defendit, poteſt condemnari. Sed ſi non habent dictas Conſtitutiones, vel Statuta, ſicuti apud nos non extant, ex tali taciturnitate inſurgit tantùm vehemens ſuſpicio contra ipſum Reum, ut advertit Guaz. *def.* 20. *c.* 16. *num.* 7. Undè melius eſt, ut non torqueatur ſuper reſponſione præciſa, vel abſoluta; quia talis tortura vulneraret proceſſum, ſi Reus eſſet negativus, & debilitaret probationem; itàut ſi delictum eſſet tantùm ſemiplenè probatum, non remaneret ampliùs ſemiplenè probatum. Et Regulares, qui non ſolent habere torturam adæquatam, ut poſſint ſuper delicto Reum ſufficienter torquere, poſſunt extraordinariè ipſum punire, dato prius termino ad ſe defendendum, & ſolitis defenſionibus, maximè quia talis pertinacia in non reſpondendo auget aliud indicium ſupra ſemiplenam probationem.

§. 5. Si Reus eſt in carcere, debet excarcerari etiam ex noſtro modo procedendi *in* 2. *ſubſt. n. mihi* 98. Et dum examinatur, non debet detineri manicis ferreis, ſed ſolutus. *Bover. in direct. p.* 2. *c.* 35. De conſuetudine tamen examinari poteſt ligatus, ſi qualitas delicti, & perſonæ ità ſuadeat. *Scacc. lib.* 1. *c.* 86. *n.* 66. Et in examinando debet Iudex in memoria cuſtodire omnia indicia, quæ militant contra Reum ex quibus, veluti ex propriis locis debet conſtruere interrogatoria, & argumenta ad illum convincendum: qui ſi fatetur delictum, aut incipit dicere veritatem non debet dimittere examen, nec interrumpere, ſed illud continuare quouſque dixerit veritatem ſaltim quoad principalia, & ſi aliquid deeſſe cognoverit ſuis interrogationibus, poſtea extorquere poterit. Et ſi Reus in confeſſione miſceat aliena, nec eſt interrumpendus, ſed omnia in Actis ſcribenda ſunt, ut ex eis ſummat Iudex occaſionem ad eruendam integram veritatem. *Chart. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 73. 74. Nec ſatis eſt congregare contra Reum indicia, conjecturas, & præſumptiones, & interrogare de qualitate rei, & criminis, niſi etiam interroget ordinatè, primò de qualitate rei, & de remotis à delicto, poſteà de cauſa, & occaſione delicti, & de aliis indiciis, prout conſtat in proceſſu, indè de loco, & tempore: & ſic ſemper debet interrogari prius à remotis, & in genere. Et ſi Reus quærit diſputare de aliquo articulo

cum Iudice, non debet audiri, ſed illum compellere ad reſpondendum ſine aliqua contentione: & ſi dicit aliquod mendacium, de quo per teſtes convincitur, facit contra eum indicium ad torturam *Clar. q. 45. n. 10. & aly.* Si verò falſum dicit, in foro contentioſo de perjurio puniri non poteſt, ſed ſolùm Deum habet ultorem *l. 2. C. de reb. cred. Clar. ibid. Guaz. def. 20. cap. 3.* Et hoc procedit etiam in Reo, qui examinatur uti principalis in ſe, & teſtis ad alios. Verum quidem eſt, quòd ſi Reus eſſet perjurus in primo conſtituto, & etiam in ſecundo, ratione iſtius geminationis extraordinariè puniri poſſet.

§. 6. Et ſi primum, & ſecundum conſtitutum non ſufficiant, poteſt Iudex pluribus vicibus ſuo arbitrio Reum examinare, quòd maximè procedit, quando vellet eum capere in ſermone, & veritas aliundè haberi non poſſit. Et ſi Reus vellet ſe referre ad ea, quæ dixit in aliis præcedentibus conſtitutis, quidam dicunt, quòd poſſit cogi ad reſpondendum per extenſum. Alii verò aſſerunt hoc eſſe poſitum in arbitrio Iudicis, an vellit, vel non, talem reſponſionem relativam admittere: & ſi nolit illam admittere, & reus petat ſibi priùs legi depoſitionem factam in alio examine; quidam dicunt, quòd Iudex tenetur eam legere, *ut Bart. Felin. Foler. & alij:* ſed hoc etiam in arbitrio Iudicis reſidet, præſertim in Reo ſuſpecto. *Chart. lib. 3. c. 2. n. 86.* maximè ſi interrogetur de re recenti, & ab eo aliquo corporis ſenſu percepta: ſecus ſi non interrogetur de formalitate verborum, & non recenter auditorum. *Scac. c. 86. n. 48.* Sed hîc inſurgit alia difficultas, nempè, an lecta prima depoſitione, vel ſibi denegata, poſſit antequam reſpondeat præmittere hanc proteſtationem. *Dico, quello, che hora mi ricordo, che ſe poi conſtarà havere altrimente depoſto, riferiſco queſta mia alle prime depoſitioni, & à quelle mi riporto, perche all' hora meglio me ne ricordavo.* Felinus, Boſſius, & alij dicunt hanc proteſtationem eſſe admittendam. Chartar. verò *loc. cit. n. 80.* aſſerit quòd ex juſta cauſa poteſt Iudex talem proteſtationem reijcere. Sed Scacc. *c. 86. n. 48.* tenet remittendum eſſe arbitrio Iudicis hujuſmodi proteſtationem admittere, vel non. Ego verò exiſtimo, quòd ſi non agatur de facto recenti Iudex poteſt eam admittere cum hac proteſtatione, ſcilicèt, quatenùs ſecunda depoſitio nullo modo ſit contraria facto, & primæ depoſitioni.

§. 7. Interrogatoria tàm Reorum, quàm Teſtium vulgari idiomate fieri poterunt ſecundùm conſuetudinem: quæ autem ex officio Iudicis fiunt, latino ſermone ſcribenda ſunt. *l. qui ad certum ff. loc. Gloſſ. in c. ex litteris. de divortijs. Dec. conſil.* 145. Caveat tamen Iudex ſemper à ſuggeſtivis interrogatoriis non ſolùm tendentibus in damnum Rei, ſed etiam fiſci; ſcilicèt, quando facta interrogatione prævenit Reum in reſponſione; quaſi indicando ipſi reo modum, & viam reſpondendi. Nam proceſſus per ſuggeſtionem factus eſt ipſo Iure nullus *Clar. q. 21.* In dubio autem an interrogatio ſit licita, vel ſuggeſtiva remittitur arbitrio Iudicis. *Farin. q. 83. n. 89.* Et non eſt ſtandum Iudici interroganti, quia eſſet Iudex in propria cauſa; ſed debet ſtari vel teſtibus, qui fuerunt præſentes examini, vel ipſimet examini ſcripto, & in dubio præſumitur ſuggeſtio. *Bord. q. 68. n. 20.* Impunitatem non poteſt Iudex Reo, nec teſtibus promittere ſine expreſſa P. Generalis licentia, & confeſſio aliàs extorta Reo non nocet quoad condemnationem, ſed ſolùm facit

indicium ad torturam. *Menoc. lib. 2. c. 367. n. 4. Farin. q. 81. n. 295.*

§. 8. Præter prædicta, multa alia etiam conſiderare debet Iudex, & primò, quòd non ſolùm Reus ſemiplenè convictus debet examinari, ſed etiam plenè convictus, & licèt non poſſit torqueri, quando delictum eſt plenè probatum, cùm tortura ſit remedium ſubſidiarium, nihilominùs debet interrogari citra præjudicium convictorum: quia ſi reus convictus eſſet interrogatus abſque tali proteſtatione, & negaret, remaneret, ac ſi non fuiſſet convictus; quia negans probationem claram, reddit dubiam. Et non debet Iudex interrogare Reum convictum dubitativè, ſed abſolutè hoc modo *Cur tale delictum commiſiſti? Qui fuerunt complices, ſocii, auxiliatores, aut fautores?* Secundò, ſi Reus mutat colorem faciei, aut loquitur pavendo, vel trepidando, ſeù variando, vel vacillando, vel lacrimando, aut alia ſigna notabilia faciendo, Iudex debet ordinare Actuario, ut illa deſcribat in actis. Et quando reſponſio Rei eſt indiffinita, in criminalibus debet intelligi ſecundùm præcedentem interrogationem. *Guaz. def. 20. cap. 10. n. 3.* Tertiò, ſi Reus repertus fuerit excommunicatus, priùs abſolvi debet, quàm ulteriùs examinetur, ad effectum ſiſtendi ſe in judicio: Et tandem non debet Iudex de his, quæ potiùs in Iure, quàm in facto conſiſtunt, ſed ſuper factum tantùm Reum interrogare. Nec Reus ipſe ſimili modo interrogatus reſpondere tenetur. Undè non licet illum interrogare v. g. An ſit culpabilis de tali crimine, vel non; ſed benè, An commiſerit, vel non tale crimen. Immo Iudex non debet admittere ſimilem reſponſionem Rei, quòd non ſit e. g. culpabilis; quia tali reſponſio eſt Iuris, & non facti.

De Rei Incarceratione. Regula IV.

§. 1. CArcer dari non poteſt, niſi ad cuſtodiam, vel ad pœnam. Carceratis ad pœnam aufertur capucium, & corda, non autem ad cuſtodiam; & quamvis noſtra Statuta *in 2. ſubſt. n. mihi* 97. declarent, Carcerem ad cuſtodiam non infamare; attamen negari non poteſt, quin Carcer inter viros Religioſos ſemper ſecum aliquam inducat infamiam, & in magnum Religioſi damnum cadat; quia irreparabilem illi infert jacturam quæ abſolutoria ſententia vix abſtergitur, prout ait P. Bover. *cap.* 34. Undè magni facit: Iudex Regularis, dum ad Rei incarcerationem devenit, qua de re ad ipſam procedere non debet, niſi legitima præceſſerint indicia, aut niſi de fuga timeatur, & hoc de conſilio, & conſenſu Patrum, & Seniorum in ordine, & præſertim quando ſunt viri aliquo titulo inſignes, qui ſine graviſſima cauſa, nec ad cuſtodiam debent mancipari; quare dum Monaſterium, vel cella ad cuſtodiam ſatis eſt, à carcere formali, ut fama integra ſervetur, abſtinendum erit. Et Iudex Regularis injuſtè carcerans Religioſum, non ſolum peccat mortaliter, & ad reſtitutionem famæ tenetur ſecundùm communem ſententiam Summiſtarum teſte Navaro *in rub. de jud.* ſed etiam in excommunicationem majorem eò ipſo incidit, & omnibus actibus legitimis privandus eſt. *c. ſi quis ſuad. Diab.* 17. *q.* 14. Et in eandem excommunicationem incurrunt ſimiliter omnes, qui manus injecerunt in Religioſum, ut illum caperent, & conducerent ad carcerem, & etiam mandantes auxilium, favorem, & conſilium ferentes, vel ratum habentes.

§. 2. Carcer autem quatuor de cauſis poteſt eſſe injuſtus: primò, ob defectum Iuriſdictionis, & poteſtatis, quando, ſcilicèt, fit ab eo, qui non habet merum imperium in carcerato; vel quia non eſt Iudex competens ratione originis, vel domicilij, vel delicti. Secundò, reſpectu perſonæ, quæ carceri mancipatur; quia *v. g.* eſt privilegiata. Tertiò, reſpectu cauſæ, quia quando Religioſus non eſt ſuſpectus de fuga, nec conſtat de corpore delicti, quando eſt facti permanentis; nec delictum eſt ſemiplenè probatum, quando proceditur via Accuſationis, vel Denunciationis; aut ſi procedatur via Inquiſitionis contra ipſum non præceſſit diffamatio, ſemper carceratio dicitur injuſta ratione ordinis non ſervati, ut infra melius patebit. Nam ſi eſſet carceratus non præcedente diffamatione, Diffamatio orta poſt cerceratione m non poteſt juſtificare ipſam carcerationem; quia eſſet orta ex ipſa detruſione in carcerem. *Navar. Sanchez. lib. 6. conſil. c. 3. d. 26.* Poteſt tamen Iudex Regularis ſtante ſuſpicione fugæ, aut timore quòd ſeducat teſtes, vel diffamatione de crimine Subditum carcerare, & poſtea probare dictam diffamationem ortam eſſe ante carcerationem, ut appareat juſtificatio Carcerationis per Acta; Et carceratio in dubio ſemper præſumitur juſta. *Chart. dec. 66. n. 21.* Et Superior in tali caſu carcerando Subditum non incurrit excommunicationem. *Alfon. de Leonis de Cenſ. recollect. 2. n. 869.* Quartò, reſpectu loci in quo quis detinetur; quia Carcer datus ad cuſtodiam non debet eſſe teterimus, ſed clarus, & humanus.

§. 3. Dantur etiam alia duo genera Carceris, unum ad torturam, quando, ſcilicèt, Iudex tradit aliquem in carcerem ad eum affligendum junctis aliis pœnalitatibus, ut veritatem fateatur: & ad talem carcerationem non poteſt devenire Iudex Regularis, niſi priùs conſurgat ſemiplena probatio, & Reus conſtituatur, qui ſi neget delictum, vi tormentorum eſt ad confeſſionem plectendus, & in carcerem conijcitur. Alterum eſt ad correctionem morum *juxta cap. Si clericos de ſent. excom. in 6.* Undè ſi Superior Regularis detineret Subditum carceratum per aliquot dies etiam ſine proceſſu non incurrit excommunicationem, cùm temeritas & injuria ceſſent. *Farin. q. 27. n. 28. Peyr. de Subd. qu. 1. cap. 13. in fine.* Et poteſt quis mitti in carcerem ad cuſtodiam pro delictis futuris, aut alijs mali vitandis, in quo caſu, qui poteſt diſponere de vita, & actibus ejus, poteſt immò debet eum carceri mancipare, & ligare, nè aliquid ex eius libertate proveniat; & hoc quando probabiliter dubitat, quòd niſi illum carceribus tradat, delictum committat. *D. Th. 2. 2. q. 65. art. 3. in corpor. & in reſponſ. ad tertium.* Et hoc in noſtro modo procedendi *n. mihi* 34. Statuitur, quod Guardiani, & eorum Vicarii in caſibus urgentibus, & ubi periculum eſſet in mora, tamquam Provincialium Delegati poſſint proceſſum conficere, & de conſilio Seniorum ipſius loci ad cuſtodiam (ubi de fuga timetur) in carcerem detrudere, & deindè Provincialem, vel Commiſſarium certiorem facere: & multò magis præcipere poſſunt alicui ex ſuis Subditis nè ex cella exeat, dummodo rationabilis cauſa ſubſiſtat; non enim cella eſt Carcer.

§. 4. Suſpicio autem fugæ ob quam Reus carcerari poteſt modo quo ſupra oritur ex experimento aliàs facto, ſcilicèt, quia aliàs inquiſitus fugam arripuit, ſed etiam oritur ex conditione perſonæ nullo experimento facto, ut ſi v. g. ſit Iuvenis indevotus, vitæ non tam qualificatæ, parum honeſtus, non multum compoſitus,

ac

ac minus ſpiritualis, & hæc ſuſpicio fugæ eſt arbitraria. *Barb. ad Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reformat. c. 6. n.* 41. Item ex qualitate delicti, quando, nempè, eſt enorme, ut homicidij, veneficij, Sodomiæ, fornicationis &c. *Bover. p. 2. c. 34.* Et *ex Baiar. q. 28. n.* 11. eſt in arbitrio Iudicis ex leviſſima ſuſpicione ad capturam devenire conſiderata qualitate perſonæ, & gravitate delicti. Non tamen poteſt Iudex Regularis ad talem carcerationem devenire antequam Reus conſtituatur, etiam quòd ſit de fuga ſuſpectus, quamvis delictum ſit tale, pro quo ſolet infligi pœna corporalis, & ſit etiam ſemiplenè probatum, ut alibi dixi, *Baiar. loc. cit. num. 76.* Sed debet prius citari, & interrogari, & poſtea in fine conſtituti carceribus ad cuſtodiam mancipari. Verum tamen eſt, quòd ſi Reus eſſet citandus, & ob citationem eſſet periculum fugæ, ante citationem ad cuſtodiam carcerari poteſt, & deindè è carcere ad Ius vocandum erit, *ut poſt Clar. Ghisl. Aret. aſſerit Bover. loc. cit.*

§. 5. Carcer ad Cuſtodiam debet quidem eſſe tutus, & fortis, ſed humanus, & Civilis, ità ut, qui in ipſum includitur benignè tractetur, nullaque pœna afficiatur. At ſi carcer daretur in pœnam juſtis de cauſis poterit eſſe obſcurus, teter, & ſubterraneus. Et multo minus debet Iudex Regularis Reum prætenſum in compedibus ponere, nec vinciri catenis, dummodo qualitas delicti hoc non expoſcat, vel locus Carceris non ſit tutus, vel Carceratus ſit de fuga ſuſpectus. Et taliter carcerati etiam ad cuſtodiam, vel catenis vincti, ſi poſtea per ſententiam erunt aliqua pœna affligendi, clementiùs erunt puniendi, & cuſtodia in partem ſaltim pœnæ erit computanda. *Biſſ. q. 79. n. 2.* Quando Reus ponitur in carcere pro cuſtodia, ſive pro tortura debet ſcribi in Actis, & declarari, nè Reus infamiæ notam incurrat. *Bover. ibid. c. 34. verſ. cùm vero.* Et ſi Reus videns ſe duci ad carcerem à Decreto Carcerationis appellet, ut ſe eximat, non eſt audiendus: & licèt de Iure appellatione pendente nihil ſit innovandum: attamen ſaltim de conſuetudine ſervatur, ut carceretur; quia non admittitur hujuſmodi appellatio, quoad effectum ſuſpenſivum. *Clar. quæſt.46.* Nec per hoc dicitur Iudex aliquid innovare, ſed potiùs Ius publicum, & ſuum tueri, nè Reus fuga pœnam delicti evadat, aliàs enim Iuſtitia eluderetur. Ei idem dicitur ſi appellet à ſententia, quòd in carcere ad pœnam detineatur.

§. 6. Sed hìc inſurgit difficultas, An, ſcilicèt, Religioſus juſtè detentus in carcere ad cuſtodiam convocari debeat ad electionem faciendam, itàut ſi non vocetur, poſſit electionem infirmare. Et videtur quòd non, quia ſicut non poteſt Miſſam celebrare, nec miniſtrare in ſuſceptis, & multò minus aſcendere ad majores Ordines *ex Alfon. de Leon. loc. cit. recolet. 6. num. 869.* ità nec poteſt concurrere ad electionem. *in ſententia. Bord. tom. 2. reſol. 61. q. 1. n. 7.* Sed hæc opinio quoad vocem activam non placet alijs Doctoribus citatis à P. Did. de Meſſan. *p. 4. c. 17. nu. 11.* quia Ius eligendi, ſeù vox activa eſt Ius quæſitum, & à Iure quæſito non poteſt quis privari, niſi ſit confeſſus, vel convictus. Et requiritur ſententia, ut quis privetur ab Actibus legitimis. Undè ſi eſt præſens in domo, in qua fit electio, debent mitti ad eum Scrutatores ad recipiendam ſuam vocem, ſicut mittuntur ad infirmariam ad recipiendam vocem vocalium infirmorum, aliàs poteſt electionem infirmare; quòd magis procedit ſi iniuſtè eſt detentus in carcere.

Super

§. 7. Super omnia autem animadvertere debet Iudex Regularis, quòd quando Reus incarcerandus eſt, ex improviſo debet illum arreſtare, & in carcerem trudi; neque permittendum eſt ei, quòd ad locum ſuæ habitationis accedat, nec cum aliquo loquatur; & tàm ille, quàm locus habitationis eſt diligenter cuſtodiendus, quoad uſque facta ſit viſitatio tàm perſonæ, quàm cellæ, ſeù Cameræ; quia ultra quod Iudex poterit multa lucrari pro fiſco ad complementum proceſſus, poteſt etiam evenire, quòd Reus de uno tantùm delicto ſuſpectus, fieri poſſit Reus multorum delictorum. Sitque pervigilans, ac diligens Actuarius ad ea omnia deſcribenda cum eorum qualitatibus, & circunſtantijs, quæ reperiuntur tàm apud Reũ, quàm in loco illius habitationis. Et Religioſus juſtè carceratus non poteſt fugere abſque Apoſtaſiæ nota. *Suarez tom. 4. del Relig. tract. 8. lib. 2. c. 10.* Secùs ſi eſſet iniuſtè, & per vim carceratus. *Peyr. de Subd. q. 1. c. 13. notab. 4.* Undè poteſt fugere etiam fracto carcere, quòd procedit quoque in carceratione juſta; dummodo tamen modus ſit apertè iniuſtus. *Sanchez lib. 6. moral. c. 4. dub. 11.* Et carceratio longa ad cuſtodiam, licèt non ſit ad pœnam, habet tamen in ſe pœnam, per quam ſi purgavit ſe per talem carcerationem in totum, cedit pœna in totum. Si verò in partem, cedit pœna in partem. *Vicent. de franch. deciſ. 317. nu. 4. in 2. p. n. 5.* Ubi quòd ita Sac. Conc. multoties judicavit, & ſequitur *Guaz. def. 2. c. 2. n. 18.*

§. 8. Et quamvis ſi Carceratus Sæcularis aufugiat, non privetur immunitate Eccleſiaſtica; Religioſus tamen aufugiens privatur. *Delbene. de immunit. Eccl. p. 2. c. 16. dub. 15.* Undè ſi carceratus ad cuſtodiam eſt ſuſpectus de fractione carceris, poteſt etiam vinculis conſtringi, ſcilicèt, manicis ferreis, aut compedibus. *Ant. à Spiritu Sancto tract. 4. diſp. 3. n. 408.* Et carcerum effractor poteſt in abſentia condemnari; quia pro confeſſo habetur, & contra ipſum poteſt ferri ſententia tanquam confeſſum de crimine, de quo imputatur, & condemnari. *Maſcar. de probat. lib. 1. concl. 266. n. 3.* Et Ricc. *deciſ. 65. p. 3. n. 2. 3. 4.* ſubdit, quòd ſi Carceratus effracto carcere fugit, & domi capitur, poteſt tanquam confeſſus condemnari. Immò ſi effracto carcere, & jam exiens fuerit captus, habetur tanquam ſi aufugiſſet *Menoch. Bertaz. & multi alij.*

De Confrontatione Teſtium cum Reo. Regul. V.

§. 1. Quia dari poteſt caſus, quòd Reus non cognoſcatur à Teſtibus de nomine, ſed tantùm de viſu: Aut ſi eſt cognitus, negat tamen id, quòd contra eum teſtes depoſuerunt. Ideò in primo caſu facienda eſt recognitio Rei; in ſecundò verò eſt facienda confrontatio, ſi ita Iudici expediens videbitur ad Reum convincendum. Recognitio tamen facienda eſt antequam Reus interrogetur; ſed confrontatio fieri non poteſt, niſi poſtquam Reus eſt interrogatus à Iudice, & negat ea, quæ teſtes contra eum depoſuerunt. Prima eſt neceſſaria etiam in Iudicio Regulari; ſecunda verò licèt ſit arbitraria, non tamen regulariter eſt practicanda inter Regulares, apud quos teſtium nomina non publicantur etiam in graviſſimis cauſis, nè inter ipſos odia excitentur, & pax turbetur, niſi aliquandò petente Reo in graviſſima cauſa, & niſi aliter Prælato videretur, cujus arbitrio, & conſcientiæ to-

tum

tum id relinquitur: & tunc danda ſunt ſeparata à dictis ipſorum teſtium, ne Reus ſcire poſſit, quid dictum fuerit ab unoquoque ſic etiam habetur in noſtro modo procedendi *n. mihi* 70. Et ſic multò minus eſt admittenda confrontatio, in qua non ſolùm nomina, ſed etiam perſonas, & dicta diſtinctè Reus cognoſceret. Nihilominùs, quando teſtes ſunt complices eiuſdem criminis cum reo, & confitentur delictum, in tali caſu ad convincendum Reum negantem etiam in foro Regulari non ſolùm nominandi ſunt ei teſtes complices, cum quibus præſupponitur deliquiſſe, ſed etiam confrontandi non tanquam teſtes, ſed ut complices. Sicuti etiam, quando teſtes ſunt Sæculares, & conſentiunt ſe confrontari cum reo, poteſt fieri talis confrontatio in cauſis Regularium; quia quoad Sæculares ceſſat ratio, quare teſtes Religioſi eiuſdem Ordinis non debent nominari, nec confrontari cum reo: & quando eſſet facienda talis confrontatio (in qua Iudex debet multum cautè procedere) debet fieri antequam detur reo terminus ad ſe defendendum, nè teſtes loquantur cum reo, nec Reus poſſit alloqui Advocatum vel Defenſorem, & ab eo inſtrui poſſit. Teſtes etiam confrontari poſſunt, immò cogi ad confrontandum ad invicem, quando ſunt contrarij in negotio principali, vel in circunſtantijs ſubſtantialibus, & tendentibus ad delictum, & de directo teſtes contradicerent ipſi reo. *Clar. q.* 45. *num.* 14.

§. 2. Si teſtes dicant cognoſcere Reum de viſu tantùm, & non de nomine, tunc eſt omninò neceſſaria recognitio, quæ fieri debet in cauſis Regularium alio modo à Sæcularibus diverſo; nempè, ut teſtis recognoſcat. nominatum ab eo in medio aliorum, quantùm fieri poteſt facie, ſtatura, & veſtibus ſimilium, & quo major erit numerus, eò minor erit ſuſpicio fraudis, abſque eò, quòd tamen, ut à Reo videatur, ſcilicèt, per rimulus Oſtii, aut per fracturam alicujus feneſtræ, cameræ, vel cellæ, in qua ad hunc finem debet poni recognoſcendus non vinctus, ſed ſolutus, nè detur occaſio recognitionis per ſuggeſtionem: & iſti apponendi cum reo, non debent eſſe noti teſtibus. *Guaz. def.* 20. *c.* 20. *n.* 1. 2. 3. Et quando Iudex Regularis ad talem confrontationem neceſſarium duxerit devenire, tunc uti poterit ſequenti cautela, nempè, ut ante confrontationem prius interroget Reum an cognoſcat N. N. & N. &c. multos nominando, & inter nominatos, pariter nominet teſtes confrontandos, & an habeat iſtos pro viris probis, & veridicis, & an ſint ſibi amici; quia ſi reſpondit, habere eos pro viris probis, & amicis in actu confrontationis faciliùs Reus ſe inducit ad fatendum &c.

§. 3. Et in caſu quo in Regularium cauſis facienda ſit talis confrontatio, omnia in ea ſervare debet Iudex cum teſtibus, quæ in primo examine requiruntur, ac ſi numquam fuiſſent examinati, & ob id, quamvis teſtes in prima depoſitione juraverint, in confrontatione debent iterùm jurare præſente Reo de veritate dicenda delato à Iudice juramento, aliter confrontatio non ſubſiſteret; quia juramentum non præſumitur. *Bertaz. conſ.* 70. *n.* 30. *Bajard. q.* 45. *n.* 48. Debent etiam teſtes torqueri, quando ſunt torquendi, & cum eis alia fieri, prout in primo examine. Undè ſocij criminis torqueri debent in præſentia Rei, & depoſitionem confirmare, & ratificare in tortura, & poſt torturam. Et ante torturam debent referre, & recenſere quoad ſubſtantiam ea, quæ in primo examine depoſuerunt in faciem ipſius

Rei. Et poſtea factis Reo debitis monitionibus de veritate dicenda ſuper eo, de quo eſt interrogandus, ſi ipſe eſt negativus, & teſtes producti ipſum convincunt, Iudex mandare debet in ipſius faciem adduci ſingulos teſtes ſeorſim, & ſeparatim, & delato juramento de veritate dicenda, unus quiſque ſeparatim interrogari debet. *An cognoſcat Reum conſtitutum?* & vice verſa; & facta ad invicem inter eos nominum ac perſonarum recognitione; ſi ſe invicem cognoſcunt Interrogetur teſtis. *An ea, quæ depoſuit fuerint, & ſint vera, & per ipſum pro veritate dicta?* Et faciat, quòd teſtis referat in faciem Rei, ſaltim quoad ſubſtantiam ſuam primam depoſitionem, antequam ſibi legatur, ad evitandam omnis ſuggeſtionis notam. Et ità fieri debet cum aliis teſtibus ſeorſim, & poſtea lecta ab Actuario depoſitione interrogetur. *An ea, quæ in eius examine depoſuit, fuerint, & ſint vera, & per ipſum pro veritate dicta, velitque ea ratificare in faciem Rei ibi præſentis?* & recepta reſponſione affirmativa, Iudex ad Reum converſus interroget. *Quid modò ad prædicta reſpondeat?* Cui neganti teſtis Iudice interrogante, replicet, *Se dixiſſe veritatem*, & utroque in proprio dicto perſiſtente, Iudex debet ducere teſtem ad torturam, ut confirmet ſuum dictum in faciem Rei; eò quia ſupponitur ſocius criminis: Si verò teſtis confrontatus eſt Sæcularis, debet illum licentiare, & examen cum Reo continuare.

§. 4. Si Reus in actu confrontationis velit teſtes interrogare etiam cum interrogatoriis in ſcriptis datis, non eſt denegandum. *Guaz. def.* 20. *c.* 21. *n.* 6. Immò ſi Iudex hoc illi denegaret, poſtea illi erit concedenda teſtium repetitio cum interrogatoriis; quia in tali caſu non poteſt ſupponere, quòd Reus habeat teſtes pro ritè, & rectè examinatos. An verò prædicti teſtes confrontati in faciem Rei ſint ſemper poſtea repetendi (etiam præciſo caſu, quòd antea petierit illos interrogare) ad inſtantiam ipſius Rei cum ſuis interrogatoriis, opinio eſt hinc indè. Clarus *q.* 23. *n.* 3. monet Iudices, præſertim in cauſis criminalibus, ut ſe abſtineant ab hujuſmodi repetitionibus, nam ſemper proceſſus involvunt, & deſtruunt, magnamque præbent occaſionem ſubornationis, & falſitatis in teſtibus; & Baiardus aſſerit *q.* 49. *nu.* 35. de conſuetudine omnium Curiarum non dari talem repetitionem; quia Reus publicato proceſſu poteſt probare quidquid velit contra perſonas, & dicta teſtium. Alii verò dicunt, quòd confrontatio non tollit repetitionem teſtium ſuper interrogatoriis ejuſdem Rei, & cum iſtis eſt etiam Farin. *q.* 72. *n.* 144. Ad effugiendam tamen omnem diſputationem tutiùs erit, ut ex parte Rei apponatur clauſula. *Salvis exceptionibus contra perſonas, & dicta teſtium, & ſalva repetitione cum interrogatoriis præter mortuos, & abſentes*, ut docet Guaz. *def.* 24. *c.* 8. *n.* 9. quia Doctores volunt reſtringere iſtam opinionem, quando quis declaravit re integra, & ante datas copias, ut tunc poſſit Ius habere ſuper interrogatoriis: Secùs ſi illam ſimpliciter fecerit poſt datas copias ſine ullà reſervatione, & ſalvo Iure repetendi teſtes cum ſuis interrogatoriis.

De Compoſitione Rei cum Fiſco. Regula VI.

§. 1. Compoſitionem Rei cum fiſco non ſolùm fieri poſſe ſed de facto fieri in toto ſtatu Eccleſiaſtico inter Iudicem Eccleſiaſticum, & Reum in cauſis criminalibus teſtatur Guaz. *def.* 34. *c.* 1. *n.* 1., & continuata docet omnium Tribunalium praxis, & habetur expreſsè, in Bulla Pij IV. ſuper reformatione Tribunalium, quæ eſt in ordine illius Pontificis 85. Et idcircò valdè commendatur à P. Bicto *q.* 94. *n.* 51. 52., & amplectitur, ac proponitur à noſtris Statutis *in* 4. *ſubſt. n. mihi* 135. 136. Et ad hujuſmodi compoſitionem admitti poſſunt tàm Accuſati, Denuntiati, vel Inquiſiti, quàm Conſtituti, dummodo non ſint confeſſi, aut convicti, ſed cùm adhuc dubius ſit litis eventus, ſi voluerint, & petierint, ac Iudex conſenſerit, ut ſic cauſa citiùs, ſuaviùs, ac mitiori utriuſque diſpendio expediatur. Si tamen opponeretur de nullitate proceſſus ex parte Rei admittitur compoſitio, quamvis fuerit plenè probatum delictum, & Reum confeſſum, cum per talem exceptionem obumbretur probatio Fiſci, & reddatur dubia. *Guaz. ibid. num.* 5. Et idem dicitur, quando extaret aliqua juſta cauſa recedendi à pœna ordinaria. *Guaz. ibid.* Ac inſuper admittitur compoſitio in Reo non ſufficienter torto ad effugiendam torturæ repetitionem: ſecùs ſi fuiſſet ſufficienter tortus; quia tunc eſſet locus abſolutioni. Et talis compoſitio fieri poterit quocumque tempore ante ſententiam diffinitivam, incœpta tamen cauſa, idèſt, poſt litis conteſtationem, ſive Rei conſtitutionem, ac terminato proceſſu informativo.

§. 2. Et quia iſte modus terminandi cauſas per compoſitionem eſt extraordinarius, ideò ad eum Iudex ſolùm devenire poteſt, & debet, ubi cauſa agitur cum perſonis qualificatis, & in caſu, quo nondum Reus ſit diffamatus, ſed potiùs Cauſa ſit ſecreta, itàut ſolus Iudex, & alii in Iudicium vocati de tali re notitiam habeant, nec fama quomodolibet ad exteros fuerit delata, & ſi aliquomodo fuerit delata adhuc tamen dubius eſt, & incertus litis eventus: Neque etiam liceat Iudici agere de compoſitione cum Reo prætenſo quomodocumque & ſub quocumque prætextu, ſolùm autem id liceat Reo; & non fiat interveniente dolo, ſeu colluſione, mediantibus favoribus, præcibus, vel donis, & ſi pro graviſſimis delictis minima pœna daretur talis compoſitio non valeret. *Farin. q.* 5. *n.* 14. Quòd etiam procedit, ſi contra Iudicem, vel Reum interveniant metus, vel minæ injuſtæ. Item fieri non poteſt compoſitio, niſi facta pace, vel parte offenſa liberè, & expreſsè concordata *Guaz. def.* 34. *c.* 3. *n.* 2. Vel ubi Rei non ſperatur emendatio, ut in ſolito delinquere in gravi, & enormi delicto, qui verbo, & facto ſcandaloſus eſt, & malæ vitæ. *Guaz. ibid. c.* 2. *n.* 1. *Farin. q.* 5. *num.* 10., quia ut inquit Ghisl. *in ſua prax. crim.* Compoſitio continet in ſe quamdam gratiæ ſpeciem; ex ea namque conſervatur fama illæſa, quandoquidem in ſupplicatione, quam Reus porrigit, non confitetur delictum, nec ſententia delicti condemnatur, ac deinceps criminis pœna minuitur, cùm ſemper extraordinaria pœna, eaque mitior imponatur, quibus gratiis, ſeù privilegiis frui non debent ſoliti delinquentes. Nihilominùs Farinacius è contra ſic ait. *Ex hac compoſitione nec gratia Reo præſtatur, nec ex ea pœna diminuitur, ſed*

X ſerva-

ſervatur juſtitiæ æqualitas. Pœna enim compoſitionis, quæ minor dici poteſt, habito tamen reſpectu ad dubium litis pendentis dici poteſt æqualis; quippè in hac compoſitione Iudex relevatur ab onere probationum, & ab Appellationis periculo, & Reus ipſe relevatur non ſolùm ab infamia criminis, & graviori pœna, ſed à tortura, & diſpendio litis, nec poterit ſuper tranſacta cauſa etiam novis ſupervenientibus indiciis ampliùs moleſtari, etiam ſi procedatur per Accuſationem, ſeù Inquiſitionem, ità communiter Doctores apud Bictum *a.* 94 *n.* 47.

§. 3. Inſuper requiritur, ad legitimam compoſitionem, ut informativus proceſſus ſit completus, aliàs illicita eſſet compoſitio; & quòd Reus non ſit convictus; quia ut talis non eſt capax compoſitionis. Et tandem, ut non fiat compoſitio in criminibus leſæ majeſtatis, hæreſis, vel raptu Virginis, & ſimilibus, niſi conſulto Principe, & de ejus mandato. His porrò ſervatis, compoſitionem hujuſmodi fieri poſſe, & præcipuè inter perſonas Religioſas quæ potiùs emendationem, quàm pœnam, & damnum quærere debent, videtur indubitatum; & ſic etiam optimè conſultum fuit in noſtro modo procedendi loco citato.

De arbitrio Iudicis circa torturam Reorum.
Regula VII.

§. 1. QUæſtio eſt inter Criminaliſtas, An Iudex poſſit ſuo arbitrio Reum indiciis gravatum vel torquere, vel extraordinariè punire? Pro cujus intelligentia, ſciendum eſt, quòd indicia alia ſunt indubitata, & alia non. Si indicia non ſunt indubitata, communiter reſpondetur à Doctoribus, quòd ſi delinquentes ſunt perſonæ, quæ non poſſunt torqueri ex aliqua rationabili cauſa vel ex privilegio: tunc omiſſa tortura poſſunt in aliquam pœnam extraordinariam Iudicis arbitrio ſecundùm qualitatem perſonarum, & delictorum condemnari; quia eſſet valdè Reipublicæ pernitioſum hominem ad torturam ſufficienter indiciatum impunitum relinquere: Et delicta de raró poſſunt puniri; quia de raró poſſunt plenè probari, & eſt rationi conforme, ut qui invenitur aliquo modo Reus, aliqua etiam pœna condemnetur. Tria autem concurrere debent, ut ſit locus dictæ pœnæ extraordinariæ. Primum, ut conſtet, quòd Reus non poſſit torqueri, ut ſeptuagenarius, infirmus, vel privilegiatus &c. Secundum, quòd delictum ſit de illis, pro quibus delinquentes non debent condemnari ad pœnam corporalem, ſi delictum ſit plenè probatum, vel torqueri ſi tantùm ſemiplenè, & tandem, ut veriſimile ſit, non poſſe haberi alias probationes; quia ſi eſt dubium, quòd alia indicia haberi poſſint, & delictum plenè probari, durante tali ſpe eſt ſuperſedendum, & non deveniendum ad pœnam extraordinariam. *Gomez. tom.* 3. *c.* 12. *n.* 16. *Guaz. def.* 30. *c.* 41. *in fine.*

§. 2. Iudices verò Regulares non habentes in uſu torturam per quam purgantur indicia, & ſemiplenæ probationes, poſſunt in tali caſu pœna extraordinaria delinquentes punire. *Gomez. ibid. n.* 13. *Ghisl. de Iudic. Regul. c.* 181. *n.* 11. *Bertaz. in pract. crim. tit.* 17. *c.* 5. *n.* 11. Et licèt in noſtro modo procedendi *in* 4. *ſubſtant. n. mihi*

n. mihi 159. in fine dicatur. Si indicia reſultantia non fuerint per ſuas defenſiones eliſa, itàut remaneat adhuc delictum ſemiplenè probatum erit tormentis ſubjiciendus &c. quia tamen, hoc textu non obſtante, talis tortura apud nos non eſt uſu recepta, niſi forſitan in graviſſimis, & atrociſſimis delictis, poſſunt noſtri Iudices omiſſa tortura, ad pœnam extraordinariam devenire. Apud verò Sæculares ſi Indiciati ſint habiles ad torturam, & Iudex facta omni diligentia, non poſſit ultra inquirere, & probare plenè delictum, debet Reo aſſignare ſuas defenſiones cum copia repertorum, ſeù indiciorum contra eum ex proceſſu reſultantium, quæ ſi per defenſiones non remanent penitùs evacuata, ſed tantùm debilitata, itàut torturæ locus relictus non ſit, tunc Reus abſolvendus eſt cum clauſula *Rebus ſic ſtantibus*. Si verò indicia, & probationes non fuerint evacuata, nec debilitata; tunc Iudex debet Reum omninò torquere; quia hoc torturæ remedium in Iure ſtatutum eſt ad veritatem extorquendam, *l. edictum ff. de queſt. Farin. q. 36. n. 219. & q. 88. nu. 66.*, ubi teſtatur de communi, & uſitata opinione; & ſic non erit in ejus arbitrio vel Reum torquere, vel in pœnam ordinariam punire, cùm ex officio teneatur, quamdiù veritatem non eſt aſſecutus, eam mediis omnibus licitis, & à Iure ſtatutis indagare, ut judicium magis veritati conforme proferre poſſit, & Iudex, qui Reum non torſit, quem de Iure torquere debebat, extraordinariè eſt puniendus. *Farin. q. 37. n. 148. Ambroſ. lib. 4. c. 14.* Et licèt indicia ad torturam ſint arbitraria, nec poſſit in hoc dari certa regula in criminalibus, ut aiunt Doctores; hoc tamen eſt verum, quando agitur de indiciis facti, nempè, ſi ex deductis in proceſſu reſultat indicium ad torturam nec ne? non autem de indiciis Iuris, & poſtquam fuerit aliquod indicium probatum: videlicèt, quia adeſſet unus teſtis omni exceptione major de veritate deponens, vel quid ſimile; quia tunc non erit in arbitrio Iudicis, ſed tenetur Reum torquere. *Rimin. Iun. conſ. 361. nu. 53. cum aliis ab eo citatis. Guaz. def. 30. c. 4. n. 11.* Et quòd dico de Sæcularibus, verificatur etiam de Religioſis torturam in uſu habentibus.

§. 3. Et quando delictum eſt probatum per indicia indubitata provenientia ex præſumptione Iuris, & de Iure, quæ ſunt præſumptiones à lege approbatæ, quando, ſcilicèt, in cauſa criminali lex præſumit, & ſuper præſumpto diſponit, tunc Iudex debet omninò procedere ad condemnationem, etiam ad pœnam ordinariam. *Gomez. de delictis. cap. 12. n. 26. Clar. q. 20. n. 7. Farin. q. 88. n. 52.* Quæ condemnatio non fit propter indicia indubitata, ſed propter legis diſpoſitionem: nam præſumptio Iuris, & de Iure tranſit in ſtatum legis. *Bald. in l. ſive poſſidentis. n. 6. C. de probat.* Neque retinet ampliùs indicij nomen, quia non conjecturalis, ſed certa dicitur probatio. Undè non eſt dubium, quòd quando præſumptio eſt Iuris, & de Iure Iudex debet procedere ad pœnam ordinariam. Tota difficultas eſt circa præſumptionem hominis. Barb. *in p. 1. lib. 2. ff. ſolut. Matrim.* dicit eſſe magis de mente leg. Final. quòd indicia indubitata illa dicantur, quæ ſunt ità violenta, & indubitata, ut Iudex aliud credere non poſſit, quamvis per legem ſpecialiter non inveniantur approbata, itàut hæc ſufficiant etiam ad condemnationem in cauſis criminalibus, cùm indicium indubitatum ſit propriè præſumptio fortiter movens Iudicis animum ad aliquid credendum, vel non. *l. cum probat. ff. de probat. Maſcar. de probat.*

bat. lib. 1. *q.* 15. *n.* 11. *Menoch. de præſumpt. lib.* 1. *q.* 7. *num.* 16. Vel ut alij definiunt, eſt illud, quod adeò arctat mentem Iudicis, ità ut omninò credat, nec poſſit in contrarium inclinare. *Bal. Bajar. Farin. q.* 36. *n.* 36. Vel eſt demonſtratio rei per ſigna ſufficientia, per quæ animus in aliquo tanquam in vero exiſtente quieſcit, & plus inveſtigare non curat; quia non poteſt credere aliter rem ſe habere. *Farin. ibid. n.* 37. Et licèt Iudex poſſit falli in judicandis indicijs indubitatis; nihilominùs quia in rebus humanis probandis non requiritur certitudo evidentiæ, ſed ſufficit certitudo fidei ad terminandum noſtrum intellectum, ſcilicèt, ut Iudex credat indubitatè ità rem geſtam fuiſſe, & fidem adhibeat prædictis probationibus, poteſt ſequi condemnatio in pœnam ordinariam, eò modo quo ſequitur, quando delictum probatur per duos teſtes omni exceptione majores, licèt poſſit dubitari, utrum illi falsò, vel verè depoſuerint.

§. 4. Difficultas modo eſt, An ex indicijs indubitatis Religioſus Iudex poſſit Reum pœna ordinaria condemnare, an potiùs debeat torqueri, vel extraordinariè puniri? In qua difficultate variæ extant opiniones; ego verò hîc tantùm duas adducam, quæ magis rationi, & juſtitiæ mihi conſentaneæ videntur. Prima eſt, quòd in arbitrio Iudicis ſit vel Reum condemnare in pœnam extraordinariam, vel illum torquere. *Gram. deciſ.* 42. *Clar. q.* 21. *n.* 40. *Menoch. lib.* 1. *c.* 92. *num.* 2. *& ſeqq. Ciarlin. controv.* 12. *n.* 13. Secunda opinio regulat hoc arbitrium, & dicit, quòd ſi Iudex videt Reum robuſtum, vel talem, qui facilè ſpreta tortura eam ſuſtinebit, vel quòd parvi facit tormenta, aut veriſimiliter credit nihil dicturum, poteſt illum condemnare in pœnam extraordinariam omiſſa tortura. *Farin. q.* 86. *n.* 58. 64. 66. *& conſ.* 82. *n.* 4. *Clar. q.* 64. *verſ. Illata tortura*. Regulariter tamen, & maximè quando Iudex non ſolùm Ordinarius, ſed etiam Magiſtratus Supremus habet hæſitationem virtualem, vel actualem, debet ſequi primam, vel potiùs ſecundam opinionem, & nunquam Reum in pœnam ordinariam condemnare. Si autem veriſimiliter credit Reum in tortura dicturum veritatem, cauſa debet expediri per torturam (quando eſt in uſu,) cum clauſula citra præjudicium probatorum, quæ tortura debet eſſe gravior illa, quæ ex indicijs indubitatis inferri ſolet: & tunc ſi eſt negativus, debet Iudex minuere pœnam ſecundùm rationem tormentorum, & qualitatem indiciorum, ut aſſerunt ſupracitati Doctores; nam debet eſſe levior illa, qua fuiſſet punitus omiſſa tortura. Et in tali caſu Iudex ante torturam debet aſſignare Reo una ſimul cum copia indiciorum, & Conſiliario, tempus ad ſe defendendum, ut in ſequenti Regula fuſiùs explicabimus.

De Tortura Reorum. Regula VIII.

§. 1. SUppoſito, quòd Reus ſit torturæ ſubijciendus, ante omnia Iudici conſtare debet de corpore delicti, ſi eſt facti permanentis, & poſtea illi dicernere ſuas defenſiones cum copia repertorum, & termino ſimul cum Conſiliario ad ſe defendendum, quòd maximè procedit, quando tortura illi infertur ad habendam veritatem, ſecùs autem ſi eſſet torquendus ad habendam præciſam reſponſionem affirmativam, vel negativam, vel ſi Iudici reſpondere nolet, aut quando abſque fun-

damento ſe refert ad id, quod ſcriptum eſt, vel reſpondit per verba dubia *Credo, Neſcio, Non recordor*, de quibus veriſimiliter præſumitur informatus: in talibus enim, & ſimilibus caſibus abſque defenſionibus Iudex devenire poteſt ad torturam. In qua tortura ſi delictum fateatur, condemnari poterit, dummodo ſpontè extra torturam ratificaverit.

§. 2. Si verò indicia contra Reum ex proceſſu reſultantia per ſuas defenſiones, vel per teſtes ab ipſo productos remaneant penitùs evacuata, tunc Reus non eſt torquendus, ſed abſolvendus definitivè, nec poteſt deindè contra eum ex cauſa procedere, etiam ſi nova ſupervenerint indicia. *Clar. q. 57. n. 3. & q. 62. Farin. q. 4. n. 23.* Si autem evacuata non fuerint, itàut Reus remaneat indiciatus, & delictum ſemiplenè probatum extet; tunc vel torquendus erit, vel aliqua pœna extraordinaria plectendus, ut alibi diximus. Quòd ſi tantùm indiciatus remanet, & delictum non ſit ſemiplenè probatum, in tali caſu non poteſt condemnari, nec ſtantibus rebus abſolvi, ut habetur in noſtro modo procedendi *in 3. ſubſt. num. mihi* 115. ſed debent purgari prima indicia contra eum reſultantia per alia indicia contraria, & quando non poſſunt tali modo purgari, purgantur per torturam, quæ tamen non ſit ſæva, putà, per Carcerem, compedes, vel manicas ferreas; per cibi potuſque ſubtractionem, Virgarum, vel diſciplinæ percuſſionem &c. Ad torturam autem funis, ſeù aliorum tormentorum extraordinariorum conſimilium, nunquam deveniatur, niſi in graviſſimis, & attrociſſimis delictis ſemiplenè probatis, & niſi conſulto, & de mandato Reverendiſs. P. Generalis, vel Procuratoris, cùm prædictus P. Generalis fuerit valde diſtans. Sic apud nos ſtatutum remanet ubi ſupra *num. mihi* 116.

§. 3. Quando igitur Iudex ad torturam vult devenire, ſciat, quòd teſtimonium unius ſingularis omni exceptione majoris in exceptis valet ad torquendum, ſecùs autem in non exceptis, in quibus duo teſtes omni exceptione majores requiruntur. Item ex legitimis præcedentibus indicijs, quæ tamen debent eſſe veriſimilia, gravia, & urgentia, certa, & luce meridiana clariora, & talia ut Iudex ſit quaſi certus de delinquente, cujus ſola confeſſio deeſſe videatur: Et ſi talia indicia per alia innocentiæ paria vel etiam in aliquo inferiora ſunt in defenſionibus evacuata, Reus ampliùs torqueri non poteſt ex communi Doctorum ſententia. Sicuti etiam, nec debet Iudex ad torturam devenire, quando Reus eſt confeſſus, vel convictus, niſi ad effectum habendi ulteriorem veritatem, cum proteſtatione citra præjudicium eorum, de quibus eſt legitimè convictus, vel ad habendos complices, vel notitiam aliorum delictorum de quibus ſit ſufficienter indiciatus, & non de illo de quo eſt convictus, cum proteſtatione tamen ſemper *Citra præjudicium*. Et ejus confeſſio emanata, vel confirmata in tortura, & adminiculata, ac ratificata aggravat nominatos ad ſubijciendum tormentis. Et ſi Reus in tali tortura cum prædicta proteſtatione inflicta negaret principale delictum, de quo nulla præcederet Iudicis interrogatio, non impedit, quin nihilominùs damnari poſſit; cùm tortura non ſit ſuper delicto confeſſo, vel convicto. Immò Iudex non debet admittere talem reſponſionem, ſed inſtare, ut reſpondeat ſuper his, de quibus eſt interrogatus, & non ſuper alijs; & faciat ab Actuario ſcribere, quòd talis reſponſio fuit ab ipſo Reo ultrò

prolata,

prolata, & ex ſe ipſo ſine alia interrogatione, cùm ad hoc non fuerit torturæ ſuppoſitus, ſed tantùm pro complicibus, & ſociis, vel pro aliis delictis &c. & hoc debet notari in Actis, nè dicta retractatio præjudicaret probationi, aut confeſſioni.

§. 4. Tortura data pro complicibus, aut aliis delictis, non poteſt excedere ſpatium dimidiæ horæ, & ſi excedit non eſt amplius locus pœnæ ordinariæ, ſed extraordinariæ. *Farin. q. 40. n. 27. & q. 37. nu* 174. Et quamvis contra Reum extarent plura indicia ſufficientia ad torturã, non tamen poteſt inferri tortura pro quolibet indicio, ſed comulatis omnibus indiciis ſuper omnibus debet torqueri juxta delicti gravitatem, ac indiciorum, & perſonarum qualitatem, aut ſemel tantùm, aut bis, aut ter, ſed tribus diebus ſeparatìm, & non ultra, & ſi Iudex proteſtaretur torturam adhibere pro unico indicio, adhuc Reus diceretur tortus ſuper omnibus ex proceſſu reſultantibus. Et ſi Reus in tortura fateretur delictum, & illum extra torturam ratificaret, & poſtea prætenderet allegare errorem dictæ confeſſionis, non eſt ampliùs audiendus. nè in infinitum procedatur, niſi adduxerit aliquam legitimam cauſam erroris, in quo caſu debet audiri, cùm melius ſit in tempore peccare, quàm in ſententia errare, & Iudex debet illi aſſignare terminum brevem ad probandum errorem, & ſi plenè non probabit, condemnabitur abſque ulteriori tortura. Si in tortura vix ſuſpenſus fateretur delictum, & dimiſſus ſtatim negaret, vel nollet ratificare, & iterùm ſurſum ſublatus fateretur, & dimiſſus, etiam negaret, & ſimiliter tertiò elevatus fateretur, & dimiſſus iterùm negaret, & hæ reiterationes torturæ, confeſſiones, & revocationes ſecutæ ſunt eodem die, & hora, & in iſtis tribus vicibus ſtetit Reus in tortura per modicum ſpatium non dicitur ſufficienter tortus, & ſic tortura repeti debet, vel illa tertia vice torqueri, & in ſublimi ſtare per congruum ſpatium temporis juxta qualitatem delicti, delinquentis, & indiciorum; itàut dici poſſit ſufficienter tortus, & tandem ſi perſtiterit in negativa poterit relaxari, vel ex hactenus deductis abſolvi. *Caval. part. 3. n. 232. & 234.*

§. 5. Cumulatio delictorum non fit, ut ſic locum habeat tortura, ubi aliàs non haberet: undè ſi quis commiſit plura delicta, quorum nullus de ſui ipſius natura eſt tale, ut per eum locum habeat tortura, nec omnibus cumulatis locum habere poteſt. Nec minus poteſt Iudex maximè Regularis inferre torturam, ubi pro delicto non imponitur pœna corporalis. *Clar. qu. 64. nu.* 4. quia ut ipſe dicit major pœna Reo non convicto, nec confeſſo inferri debet, quàm eſſet inferrenda ex ipſa condemnatione, ubi eſſet de crimine convictus, vel confeſſus. Et in delictis importantibus pœnam relegationis, & etiam Carcerationis apud nos poteſt inferri tortura; quia æquiparantur pœnæ corporali: immò pœna carcerationis dicitur corporalis, cùm ſit major illa Relegationis. Et in tortura inferenda debet Iudex plura conſiderare, & primò, complexionem, & qualitatem inquiſiti; An, ſcilicèt, ſit debilis, delicatus, robuſtus, ferox, nobilis, civis, vel ruſticus. Secundò, qualitatem, & gravitatem delicti, aut attrocitatem criminis. Tertiò, An Reus ſit Iuvenis, vel Senex; an timidus, vel verſutus, aut infirmus; nam minus ſunt torquendi nobiles, & Doctores, quàm plebei; & minus debiles; quàm robuſti. *Cartar. de inter. reorum c. 4. n.* 112. Quod moderamen verſatur circa tria, nempè, circa qualitatem cauſæ, perſonæ, & tormentorum: Hinc eſt, quòd quando plures Rei ſunt

tor-

torquendi pro eodem delicto, non ſunt torquendi eodem modo, ſed ſecundùm qualitatem perſonarum, & indiciorum. *Guaz. def.* 30. *c.* 4. *n.* 24. Et quando indicia ſunt paria, & qualitas perſonæ facit diverſificare modum torturæ, eſt in Actis explicanda cauſa diverſificationis. Si Reus eſt membro debilitatus, vel ſi exnodationem venæ, aut vulnus in pectore paſſus fuerit, vel habeat difficultatem anhelitus, aut morbum Gallicum, ſeù patiatur rupturam, aut morbum Ernæ, vel quid ſimile torqueri non poteſt, & ſi torqueretur, & confiteretur, ejus confeſſio nihil ei nocebit *Laderch. Imol. conſ.* 183. *n.* 1. *Guaz. ibid. n.* 25. quòd etiam procedit in infirmis, vel aliquo morbo laborantibus. *Guaz. ibid. c.* 16. Sunt etiam alii privilegiati, qui non poſſunt torqueri, de quibus idem Guaz. *c.* 17. Et ſic, qui non poſſunt torqueri, debent condemnari in aliquam pœnam extraordinariam ſecundùm gravitatem criminis, & qualitatem indiciorum. *Gomez. de delict. c.* 13. *n.* 28. Febre quartana laborantes poſſunt torqueri poſt diem febris, leviter tamen, & ſine quaſſatione. *Baiar. q.* 64. *n.* 37. *Guaz. & alij.* Prægnantes pariter torqueri non poſſunt, niſi elapſis quadraginta diebus poſt partum, nec minus lactantes. *Farin. q.* 41. *n.* 82. 40. *&* 80. Minoris ſimiliter quatuordecim annorum etiam completorum torqueri prohibentur. *l. de minore ff. de queſt. Clar. q.* 64. *n.* 20. *Farin. ibid. n.* 16. Et licèt proximus pubertati, hoc eſt ab anno decimo cum dimidio, uſque ad quartum decimum ligari poſſit, non tamen poteſt elevari. *Farin. n.* 107. Item Senex ſeptuagenarius non poteſt torqueri, niſi eſſet valdè robuſtus. *Farin. ibid. n.* 24. *& ſeqq.* Item Surdi, & muti à Nativitate, ac etiam Energumeni. *Farin. loc. cit. n.* 88. *&* 91. *Guaz. def.* 30. *c.* 13.

§. 6 Et licèt plura ſint tormentorum genera, nihilominùs tormentum funis eſt magis, frequentiùſque in uſu; utpotè à Iure communi, & communiter à conſuetudine approbatum, & fit manibus poſt terga ligatis, & ab hoc tormenti genere non receditur, niſi quandò perſona torquenda ob aliquam cauſam illud pati non poteſt, & in attrociſſimis delictis adduntur compedes, ictus, & quaſſationes, & etiam quandoque una tantùm manu ligata infertur; dato impedimento in alia. Et ideò Iudex ante torturam debet interrogare Reum an habeat aliquod impedimentum, ſeù nocumentum in corpore, ſi eſt infirmus, vel debilis &c. ac inducere aliquem peritum, qui recognoſcat an habeat nec nè tale nocumentum in corpore, per quod non ſit illi inferendum tormentum funis. Et modus torturæ debet eſſe ſine læſione corporis, idèſt, ſine fractione carnis, & oſſium. Et cùm funis ſubtilis majorem præbeat dolorem, in delictis ordinarijs caveat Iudex torquere niſi cum fune ordinaria, nec tortura eſt protrahenda quoad Reum, niſi per ſpatium horæ. Et in hac tortura funis dantur quinque gradus.

§. 7. Primus eſt, quando Iudex facit Reum ligari, ſpoliari, & funi aptari, & applicari, itàut nihil deſit, niſi ſola elevatio, quæ dicitur tortura lato modo ſumptà, cùm non corpus, ſed animam affligat; & hoc primò gradu utitur Iudex, quando indicia ſunt levia, & non talia, ut ſufficiant ad plenam torturam. Item utitur cum debilibus, timidis, & delicatis, & confeſſio tali pacto habita dicitur ſpontanea, & non metu tormentorum emanatá. *Clar. q.* 64; undè non indiget ratificatione teſte Farin. qui *in q.* 83. *n.* 61. ubi docet, Iudicis arbitrio ſtandum eſſe, quandò con-

feſſio

feſſio in tali caſu dicatur metu tormentorum emanata, vel è contra, attenta perſonæ timiditate, vel animoſitate, ſagacitate, vel ignavia, & hanc ratificationem laudat Marianus in eodem Farin. *n. 63.* de quacumque confeſſione etiam ſpontanea, ne confeſſus dicere poſſit, ſe metu tormentorum confeſſum fuiſſe: Quòd tamen ab omnibus alijs Doctoribus improbatur, nè Reus offuſcare poſſit ſpontaneam confeſſionem. Secundus gradus eſt, quando quis in altum elevatur, & ibi detinetur per unum Miſerere ad plus, vel minus ſine ulla quaſſatione; & hæc poteſt appellari levis tortura, ad quam Iudex devenire poteſt, quando habet Reum magis ſuſpectum, & contra illum extant indicia plenè probata, ſed non ità propinqua, ut ad graviorem torturam devenire poſſit. Tertius gradus eſt, quando per ſpatium v. g. unius horæ quadrantis quis in altum detinetur ſine quaſſatione; & ad hunc gradum devenire poteſt Iudex, quando indicia ſunt plena, & plenè probata, & delictum non eſt attrox, vel ſi eſt attrox Reus eſt nobilis, ac bonæ conditionis, & famę. Quartus gradus eſt, quando quis diutiùs detinetur in altum per unam, vel duas tertias horæ partes, ſive per dimidiam horam, ſive per integram horam cum una, duabus, vel tribus quaſſationibus, vel ictibus funis; & ad hunc gradum devenire non poteſt Iudex, niſi indicia ſint urgentia, & benę probata, ac Reus ſit robuſtus, crimenque attrox; ut homicidium grave, ſeù furtum magnæ rei, vel ſacræ. Quintus tandem gradus eſt, quando ultra prædicta in quarto gradu adnotata, ad pedes torti ligantur compedes, vel alia pondera, ad quem gradum devenire non poteſt Iudex, niſi in attrociſſimis; ut leſæ majeſtatis, everſionis Status, homicidij enormiſſimi &c. Alij addunt ſextum gradum, nempè torturæ repetitio, quæ tamen eodem die fieri non poteſt.

§. 8. Circa verò talem torturæ repetitionem, ſciendum eſt, quòd quando indicia ad torturam non ſunt urgentiſſima, nec indubitata, & præcipuè quando ſunt remota, & tantùm ſufficientia, Reus ſemel tortus ex iſtis indicijs, ſi negat, non poteſt iterùm torqueri; quia per torturam ſufficienter illatam purgantur omnia indicia tàm pro ſe, quàm pro complicibus, ſed debet abſolvi cum clauſula *Rebus ſic ſtantibus*; & tunc non poteſt ampliùs moleſtari, nec torqueri, niſi quando nova ſuperveniant indicia. Quorum indiciorum copia danda eſt Reo, cum termino ad ſe defendendum, ſicut prius. Et ſi Iudex repeteret torturam indebitè, & Reus in tali repetitione confiteretur delictum, talis confeſſio indebitè extorta non valet, nec confitenti nocet, ut communiter docent Doctores. Et advertat Iudex, quòd quando intendit repetere torturam (quæ tamen repetitio fieri debet non eodem die, ſed ſeparatim interpollatis diebus) in Decreto depoſitionis à tortura, addat, *Illud fieri ſine præjudicio ulterioris repetitionis, & animo continuandi torturam, quatenùs repeti, & continuari debeat.* Si contra Reum diverſæ ſunt receptæ informationes ſuper diverſis delictis, ex quibus veniret pluries torquendus; ſi incipit torqueri, ſuper uno proceſſu, non poteſt deindè torqueri pro alio proceſſu, niſi elapſis 40. diebus numerandis à die primæ præcedentis completæ torturæ.. Et dato, quòd Reus in prima tortura confeſſus ſit crimen de quo fuit interrogatus, ac etiam alia crimina; de quibus jam aderant contra eum compilati proceſſus, & deindè ratificare recuſat, ſi denuò poſitus in ſecunda tortura ſit conſtans, & negativus pro omnibus

bus delictis, non poteſt ampliùs torqueri. Et illata tortura per unum Iudicem etiam incompetentem eſt computanda per ſucceſſorem, niſi tamen prima tortura eſſet ob aliam cauſam illata.

§. *9.* Præter prædictam torturam funis, extant etiam alia tormentorum genera, quibus uti ſolent Iudices ob aliquod impedimentum inferendi tormentum funis. Primum eſt tormentum ſtanghetæ, ſeù taxillorum. Secundum ſibilorum. Tertium Vigiliæ, in quo ſi Reus fuerit poſitus, & ibi detentus per notabile tempus, ut per decem, vel plures horas, minimè tale tormentum eſt repetendum, cum dicatur omnia indicia expurgaſſe ob qualitatem tormenti: Nec Iudex poteſt hoc tempus dividere; quia in diviſione tormenti eſt incipiendum à leviori, & mitiori, & non à longiori, & majori. Quartum eſt tormentum ignis, quo rariſſimè Iudex Regularis uti debet; quia ſi teſte Ambroſino tale tormentum receſſit ab Aula Sæculari, multò magis recedere debet ab Aula Regulari. Alij addunt quintum & ſextum omnibus aliis mitius, nempè Carcer per modum torturæ cum manicis ferreis, & compedibus cum aliis macerationibus ad Iudicis arbitrium, & etiam flagellatione, & iſtæ ultimæ duæ pœnæ à noſtris Iudicibus inferri poſſunt etiam inconſulto P. Generali, vel Procuratori, non autem aliæ ſupraſcriptæ, quæ non poſſunt inferri niſi conſulto, & de mandato ejuſdem P. Generalis, vel Procuratoris, ut ſupra adnotavimus ex noſtro modo procedendi *in 3. ſubſt. n.* 116.

§. 10. Cùmque certum ſit, quòd à Decreto torturæ dari poteſt appellatio non ſolùm ſuper negotio principali, ſed etiam à Decreto torturæ pro reſponſione affirmativa, vel negativa, ſicuti etiam licitum eſt appellare à comminatione torturæ, quando delictum non eſt ſemiplenè probatum, aut non remanet ſemiplenè probatum, poſt datas defenſiones, ut communiter docent Doctores: Ideò conſulitur Iudex, ut non palam Decretum interponat, ſed ſecretò, interimque mandet Reum ad locum torturæ duci, tormentoque applicari, & ſtatim cùm incipit ligari Decretum de torquendo interponere debet, & immediatè torquere, ut ſic ab actu inchoato non poſſit eſſe locus appellationi, cùm detur appellatio ab ipſo actu. Vel eſto jam appellaſſet, Iudex indiciorum gravitatem attendat, qua exiſtente appellationi tamquam frivolæ, & calumnioſæ, non deferat, & in dubio Superiorem conſulat, & debet eſſe expreſsè frivola, ut appellationi non diferatur. Et frivola cenſetur, ſi exiſtentibus legitimis indiciis, ſed datis copiis, ac dato termino cum conſiliario ad purgandum indicia remanent non eliſa, ſeù ſemiplenè probata. *Bajar. q. 64. nu.* 85. Vel quando Reus in appellatione exprimit Cauſam, quæ ex Actis notoriè apparet falſa. Et ſi Iudex interpoſuit Decretum de inferenda tortura in caſu dubio, poteſt tale Decretum revocare, aut debet ſupraſedere in tortura, & expectare quid ſuper appellatione pronunciet Superior, vel Iudex ad quem. Si verò appellatio à Decreto torturæ non eſſet frivola, cùm agatur de damno irreparabili interpoſita appellatione nihil innovandum eſt, & confeſſio extorta pendente appellatione à Decreto torturæ eſſet ipſo Iure nulla debet etiam Iudex in Decreto torturæ exprimere ſummatim omnia indicia & præſumptiones, quibus movetur ad inferendam torturam, *Farin. q.* 38. *nu.* 8. *Guaz. Def.* 30. *c.* 4. *num.* 15.

§. 11. Explicatis ijs, quæ ante Rei torturam ponderanda ſunt, placet hîc ſubjungere, quæ in actu torturæ ſunt à Iudice præ oculis habenda, videlicèt, quomodo Reus ſit in tortura interrogandus: modus, moderamenque ſervandum in eodem torquendo, & tandem ea, quæ ad perſonam complicis, vel ſocij criminis ſpectant. Et quoad primum, caveat Iudex ab interrogatoriis ſuggeſtivis tàm expreſſis, quàm paliatis dum Reus eſt in tormentis, illum interrogando de illis, de quibus in Actis non conſtat. Vel an tale, & tale delictum commiſerit? &c. Sed generaliter tantummodo illum interrogare debet. Si tamen aliqua de delicto in ſpecie præcedant indicia contra aliquam certam perſonam reſultantia, tunc ſine ſuggeſtione in ſpecie poſſet interrogari ſuper illa perſona; & ſuper illo delicto expreſsè, & particulariter. Neque moleſtet illum multitudine interrogatoriorum, ſed ſufficit, ut eum bis, vel ter interroget, ſi veritatem fateri velit. Num aliquis ei mandavit, vel ſocius extiterit, quando, ubi, cum quibus, quomodo, & quis mandavit? Item ſuper indicia, graviora. Et quantum poteſt abſtineat ſe à minis, ſed duobus, vel tribus monitoriis, ut veritatem dicat, ſit contentus.

§. 12. Quoad ſecundum verò de modo tenendo, advertat Iudex, ut tortura funis ſit moderata, ità ut illæſus idem Reus remaneat, debet enim magis ad benignitatem, quàm ad ſeveritatem inclinare, nec ampliùs, quàm per horam ſuper facto principali torqueatur Reus, niſi in attrociſſimis, in quibus paulò longiùs torqueri poteſt, idèſt, uſque ad quintum quadrantem, & non ultra, juxta qualitatem indiciorum, perſonarum, & delicti. Ad habendos verò complices dimidiam horam, vel ad ſummum tertium non excedat quadrantem. Tormentum tamen Vigiliæ in caſibus permiſſis uſque ad quintam decimam horam prolongari poteſt. Habeatque Iudex ad hoc ante ſe horologium pulveris cum ſuis quartis, ut ſciat tempus præciſum detentionis Rei in tortura, & apparere debet in Actis, quando dirigitur ampuleta, & quando finem facit, ac debet teneri in loco abſcondito, ità quòd per Reum videri non poſſit, & faciat notari ab Actuario ſpatium temporis, per quod fuit in tormentis. Et quando Reus ad ſui ipſius petitionem deponitur, vel ob deliquium, vel ob aliquam aliam corporis neceſſitatem, ceſſante tali neceſſitate, iterùm ſublevatur, & etiam ſi ſæpiùs in eadem hora hoc accidat, non dicitur multiplicata tortura, ſed unica reputatur continuatio, præmiſſa tamen proteſtatione, *quod ad illum ſolummodo finem deponi mandavit, animo tamen continuandi*. Tortura dividi poteſt, & tunc in Decreto primæ torturæ addere debet Iudex *ſe velle illum leviter torquere, cum animo ipſum retorquendi, ſi non fuerit confeſſus, in quantum de Iure repeti poteſt tortura. Clar. q. 64. n. 22.* Et ſic debet Iudex pariter in Decreto depoſitionis proteſtare, *totum fieri ſine præjudicio ulterioris repetitionis, ſed animo continuandi torturam*. Nàm quoties Reus Iudicis arbitrio non eſſet ſufficienter tortus, poteſt torturam complere. *Farin. q. 38. nu.* 80. 88. Tria tamen Iudex debet conſiderare in repetitione, & diviſione torturæ, nempè, quòd delictum ſit grave; quòd indicia ſint multum urgentia, & manifeſta; & quòd Reus ſit robuſtus. Et ideò ſi Iudex habet Reum gravatum indiciis, ex quibus poſſit illum per mediam horam torquere, vel per integram horam, & torqueat per mediam horam, deindè faciat Reum deponere, debet Actuarius omnia in Actis ſpecificè adnotare, ut ſuo loco in praxi dicemus.

Et

§. 13. Et tandem quoad ſocium criminis, ſi Reus aliquem nominat, multa advertere debet Iudex. Primum erit ex parte nominantis, An, ſcilicèt, nominans habeat aliquid rancoris, vel odijcum nominato; quia in tali caſu nullam faceret fidem. Secundum ex parte Iudicis; quia non debet illum interrogare de ſocio in particulari, ſed in generali, dummodo tamen delictum ſit tale, quod non poſſit veriſimiliter ſine ſocijs compleri. Si verò Reus diceret, ſe cum ſocio deliquiſſe, & ſocium non nominaret, tunc poteſt cogi, ut illum in ſpecie nominet. Nec minus poteſt Reum torquere ad habendos ſocios, vel complices, niſi habeat legitima indicia, quòd tale delictum fuerit cum ſocijs commiſſum, etiam ſi ſit tale, quod non poterat cum ſocijs compleri, aliàs ſi torqueret etiam cum proteſtatione, tortura Reo inflicta proderit, ſi in negativa perſtiterit *Farin. q. 40. num. 26.* Nec ſimiliter poteſt illum interrogare de alijs criminibus occultis, de quibus infamia, vel indicia legitima non adſint (etiam ſi eſſent ejuſdem ſpeciei delicta) cùm ſint tamen ſeparata, niſi in duobus caſibus in noſtris Statutis expreſſis *in 2. ſubſt. nu. mihi* 101. *&* 102. & alibi adnotatis. Tertium reſpicit confeſſionem Rei, quòd, ſcilicèt, in ſua nominatione nec variet, nec vacillet, ſed perſeveret. Quartum reſpicit perſonam nominatam, videlicèt, An ſit, vel fuerit diffamata; quia ſi eveniret, quòd Reo media ejus confeſſione facta in tormentis eſſent teſtes de auditu, qui audierint nominatum, eſſe de delicto diffamatum, & cum ſocio criminis concurreret teſtis de viſu media infamia, & ſemiplena probatione, Iudex poſſet devenire ad inquiſitionem contra nominatum: & ſi ſit adhibenda tortura Reo pro confirmatione ſuæ confeſſionis, & nominationis adhiberi poteſt, & debet, cùm non ſufficiat prima tortura, in qua Reus eſt confeſſus, & ante torturam eandem confeſſionem ratificare debet. Si Reus in tormentis exiſtens præter interrogata, & ea de quibus eſt in proceſſu indiciatus contra ſe aliqua delicta dixerit non tangentia delictum principale, & de quibus nulla indicia in proceſſu extabant; tali confeſſioni non eſt adhibenda fides, ſed poſt torturam debet à Iudice interrogari; *Quare non interrogatus, ex ſe ipſo prædictam Confeſſionem fecerit?* Et ſi extra torturam tranſacto ſpacio 24 horarum in confeſſione ejuſdem delicti perſiſtat, poteſt Iudex de tali delicto contra confitentem inquirere novum proceſſum formando juxta communem Doctorum ſententiam; quia propria confeſſio in tali caſu ſufficit pro infamia, & illud delictum dicitur notorium Iuris, & Notorietas illa dicitur fictus Accuſator. Et ſi aliquo modo contingeret delictum principale in eodem Iudicio puniri poterit, ac etiam puniri poteſt ſi non contingat delictum principale, dummodo tamen Reus confeſſus habuiſſet terminum defenſivum cum Conſiliario, & non evacuaſſet confeſſionem ſponte factam.

§. 14. Si Reus in tormentis deficiat, Actuarius debet diligenter deſcribere modum deficiendi, & quomodo ab ipſis tormentis deponatur, ac etiam deſcribat aſperſionem aquæ, vel aceti in faciem torti, vel alia remedia adhibita. Signa autem ex quibus dignoſci poteſt Reum verè deficere ſunt primò, Si ex ore ſpumam emittat. Secundò, ſi nimis pallidus fiat. Tertio, ſi nimis ſudet. Quartò, ſi verba proferre non poſſit, & ſimilia. Et tunc Iudex, ut ſciat veritatem deliquij funem quaſſare faciat nares ſulfure vel carta, vel lineis ſucceſſis ſuffumicare, vel adhibeat ali-

quem peritum, qui pulſibus tactis fidem faciat de vero deliquio, & ſic detecta vera ſincope faciat deponere Reum, cum proteſtatione animo repetendi torturam. Si verò fuerit ſimulatum deliquium ad ulteriorem torturam deveniri poterit. Si verò è contra tortus nihil pati in tortura videatur, itàut dubitari poſſit, an habeat aliqua maleficia taciturnitatis, ſeù inſenſibilitatis, tunc Iudex poteſt aſſumere aliud genus tormentorum *Ricciar. dec.* 102. *&* 103. *p.* 1. Vel jubere Reum denudari, & pilos, ac capillos radi; & ſi hoc non ſufficit detur aqua calida in potum, ut evomat maleficia, & etiam fieri ſolent clyſteria ad effectum, ut evacuentur caracteres. Et quia circa torturæ modum, & tempus dari non poteſt certa, & determinata regula, cùm hoc dependeat tùm ex gravitate, vel levitate delicti; tùm ex qualitate indiciorum gravium, vel levium; An ſint plura, vel minora &c. tùm etiam ex qualitate perſonæ torquendæ, An, ſcilicèt, ſit robuſta & fortis, vel debilis, & delicata; An ſenex, vel Iuvenis, ſana vel infirma; Ideò totum hoc negotium tam grave arbitrio, & conſcientiæ Iudicis remittitur, An per unum Miſerere, vel per duos, vel per quartam, vel per tertiam, vel per mediam partem, vel ad ſummum per integram horam in tortura ſit Reus detinendus, & Iudex magis benignitati, quàm attrocitati inclinare debet.

§. 15. Nec erit inutile hîc ſubnectere, quæ poſt torturam ſunt à Iudice attendenda; pro quo ſciendum eſt, quòd Confeſſio facta in tormentis, quantumvis adminiculata, & indicijs gravata non ſufficit ad Reum confeſſum condemnandum, niſi fuerit extra torturam, & carceres à torto ratificata, & juramento firmata: Undè Iudex debet eſſe cautus, ut Reus confeſſus antequam adveniat tempus ratificationis reponatur in loco remoto, ac ſecreto, ubi ab alijs non poſſit inſtrui ad non ratificandum. Et quamvis de conſuetudine talis ratificatio ſine teſtibus fieri poſſit, attamen tutiùs erit ſi teſtes interfuerint, cùm ſit actus maximi præjudicij; nec ſtatim fieri debet, ſed in die ſequenti in eadem hora, qua fuit tortus, & confeſſus juxta tradita in noſtro modo procedendi *in* 3. *ſubſt. num. mihi* 117. Vel in alio ſequenti die, ſi aliquod feſtum interponatur. Si tamen Reus repertus fuerit in fragranti crimine, & fuerit tortus, & confeſſus, tunc in tali caſu non requiritur ratificatio; ſicut nec etiam in illo, qui torquetur in caput alterius, nempè contra ſocios ab eo nominatos, debet tamen confeſſionem ratificare extra torturam, ut poſſit ſocios afficere, quòd maximè procedit, quando agitur de indicio ad torturam, aut ad tranſmittendam inquiſitionem contra nominatum; non autem quando agitur ad inquirendum generaliter; quia talis confeſſio facta in tormentis contra ſocium, & ratificata non ſufficit ad faciendum indicium contra nominatum, ſed requiritur nova tortura ad purgandam infamiam. Quæ ratificatio, ut alibi dictum eſt, requirit juramentum. Et poſteà interrogari debet à Iudice. *An ea, quæ pridie faſſus fuerit in tortura ſint vera, & quòd repetat illa in ſubſtantia, quæ in tortura pro veritate dixit.* Et habita ejus reſponſione Iudex mandet, ut Actuario dictam confeſſionem legat alta, & intelligibili voce. Nec ſufficit confeſsionem factam eſſe in tormentis, & deindè ratificatam, ſed requiritur etiam, quòd ſit probabilis, clara, recta, veriſimilis, ac legitima. Nam confeſsio obſcura, & dubia in favorem confitentium eſt interpretanda.

Ut

§. 16. Ut ergo Reus, qui confeſſus fuit delictum in tortura poſsit condemnari, duo requiruntur primo, ut confeſsio cum juramento ſit ratificata ſine formidine tormentorum, ac in ea perſeveret. Secundò, ut Iudex aſſignet Reo conſiliarium cum termino competenti ad faciendas ſuas defenſiones adverſus ſuam confeſſionem, quòd ſi Reus infra præfixum tempus non propoſuerit, & probaverit exceptiones relevantes, & excul pativas à delicto, nec ullam dilationem petierit, elapſo termino proceditur contra eum ad condemnandum pœna condigna delicto: Nec ſufficit revocare confeſſionem, ſed oportet, ut legitimè infra dictum terminum probet: Si verò in dicto termino conſtare fecerit ſuam innocentiam, vel nullitatem torturæ, & per conſequens invaliditatem confeſſionis, etiamſi pluries ratificata fuiſſet, non poteſt procedi ad condemnationem; quia hujuſmodi confeſſio non nocet. *Farin. q. 83. n. 1.* Si autem Reus recuſaverit ratificare, vel conetur revocare confeſſionem; tunc Iudex poterit illum iterùm torquere, etiamſi alia indicia non ſupervenerint, cùm ex iſta revocatione novum indicium dicatur ſuperventum; non tamen erit torquendus donec fateatur, ſed tantùm uſque ad tertiam vicem computata prima tortura: & hoc quando indicia ſunt multum urgentia, ſecùs verò non; quia tunc ſi in ſecunda tortura fateatur, & deindè ductus ad ratificandum recuſat, non poteſt denuò ampliùs torqueri; quia ſecunda confeſſio indicium diverſi generis non inducit. Si autem nova ſuperveniant indicia diverſi generis, & prioribus evidentiora, tunc poteſt torqueri uſque ad tertiam vicem. Poteſt etiam Iudex repetere torturam, quando Reus eſt ità fortis, ac robuſtus, ut perduraret animo, & corpore in priori tortura; vel quando prima tortura fuit levis, & inſufficiens; aut quandò nondum purgavit indicia; quòd totum pendet ab arbitrio Iudicis.

§. 17. Si Conſiliarius dubitat, quòd in illa prima, vel ſecunda tortura Reus faſſus fuerit, ſtatim poteſt facere proteſtationem in Actis, quòd ſi Reus aliquid faſſus fuerit, id evenıet dolore tormentorum, & per errorem, & idcircò non intendit dictum errorem probare. Et ſi aliqua adminicula, indicia, ſeù cauſas dicti erroris adduxerit, tunc Reus non poteſt iterùm torqueri, ſed eſt ponendus ad largam cum termino competenti ad probandum, & docendum de errore, & cum copia novorum indiciorum. *Farin. q. 38. n. 100. & ſeqq.* ſed ſi non docebit de errore, repetitur tortura. Et quando Iudex intendit repetere torturam, in Decreto depoſitionis à tortura addat. *Illud fieri ſine præjudicio ulterioris repetitionis, & animo continuandi torturam, quatenùs repeti, & continuari poſſit*, ut ſupra adnotavimus. Et ſi Reus tertia vice tortus, rurſus fateatur, & nolit poſteà ratificare confeſſionem, poteſt condemnari in pœnam extraordinariam juxta qualitatem delicti. *Guaz. def. 30. n. 24. in fine*, licèt Farin. ab hoc diſſentiat, ſed talis opinio Farin. non eſt amplectenda, nè delicta impunita remaneant; & non eſt torquendus quarta vice, niſi nova ſuperveniant indicia. Effectus ergo torturæ ſunt, ut Reus in ea perſiſtens ſive negando, ſive confitendo veritatem dixiſſe præſumatur, ac indicia purgaſſe cenſeatur; Quare ſi confitetur, condemnandus eſt; ſi negat eſt abſolvendus: An verò diffinitivè, vel cum Clauſula *Rebus ſic ſtantibus* &c. controvertitur inter Doctores. Certum eſt, quòd cùm apud nos nihil in Statutis de hoc ſtatuatur, arbitrio Iudicis relinquitur, qui debet conſiderare gravitatem tàm indiciorum, quàm

tor-

torturæ, perſonæ, & delicti, & ſecundùm ſuam conſcientiam pronunciare. Quòd ſi abſolvatur cum clauſula *Rebus ſic ſtantibus*, non eſt dubium, quin novis ſupervenientibus indicijs poſſit moleſtari. Si verò diffinitivè, non poteſt ampliùs moleſtari pro illa cauſa. Alter torturæ effectus eſt, quatenùs purgato principali, & abſoluto, etiam complices purgati dicuntur, & ſunt abſolvendi, niſi forſitan præter indicia aliquid contra ſe ipſos confeſſi fuiſſent: tunc enim principali abſoluto *pro Nunc*, complices ex propria confeſſione condemnandi forent.

Forma recuſandi Judicem ſuſpectum. Praxis I.

DUplici modo Reus poteſt allegare Iudicem ſuſpectum, vel oretenus, vel in ſcriptis. Si recuſatio eſt valida debet Iudex incontinenti ſe abſtinere ab omni Iuridica operatione, & in Actis redigere talem recuſationem, ut infra.

§. 1. Die &c. in Conventu &c. Coram Adm. R. P N. &c. vocatus & conſtitutus fuit in camera ſuæ ſolitæ reſidentiæ f. N. de N. ætatis ſuæ annorum, ut dixit . . . Religionis vero . . . . Reus principalis in ſe, & teſtis quoad alios, & declarato ei ſtatu ſuæ cauſæ, præmiſſaque monitione de veritate dicenda, necnon delato juramento, noluit jurare, dicens, & proteſtans ſe non conſentire in Iuriſdictione dicti P. N. &c. cùm ſibi valdè ſuſpectus ſit, & ex graviſſimis cauſis ſibi ſit capitalis inimicus: cumque periculoſum ſit coràm Iudice ſuſpecto cauſam dicere, ideò prefatum P. N. &c. ut ſuſpectum, & inimicum recuſat, & appellat ad P. Generalem &c. Non ſolum hoc &c. ſed & omni meliori modo &c. In quorum fidem &c.

1 Ego f. N. recuſo ut ſupra.
2 Ego f. N. fui præſens &c.
3 Ego f. N. Actuarius.

Si verò præſentat Iudici recuſationem in ſcriptis, ſic erit ſcribendum.

§. 2. Die &c. In Conventu &c. Comparuit perſonaliter coram Adm. R. P. N. &c. f. N. de N. Sacerdos &c. & proteſtans ſe non conſentire in eius Iuriſdictione, porrexit libellum recuſationis, qui incipit &c. & deſinit &c. Dixitque eumdem Patrem ſibi valdè eſſe ſuſpectum, prout in dicto libello ad quem &c. & à P. Commiſſario fuit admiſſus ſi, & in quantum & non aliter, donec reſponſum habeat à Superiore majori, ac interim ſuper hoc nihil aliud innovare decrevit ob reverentiam Iudicis ad Quem &c.

Ità eſt N. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Forma recuſationis cum expreſſione Cauſæ.

§. 3. QUoniam periculoſum eſt coram ſuſpecto Iudice cauſam dicere; idcircò Ego f. N. de N. &c. intendens veſtrum declinare examen, atque Iudicium excipiendo, propono, quòd Paternitas V. eſt mihi valdè ſuſpecta propter talem, & talem Cauſam, ſive Cauſas (*explica*) propter quod Paternitatem V. tamquam perſonam ſuſpectam recuſo, & hoc me offero probaturum coràm Superiore, vel coram Arbitris ad hoc eligendis; prout eligo ex parte mea & nomino P. N.

de

de N. non ſolùm hoc &c. & quatenùs opus ſit, me appello ad P. Generalem. Datum in Conventu &c.

Ego f. N. recuſo, eligo, & appello ut ſupra. Ego f. N. fui præſens.

Alia ſimilis forma.

§. 4. Cùm de Iure naturæ ſit juſta de cauſa ſuſpectorum Iudicum effugere Iudicium, idcircò Coram vobis Adm. R. P. N. &c. compareo Ego f. N. de N. &c. & dico, quod Paternitas V. in hac cauſa, ſeu Cauſis contra me actitatus eſt perſona ſuſpecta, eò quòd ſit nimis familiàris f. N. mihi inimico, vel quia noluiſti audire meum Advocatum; vel quia antequam vocaſtis meam perſonam, votum veſtrum propalaſtis (*& ſic de omni alia cauſa recuſationis*) & hac de cauſa, ſeu his de cauſis recuſo Iudicium veſtrum, & paratus ſum jurare de cauſa, ac ſuſpicione &c. & quatenùs opus ſit in manibus Paternitatis V. Iuro, paratus ad probandam cauſam exceptionis coram Iudice competenti, & ſi eligendi ſint arbitres, paratus ſum eligere, quantum ad me attinet, & de facto eligo P. N. de N. &c. coram quo cauſam meæ propoſitæ exceptionis probare intendo. Salvis aliis exceptionibus mihi de Iure competentibus, omni meliori modo, & non aliter &c. Datum in Conventu &c.

Ego f. N. recuſo, & eligo ut ſupra. Ego f. N. fui præſens.

Alia forma ſine expreſſione Cauſæ.

§. 5. Coram Admodum R. P. N. &c. Comparet f. N. de N. &c. & dicit, quòd P. V. eſt illi perſona valdè ſuſpecta ob graviſſimas cauſas, loco, tempore, & coram Iudice competenti exponendas; & quia periculoſum eſt coram Iudice ſuſpecto litigare, ratio dictat, ut Paternitatem V., ac veſtrum Iudicium recuſet, de qua ſuſpicione paratus eſt jurare, & quatenùs opus ſit in manibus veſtris jurat: ac etiam ſi opus fuerit cauſam hujuſmodi ſuſpicionis probaturum ſe offert, vel coràm Superiore, vel alio Iudice compente. Salvis ſemper aliis exceptionibus ſibi de Iure competentibus, & non aliter, nec alio modo. Datum &c.

Subſcriptiones ut ſupra

Sciendum tamen eſt quòd Iuramentum in prædictis formulis poſitum eſt, non quia de Iure canonico ſit neceſſarium, ſed tantùm de Iure civili requiritur: nam de Iure canonico ſolum requiritur Cauſæ, ſeù Cauſarum expreſſio.

Si cauſa expreſſa in recuſatione erit frivola, vel alia de cauſa Iudex recuſationem admittere noluerit, reijciat illam, ut infra.

Forma reijciendi recuſationem.

§. 6. Die &c. In Conventu &c. Cùm per f. N. de N. &c. præſentatus coram nobis fuerit libellus quidam recuſationis, qui incipit &c. & deſinit &c. ut in Actis, in quo Ego tamquam ſuſpectus Iudex à proſequendo in cauſa, ſeù Cau-

ſis

ſis contra dictum f. N. juridicè actitatis impediebar, omnibus maturè conſideratis, ac perpenſis, tamquam calumnioſis, ac ſine vera, & legitima cauſa nobis indebitè impoſitis, fuit à nobis rejectus tanquam inſubſiſtens, & non continens in ſe niſi cauſas frivolas, atque fruſtatorias; quare hoc, & omni meliori modo ipſum rejicio, & ad terminandum Iudicium proſequor, ſicuti de Iure, & de facto mihi competere videtur. In quorum fidem &c.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Si Reus appellare voluerint à tali Decreto rejectionis procedat ut infra.

Coram &c.

§. 7. Cùm interlocutoria ſententia à Pat. Veſt. Admodum Rev. contra me prolata magis ac magis aggravet, eò quòd ſine legitima cauſa P. V. pronunciavit exceptionem recuſationis à me coram P. V. die . . . &c. propoſitam, non eſſe admittendam: idcircò juſtis de cauſis à me probandis coram Iudice ad Quem, his ſcriptis me appello ad P, Generalem, ac proteſtor de nullitate omnium agendorum, & Apoſtolos peto inſtanter, inſtantiùs, & inſtantiſſimè. Ità hoc, & omni meliori modo &c. Datum &c.

Ego f. N. appello, proteſtor, & peto ut ſupra. Ego f. N. fui præſens.

Si verò recuſatio, & cauſa fuerit legitima admittenda erit, modo quo ſupra in 2. §. deſcripto. Si autem dubia, & Iudex una ſimul cum parte arbitros eligere voluerit, poſt ipſorum nominationem, procedet ut infra.

Forma præfigendi terminum Arbitris ad cauſam ſuſpicionis proſequendam, & terminandam.

§. 8. Cùm certum ſit in cauſa recuſationis propoſita à f.N. de N. dicente me eſſe ſuſpectum, fuiſſe electos in Arbitros ad hanc cauſam ſuſpicionis decidendam: R.P. N. & N. &c. ideò vobis tamquam Arbitris electis terminum aſſignamus, octo dierum ad prædictam cauſam proſequendam, ac terminandam, cum proteſtatione, quòd ſi in dicto termino præfixo non fuerit terminata, in negotio principali juxta Iuris diſpoſitionem me proceſſurum hoc & omni meliori modo. Datum &c. Ità eſt f. N. de N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Facta aſſignatione Arbitris, Arbitri ipſi debent ſtatuere partibus terminum, & poſt ſtatutum terminum partibus ad probandum quidquid intendunt ſuper exceptione recuſationis propoſita, receptis probationibus, & auditis partibus, tandem pronunciare debent ſententiam infra in §. ſubſequenti deſcribendam. Forma autem ſtatuendi terminum erit ſuprascripta mutatis mutandis. Et quia non rarò accidit, quòd Reus prætenſus recuſat, ſeu retardat conſignare arbitris cauſas exceptionis, Iudex poteſt illum compellere ſequenti forma, quæ & ipſa mutatis mutandis erit accommodanda locis, temporibus, & qualitatibus perſonarum pro ut meliùs expedire videbitur, & neceſſitas urgebit.

§. 9. In nomine Domini. Nos f. N. de N. &c. Admod. Ven. Patri N. de N. &c. Quoniam Paternitas tua per quamdã Apocham in duobus quadrantibus folij exaratam,

ratam, quæ incipit &c. & deſinit &c. cum ſubſcriptione &c. coram nobis quaſdam exceptiones propoſuit contra P. N. de N. Commiſſar. in cauſa, & cauſis, prout in noſtris Commiſſorialibus ad quas &c. vicibus noſtris illi collatis, prout in illis &c. a nobis, ut potè primis legitimis, ac competentibus Iudicibus Ordinariis inſtitutum. Illaſque exceptiones, ut Iuris ordine ſervato ſingula fierent (ſi tamen ullum Ius tibi ſuper his de Iure convenire noſcatur, ac citra indebitum quodcumque & cujuſcumque præjudicium Iuris, & facti) coram ipſo recuſato proponendas, ac etiam coram Arbitris intra Provinciam hinc indè eligendis, prout de Iure, probandas, indicimus, opportunè expeditis litteris, quæ poſt titulum incipiunt &c. & deſinunt &c. ſub data N. &c. propria noſtra manu, & conſueto officii noſtri ſigillo ſubſignatis ac munitis: à tergo verò tuomet nomine appoſito tibi directis. Cùmque Paternitas tua uſque in præſens coram præfato Commiſſario noſtro Delegato comparere diſtulerit, undè & actiones Fiſci hucuſque intentatas, ac ulteriùs intentandas plus juſto colluſas, & ex eò, quòd diutiùs quàm pars pręfatæ Cauſæ, ſeù Cauſarum finis protrahatur, non ſine ingenti animi noſtri dolore grave præjudicium tertio per hoc invehi dignoſcamus; hiſce aliiſque juſtis, ac rationabilibus de cauſis animum noſtrum moventibus, auctoritate noſtra ordinaria, ac cæterorum R. R. P. P. Deffinitorii Delegantium in hac parte (quantum ad illos ſpectat) nobis ſpecialiter attributa. Præcipimus tibi in virtute Sanctæ obedientiæ, ac in virtute Spiritus Sancti, *vel* ſub pœna excommunicationis, ac privationis &c., ut intra tres dies ab hoc formali præcepto &c. ex ſpeciali noſtro mandato tibi perſonaliter præſentato computandos, coràm præfato noſtro Commiſſario omninò compareas ad proponendas tuas exceptiones coram Arbitris, ut ſupra, probandas, & ad cætera præſtanda in, & ſuper eiſdem exceptionibus, prout de Iure. Quòd ſi adhuc ultra diſtuleris tranſactis tribus diebus pro competenti termino tibi aſſignatis ex nunc pro tunc proteſtamur, exceptiones tuas ſupradictas omninò fieri deſertas, & quòd per illas nullum tibi Ius acquiſitum, ſeù acquirendum competere in hac cauſa, ſeù Cauſis ampliùs prætendere poſſis. Verum Ius dativum in omnibus, & per omnia integrum, & inviolatum actitandi in poſterum & licitè, & validè juxta ſuæ Commiſſionis tenorem in dicta Cauſa, ſeù Cauſis ipſi Commiſſario noſtro confirmatum eſſe volumus, ac decernimus, non obſtantibus quibuſcumque tuis frivolis proteſtationibus, reclamationibus, dilationibus, tergiverſationibus &c. Sicque vigore præſentis Decreti præcipimus, aſſignamus, proteſtamur, & confirmamus non ſolùm hoc, ſed &c. ad omnem bonum finem, & effectum. Datum in Conventu &c. Ego f. N. &c.

Forma Sententiæ Arbitrum in Cauſa recuſationis.

§. 10. NOs f. f. N. & N. &c. Arbitri electi ab Adm. R. P. N. &c. Iudice Ordinario, *vel* Delegato ex una parte, & à P. N. de N. &c. ex altera parte ſuper propoſita exceptione contra dictum P. N. Iudicem, quæ talis eſt (*hìc inſerenda eſt tota recuſatio de verbo, ad Verbum*) & hinc indè receptis probationibus in termino dato ad hanc cauſam recuſationis terminandam, & omnibus auditis, ac

 maturè

maturè perpenſis, quæ proponere voluerunt coram nobis. Viſis videndis, conſideratis conſiderandis, ſententiamus, definimus, & pronunciamus dictam exceptionem recuſationis eſſe, *vel* non eſſe probatam, eſſe, *vel* non eſſe legitimam, & hoc omni meliori modo. Datum &c. In quorum fidem &c.

Ego f. N. &c. Ego f. N. &c. dicimus, & ſententiamus &c.

Si Iudex recuſatus eſt Delegatus, & habet Collegam, vel Collegas cum clauſula, quòd ſi non ambo &c. vel habeat cauſam Delegatam in ſolidum, tunc ut alibi diximus coràm Collega, vel Collegis probanda eſt exceptio recuſationis. Et libellus recuſationis ſicut formatur in infraſcripto modo, videlicèt. Et cauſam hujuſmodi coram Collega veſtro, vel Conjudicibus veſtris ſe probaturum offert &c. *Sic & ipſi Conjudices, debent formare ſententiam hoc modo nempè.* Dicimus, Definimus, & pronunciamus, quod P.N. Conjudex interveniat in hac Cauſa &c. cum aliis tamquam non ſuſpectus. *Vel* abſtineat ſe à Cauſa, tanquam ſuſpectus. Et ita dicimus &c.

De Forma citandi Reum abſentem. Praxis II.

QUandò Reus eſt abſens, ita quòd Iudex non poſſit illum perſonaliter citare, & interrogare, ſequenti formula uti poterit.

§. 1. In nomine Domini &c. Die &c. In Conventu &c. Nos f. N. de N. &c. Iudex Ordinarius, *vel* Delegatus tenore præſentium mandamus, & expreſsè præcipimus tibi f.N. de N. &c. quatenùs intra ſpatium triginta dierum proximè futurorum ab executione præſentium connumerandorum, quorum decem dies pro primo, alios decem pro ſecundo, ac tandem alios decem pro ultimo, & peremptorio termino aſſignamus ad perſonaliter comparendum coram Nobis ſub pœna confeſſorum criminum, de quibus imputaris, videlicèt, &c. *(hic erunt explicanda dicta crimina)* pro ut in Actis, ad effectum reſpondendi ſuper his, de quibus fueris interrogatus, & allegandi, & deducendi quidquid allegare, & deducere poteris pro tua exculpatione, & defenſione: mandantes hujuſmodi citationem tibi perſonaliter, ſi repertus fueris, præſentari, & intimari; Sin autem ad Cellam tuæ ſolitæ habitationis, & ad valvas Refectorii Conventus N. dimiſſis, & affixis ibidem copiis te ipſum arctare, & afficere, ac ſi perſonaliter, & magis legitimè executa foret. Certificantes te nihilominùs, quòd ſi in dicto termino, & trina, ac Canonica monitione, ac citatione facta tibi non comparueris, tamquam contumacem convictum, ac confeſſum contra te procedemus omni meliori modo &c. In quorum &c.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Facta executione prædictæ citationis vel per Actuarium, vel per alium ſic erit ſcribendum.

§. 2. Fidem facio Ego f. N. &c. Actuarius, qualiter ſupradicta citatio fuit publicata in Conventu N., ac illius copia pariter affixa fuit ad Cellam ſolitæ habitationis prædicti f.N., nec non in valuis Refectorij eiuſdem Monaſterij hac die.. &c.

Ità eſt f.N. Actuarius.

Si citatus comparuerit, mancipetur carceribus, ac tempore debito examinetur:

Et

Et interim Actuarius faciat in Actis conſtare ejus comparitionem modo quo infra.

§. 3. Comparuit f. N. de N. &c. qui fuerat citatus, ut patet per ſupraſcriptam monitionem in Actis regiſtratam, & in carceribus ſe conſtituit paratus obedire mandatis Adm. R. P. N. &c. hac die . . . . &c.

Ità eſt f. N. Actuarius.

Si verò non comparet intra ſpatium aſſignatum, elapſo termino erit formandum Decretum citationis ad audiendam ſententiam.

§. 4. Cùm nos f. N. de N. &c. citaverimus te f. N. &c. prout in Actis apparet ad comparendum perſonaliter coram nobis, & ad reſpondendum ijs, quæ contra te in proceſſu per nos fabricato obijciuntur, & elapſo termino dictæ citationis non comparuiſti, uti contumacem, & inobedientem ad audiendam ſententiam Deffinitivam, quam contra te die . . . . Menſis . . . . &c. ferre, & legere intendimus, te de novo citamus. Ac inſuper te monendo ſive compareas, ſive non, qualiter uti convictum, & confeſſum in pœnas tibi de Iure debitas, pro delicto, de quo contra te conſtat in dicto proceſſu, condemnabimus. Datum in noſtro Conventu &c. die &c.

Ita eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Hæc citatio pariter affigi debet ut ſupra, & Actuarius tenetur facere fidem de dicta affixione modo quo ſupra in ſecundo §. deſcripto. Et ſi citatus non comparet, Iudex procedere debet ad ſententiam deffinitivam, & illum condemnare prout de Iure.

Forma Sententiæ condemnatoriæ erit ſequens.

§. 5. IN nomine Domini. Amen. Chriſti nomine invocato. Nos f. N. de N. Iudex &c. cùm fabricaverimus proceſſum contra f. N. de N. &c. Denunciatum, vel Accuſatum, vel ex officio noſtræ Curiæ fama publica præcedente, & clamoroſa inſinuatione ſubſequente Inquiſitum de eo, & ſuper eo, quod die &c. menſe &c. & Anno &c. tale delictum *(explica)* commiſit, de quo delicto in proceſſu contra eum actitato eſt ſufficienter indiciatus. Et quia ſtante eius fuga non potuimus eum coram nobis perſonaliter citare; idcircò citari, & moneri fecimus in cella ſuæ ſolitæ habitationis, & in valuis Refectorij Conventus N. &c. ut coram nobis compareret ad ſe exculpandum, & defendendum à dicta Denunciatione, *vel* Accuſatione, *vel* Inquiſitione, & ab alijs de quibus eſt inquiſitus, aſſignato ei termino debito, & competenti intra quod, nec ultra illud comparuit, ſed potiùs mandatum noſtrum mediante eius contumacia contempſit, quare ipſum habuimus pro convicto, & confeſſo attenta prædicta contumacia, & inobedientia, undè ipſum ad audiendam ſententiam contra eum publicandam, ac legendam die &c. citari fecimus, prout hæc, & alia in actis hujus Cauſæ pleniùs continentur. Quapropter Chriſti nomine repetito pro tribunali ſedentes, ac ſolum Deum præ oculis habentes, ut de illius vultu noſtrum Iudicium prodeat per hanc noſtram definitivam ſententiam dicimus, pronunciamus, ac ſententiamus dictum f. N. de N. attenta eius contumacia, & inobedientia haberi pro convicto, & confeſſo de prædicto delicto, ac propterà illum condemnamus ad talem, & talem pœnam *(explica)*. Ità ut dies

pœnæ tunc incipiat, quando verè, & realiter à condemnato exequuta fuerit dicta pœna. Sicque dicimus, pronunciamus, ſententiamus, ac condemnamus non ſolùm hoc, ſed & omni meliori modo. Datum in Conv. N. &c. die &c. In quorum fidem.

Ita eſt f. N. de N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Lecta, lata, & publicata fuit prædicta ſententia in Conven. N. &c. die &c. præſentibus, & audientibus infraſcriptis teſtibus adhoc ſpecialiter vocatis &c.

Ita eſt f. N. de N. &c. Ego f. N. fui præſens.
Ego f. N. fui præſens. Ego f. N. Actuarius &c.

De Rei conſtituto. Praxis Tertia.

SI Reus eſt præſens, nec de fuga ſuſpectus, & delictum ſit ſaltem ſemiplenè probatum cum recognitione corporis delicti, ſi eſt facti permanentis Iudex ante omnia illum citare, & vocare debet coràm ſe ad reſpondendum in Iudicio, & ſi eſſet aliqua excommunicatione innodatus, illum in primis abſolvere debet, ut infra.

§. 1. Cum Adm. R. P. N. &c. comperiſſet f. N. de N. &c. reum prætenſum incidiſſe in excommunicationem majorem ob talem, & talem cauſam (*explica*) & cùm non poſſit probare ſe eſſe abſolutum, ad effectum tantummodo adſtandi, & ſe in judicio tuendi, ipſum abſolvit omni meliori modo &c. Datum in Conv. &c.

F. N. N. Iudex &c.

Si verò eſſet de fuga ſuſpectus, tunc in primo loco eſſet carcerandus, & poſteà examinandus. Decretum autem Carcerationis infra ſuo loco deſcribetur.

Forma examinandi Reum in primo Conſtituto.

§. 2. DIe &c. In Conv. &c. Conſtitutus perſonaliter coram Adm. R. P. N. &c. necnon P. N. Aſſiſtente, meque f. N. Actuario f. N. de N. &c. ætatis ſuæ annorum, ut dixit . . . Religionis verò . . . Reus prætenſus principalis in ſe, & teſtis quoad alios in cauſa, & cauſis coram nobis actitatis prout in proceſſu, & declarato illi ſtatu ſuæ Cauſæ in genere, nempè, quòd habeantur in Actis ea, quæ ad ipſum interrogandum Iuridicè ſunt neceſſaria, præmiſſaque monitione, quòd, ſtantibus tot indicijs contra ipſum ex dicto proceſſu reſultantibus in conſcientia ſub pœna peccati mortalis proprium crimen fateri teneatur, ac proptereà delato ei juramento de mera, & integra veritate dicenda, prout juravit tactis ſacris Scripturis, *vel* tacto pectore &c. ad opportunas interrogationes reſpondit ut infra.

Inter. An ſciat cauſam ſuæ vocationis? Et ſuæ carcerationis? *ſi fuerit carceratus. Si* ℟. *Ità P. Iudex ſubdat.* Dictum eſt ei, ut eam narret per extenſum.

Si ℟. non Pater.

Inter. Ubi ſit de familia? *Aut* A quo tempore? Et quo ordinante fuit carceratus?

Inter. An eo tempore, quo fuit de familia in dicto Conventu aliqua rixa acciderit? *Si* ℟. *Ità P. ſubdat pariter Iudex.*

Dictum

Dictum eſt ei, ut enarret per extenſum quidquid ſcit, & quomodo hoc factum acciderit. *Si ℞. ſe neſcire, aut non recordari.*

Int. Si inimicos habeat in illo Conventu, vel in alio, & quos? Quare eſt illi inimicus, & quomodo ſciat illum eſſe inimicum? Quo loco, & quo tempore, & quis aderat, quando illi minatus *vel* injuriatus fuerit? Quænam fuerunt verba comminatoria, & injurioſa? An poſtea reconciliati fuerint? Ex quo tempore? An alijs talis inimicitia nota fuerit, & quibus? An dictus f. N. ſit homo probus? Quare cenſet illum eſſe malignum? An hoc probare poſſit? An cognoſcat f. N? Ex quo tempore? Ubi cœpit illum cognoſcere? qua occaſione. Coràm quibus eſt ultimò illum allocutus, ubi, & qua de re? Si pacifici diſceſſerunt? Quæ verba iracundiæ acciderant inter ipſos? Quid tunc temporis præ manibus habebat? Quis dederat illi facultatem tenendi arma? Quantum temporis illa tenuit? Quis illi dederat arma? Ubi abſconderat illa? Ubi nùnc ſunt? Quæ verba dixit antequam diſcederet ab illo. Item de complice, &c.

Et alia ſimilia interrogatoria faciet ſecundùm qualitatem, & circunſtantias prætenſi delicti juxta ſuæ prudentiæ, conſcientiæ, & juſtitiæ dictamen. Caveat tamen ſemper à ſuggeſtivis &c. Et ſi examen Iudex compl.ere non poſſet ob horæ tarditatem dicat.

Quoniam verò horæ tarditate examen expediri non potuit. Adm. R. P. N. acceptatis &c. examen dimiſit, animo tamen illud continuandi: ac interim relectum confirmavit, & propria manu ſubſcripſit.

Subſcriptiones Rei, Iudicis, Aſſiſtentis, & Actuarij.

Si autem proſequendum ſit examen.

Int. Ubi ſtetit illo die, vel ubi erat illa nocte, in qua dictus f. N. fuit vulneratus? An in tali hora dictæ noctis, vel diei eſſet in Conventu? In quo loco reperiebatur tempore, quo f. N. fuit vulneratus? *Si ℞. neſcire, vel non recordari Iudex poteſt illum interrogare de aliqua re ante commiſſum delictum perpetrata, quòd maximè procedit, quando tempus eſt recens, & non eſt veriſimile non recordari. Tandem ſi Reus eſt pertinax procedat ad monitiones, ut infra.*

Et monitus, ut veritatem dicat; quia non eſt veriſimile non recordari, dum tempus, de quo interrogatur, eſt breve &c. Reſp. &c.

Et iterùm monitus, ut dicat veritatem, & recedat ab obſtinatione, aliàs contra ipſum ad Iuris, & facti remedia devenietur etc. Reſp. etc.

Et tertio monitus, ut dicat veritatem, & eam non neget in præjudicium animæ ſuæ. Reſpondit &c.

Et quia pluries, et pluries benignè monitus à P. N. etc. nunquam voluit præciſè reſpondere, cùmque non ſit veriſimile non poſſe recordari de dicto tempore recenti, ideò ſtante dicta inobedientia, et contumacia abſque præjudicio probatorum, & multò minus indicii reſultantibus ex dicta inobedientia, & contumacia mandavit idem P.N. etc. Reum prætenſum in carcerem recludi, et ibi tantùm pane, et aqua veſci quouſque præciſè reſpondeat, proteſtans, quòd hæc tortura non datur, niſi pro dicta præciſa reſponſione, et non aliter, nec ad alium finem, et ità fuit immediatè

diatè

diatè in hac die, & hora exequutum. Anteà tamen relectum confirmavit, et propria manu ſubſcripſit etc.

Subſcriptiones Rei, Iudicis, Aſſiſtentis, et Actuarii.

Poſtea tranſactis aliquibus diebus, nempè, tribus ad minus fac at ad ſe deduci dictum Reum, ac ipſum interroget ut infra.

§. 3. Die etc. In Conventu etc. et coram eodem P. N. etc. eductus de Carceribus conſtitutuſque iterùm dictus f. N. Reus prætenſus etc. ac delato eidem juramento de veritate dicenda, prout juravit etc. *ut ſupra.*

Int. An tandem reſipiverit, et ſe diſpoſuerit ad liberè meram veritatem fatendam? Aliàs talis pertinacia, inobedientia, et contumacia numerabitur inter alia indicia contra eum, ex proceſſu reſultantia? *Si Reus in negatione perſiſtit, Iudex poſt charitativas monitiones per Actuarium legi faciat Teſtium dicta ſuppreſſis nominibus, itàut Reus per teſtes ſe convictum ille cognoſcat ut infra.*

Tunc Adm. R. P. N. etc. mandavit mihi Actuario infraſcripto legi in faciem ipſius Rei depoſitiones Teſtium ſuppreſſis eorum nominibus, ſicuti de facto lectæ fuerunt poſtea Interrogatus etc.

Et ſi penes Curiam, ſunt arma, quibus Reus v. g. vulneravit, vel alia inſtrumenta ad delictum pertinentia; poſteà ſubdat Iudex.

Quomodo præſumat negare veritatem, de qua ultra teſtes ipſum convincunt arma, cum quibus delictum commiſit? Et ſtatim coram ipſo Reo fecit deferri arma ſupra in proceſſu deſcripta, *vel inſtrumenta* &c. & mandavit, ut exhiberentur in manibus Rei ad ea benè conſideranda, poſteà.

Int. Utrum illa cognoſcat? Et quomodo nunc audeat negare veritatem, ſi adhuc ſanguine vulnerati ſunt aſperſa?

Et ſi perſiſtit in negativa coarguendus eſt ex indicijs quæ contra ipſum ex proceſſu reſultant, v. g. ex odio, inimicitia, minis, præſumptionibus, ex tempore, loco, fuga, fama, & ex alijs indicijs. Et etiam in faciem ipſius Rei poterit confrontare teſtes, ut infra ſuo loco explicabimus.

Et quia dari poteſt caſus, quod Reus nolit reſpondere nec affirmativè, nec negativè, in tali caſu præmiſſis monitionibus, ut ſupra in fine 2. §. deſcriptis, uti poterit ſequenti forma.

§. 4. Et per dictum Adm. R. P. N. &c. monitus, ut pro veritate reſpondeat affirmativè, vel negativè, cumque nolit reſpondere, prædictus Pater mandavit mihi Actuario, ut ſcriberem, & notarem in Actis qualiter ipſe Reus interrogatus non vult reſpondere, prout ego ipſe vidi. Iterùmque monitus ſub pœna commiſſi criminis, ut veritatem dicat noluit reſpondere. Et licèt pluries, & pluries per eumdem P. monitus fuerit ad præcisè, vel ad clariùs reſpondendum ſemper tamen in ſua obſtinatione permanſit. Quapropter videns præfatus Pater, ipſius Rei notoriam pertinaciam, inobedientiam, & contemptum comminatarum pœnarum, reſervato ſibi ſemper, & quandocumque pronunciandi prædictum Reum, eſſe notorium contumacem, & inobedientem, et tanquam talem in pœnam commiſſi criminis, nec non et perjurij incurriſſe, illum pro nunc interrogavit etc.

Si Reus vacillat, vel eſt varius in examine, ſic ſcribat Actuarius.

Tunc

Tunc P. N. etc. mandavit mihi Actuario infraſcripto, ut ſcriberem, et notarem in Actis, qualiter ipſe Reus examinatus *vel* tortus eſt varius et vacillans, et modo dicit unum, videlicèt etc. modo aliud, ſcilicèt etc. et quòd fuit monitus à præfato Iudice, ut dicat puram, et ſimplicem veritatem, et deſinat à tali variatione, et vacillatione, vel dicat cauſam dictæ variationis, aliter de Iure contra ipſum procedet.

Idem dicendum eſt ſi Reus mutat colorem faciei, aut loquitur pavendo, aut trepidando &c. vel alia ſigna notabilia faciendo.

Tunc P. Commiſſarius mandavit mihi Actuario, ut ſcribam quòd dictus P. N. etc. interrogatus in examine mutavit colorem faciei, *vel* quòd loquitur pavendo, *vel* trepidando, *vel* lacrimando etc. prout etiam ego vidi, et obſervavi.

Eodem modo ſcribere faciat ſi dimiſſis oculis, vel in reſpondendo alia ſimilia faciat. Si verò non negat fuiſſe in loco commiſſi delicti eò tempore, quo fuit perpetratum, ſed fatetur, ſic proſequitur.

Int. An ſciat f. N. fuiſſe vulneratum? An cognoſcat dictum vulneratum? A quo tempore? Et quomodo illum cognoſcat? Quis erat ibi præſens? An ſciat quo tempore, et hora fuit vulneratus? Quomodo id ſciat? Qua de cauſa, vel occaſione perrexit ad locum ſupradictum? An fuerit alloquutus cum vulnerato ante vulnerationem? Quænam fuerunt verba cum eo habita? An pacificè diſceſſerit ab ipſo? An audierit dictum vulneratum clamantem? Ubinam tunc temporis erat ipſe, quandò fuit illatum vulnus, et quando vulneratus clamabat? An alij audierint dictum clamorem vulnerati, et qui ſint? Quomodo id ſciat? An ad clamorem vulnerati accurrerit, et locutus fuerit cum illo? Quare non accurrerit? An ſciat famam eſſe contra aliquem de hujuſmodi vulneratione? Quomodo id ſciat? Undè ortum habuerit illa fama? Quare poſt clamorem vulnerati velociter cucurrit, et à loco, in quo f. N. fuit vulneratus diſceſſit. An aliquem obviam habuerit, aut viderit currere? Quare cucurrit? Quid geſtaret in manibus? Quonam ſe receperit? An ipſe dictus f. N. vulneravit?

Si Reus delictum confeſſus fuerit, efficiat Iudex, ut omnes delicti qualitates, & circunſtantias integrè recenſeat, & non interrumpat examen etiam ſi hora prandij, vel cœnæ, vel aliud impedimentum immineret. Et in delictis, in quibus poteſt Iudex de alijs Rei delictis, vel de ſocijs prout ſupra adnotavimus in 3. reg. §. 3. interroget. Et ſic habita à Reo confeſſione deſcribatur ab Actuario hiſce verbis.

Et cùm dictam Confeſſionem audiſſet P. N. etc. ſuperſedit, nec ampliùs pro nunc eum interrogare voluit, animo tamen iterùm, et quoties ſibi viſum fuerit eum examinandi, et mandavit eumdem ſubſcribere dictæ ſuæ depoſitioni. Et relectum confirmavit, et propria manu ſubſcripſit etc.

Subſcriptiones Rei, Iudicis, Aſſiſtentis, & Actuarij.

Vel ſi neſcit ſcribere faciat ſignum Crucis; dicendo. Et cum neſciret ſcribere facit ſignum ✠ factum propria manu.

Si delictum ſit grave, & tale pro quo pœna corporalis ſit imponenda, & ſuſpicetur de fuga Iudex poſt confeſſionem formet Decretum de Carceratione hoc modo.

Et cùm dictam Confeſſionem audiſſet P. N. Iudex etc. in examine ſuperſedit ani-

mo tamen iterùm, et quoties ſibi viſum fuerit ipſum Reum repetendi, et interrogandi. Et quia delictum eſt tale, pro quo pœna corporalis imponitur, præfatus P. N. etc. mandavit prout præſenti Decreto mandat ipſum Reum carceri ad custodiam mancipari, à quo niſi de ipſius mandato amoveri non poſſit. Et juſſit ſe ſubſcribere ſupradictæ depoſitioni prout relectum confirmavit, et propria manu ſubſcripſit etc.

Si verò Reus perſiſtit in negatione ità erit dicendum in fine conſtituti.

Tunc benè, et maturè conſiderata ab Adm. R. P. N. Iudice etc. negatione in conſtituto f. N. perpetrati delicti, de quo ut in proceſſu fuit legitimè interrogatus, et cùm delictum ſit ex gravioribus, pro quo pœna corporis imponitur mandavit etc. ut ſupra.

Vel faciat Decretum ſeparatum à conſtituto, prout in praxi ſequenti.

Ego f. N. Actuarius fidem facio dictum Decretum fuiſſe per me intimatum dicto f. N. Reo, eumque carceri formali mancipatum fuiſſe ad cuſtodiam hac die etc.

Ego f. N. Actuarius.

Si verò delictum eſt tale, pro quo non imponitur pœna corporalis, ità terminatur primum Conſtitutum.

Et cùm dictam Confeſſionem, *vel* negationem audiſſet P. N. Iudex etc. in examine ſuperſedit, animo tamen iterùm, et quoties ſibi viſum fuerit ipſum repetendi, et examinandi ac interim mandavit ſe ſubſcribere, et relectum confirmavit, et propria manu ſubſcripſit, dimiſſuſque fuit cum præcepto Sanctæ obedientiæ de ſilentio tenendo etc.

Subſcriptiones ut ſupra.

Forma ſecundi Conſtituti.

§. 5. Die, loco etc. quibus ſupra, et coram eodem P. N. Iudice etc. nec non P. N. Aſſiſtente, meque Actuario iterùm vocatus, et conſtitutus fuit f. N. de N., *eductus de carceribus, ſi erat carceratus.* Reus principalis in ſe, et teſtis quoad alios in cauſa, et cauſis coràm nobis actitatis, et gravi admonitione præmiſſa, delatoque ei juramento de veritate dicenda ſuper his, de quibus in primo conſtituto interrogatus fuit, et in hoc ſecundo interrogabitur pro ut juravit etc. ad opportunas interrogationes reſpondit ut infra.

Int. An tandem ſe reſipuerit, et ad veritatem fatendam ſe diſpoſuerit ſuper his, de quibus in externo examine fuit interrogatus? An ſciat aliquem vulneratum reperiri in Conventu? An cognoſcat P. P. N. et N. etc. In qua eſtimatione ſint dicti P. P. tàm apud ſe, quàm apud alios etc. *Et alia interrogatoria faciet pro ut ſupra in §. 3. & tandem.*

Int. Quomodo audeat ſtantibus his tergiverſari, *aut* veritatem negare, cùm tot contra ipſum indicia, et manifeſtæ probationes urgeant, ex quibus apertè convincitur, ſe delictum perpetraſſe?

Int. Quomodo poſſit adhuc patratum delictum negare cùm ex tot mendacijs, et variationibus in ſuiſmet reſponſionibus arguatur.

Hic

Hic opponuntur in faciem ipſius ſingula mendacia.

Videns autem P. N. &c. Conſtituti pertinaciam, illum denuò paternè quidem, ſed graviùs monuit, ut à perjurijs, cum gravi Dei offenſa, & animæ ſuæ detrimento abſtineat, cùm tot teſtes, tot indicia, tot conjecturæ, tot præſumptiones illum de ſcelere convincant? Reſp. tremula voce hoc eſt falſum.

Tunc Pater Iudex &c. negotio urgente impeditus, *vel* propter horæ tarditatem, examen pro nunc dimiſit, illud alio tempore continuaturus: Iuſſit tamen priùs legi ipſi Reo depoſitionem, & ab ipſo ſubſcribi; prout relectum confirmavit, & propria manu ſubſcripſit &c. *vel ſi eſt carcerandus.* Et ab ipſo ſubſcribi; quem carceribus mancipari mandavit, ut melius interim de ſua ſalute concipiat, & cogitet de veritate dicenda.

Forma tertij Conſtituti.

§. *6.* Die, & loco quibus ſupra. Poſtquam P. N. Iudex &c. F. N. reum in ſua præſentia, & in camera ſuæ ſolitæ reſidentiæ adductum paternè pariter, & graviter admonuit, ut depoſita pertinacia, & obſtinatione, ſaltem nunc Deo dare gloriam ſtuderet, & confuſus de tot mendacijs facti ſeriem de plano deponeret, ac narraret, nempè &c. Reſpondit negativè.

Int. Quomodo audeat, ſeù præſumat hoc negare, cùm tot indicia, & probationes teſtium contra ipſum in proceſſu extent? Et præcepit legi in faciem ipſius Rei depoſitiones eorum ſuppreſſis nominibus &c. Audis, quid iſte dicat? &c. *& ſic de alijs* &c. Et ſi hoc non eſſet verum, quomodo iſti teſtes talia deponerent? Reſp. mendacium dicunt.

Inter., & monitus, quòd manifeſtè apparet de pertinacia ipſius; quia non ſolum negat delictum à ſe commiſſum; ſed etiam audet viros probos appellare mendaces: Ideò fuit benignè monitus, ut à pertinacia diſcedens, veritatem narret per ordinem, facti ſeriem recenſendo &c. Reſp. Non recordor &c.

Inter. & monitus, ut præciſè reſpondeat ſine dubio, & ſine heſitatione, nec ſe referat ad jam dicta. Reſp. &c.

Inter. & monitus ſub pœna confeſſi criminis, perjurij, & torturæ, ut veritatem de plano dicat? Reſp. &c.

Inter. & iterùm monitus, ut veritatem fateatur, aliàs devenietur adverſus illum ad Iuris, & facti remedia, declarando illum incurriſſe in pœnas comminatas? *Reliqua ut ſupra in* §. 4.

Interrogavit, An adhuc perſiſtere velit in ſua obſtinatione & pertinacia? Reſpondit &c.

Inter. & monitus. ut à tergiverſatione, & obſtinatione diſcedat, & præciſè reſpondeat; Reſpondit &c.

Quibus auditis, Adm. R. P. Iudex &c. dixit f. N. reo, quòd in his caſibus devenitur ad torturam, non pro extorquenda veritate, ſed ſolùm reſponſione affirmativa, vel negativa, & idcircò nullæ dantur defenſiones; cùm pateat, quòd nulla poterit afferri legitima, & evidens excuſatio: Reſpondeat ergo præciſè, ut poſſit

vitare hujuſmodi torturam, & abijciat iſta fatua ſubterfugia, ſciens quòd de illis nulla ratio habebitur. Reſp. &c.

Et licèt pluries præfatus P. N. Iudex ipſum Reum efficaciter; & charitativè monuerit, ſemper tamen ipſe eandem reſponſionem dedit, quæ omnia fuerunt per me Actuarium adnotata.

Undè Adm. R. P. N. &c. viſa pertinacia ipſius Rei nolentis præcisè ad interrogationem reſpondere cùm aliter ab eo dictum reſponſum haberi non poſſet, mandavit adduci ad locum torturæ: & ſic ad locum torturæ adductus, dum ſpoliaretur, & ligaretur, fuit iterùm benignè monitus à P. N. &c. ut ſaltem modo ſe diſponeret ad dandam præciſam reſponſionem &c. aliter ſciat pro certò ſtatim in altum elevandum, & torquendum pro dicta reſponſione. Reſp. &c.

Et videns P. N. etc. ipſum Reum in ſua obſtinatione perſiſtere, mandavit ipſum elevari in altum, ad effectum ſolummodo extorquendi præciſam reſponſionem affirmativam, vel negativam etc. *Reliqua ad torturam ſpectantia, vide infra in ſua praxi.*

Vel ſi non eſſet torturandus, prætermiſſo Decreto ſupra allato de tortura infligenda, Iudex formet aliud Decretum pro defenſionibus, quibus peractis, ſedens pro tribunali pronunciet declaratoriam ſententiam ipſum Reum incurriſſe in pænas comminatas &c.

De Rei incarceratione formali. Praxis Quarta.

Cùm Iudex Regularis ad arreſtationem contra Reum devenire vult, priùs conſideret, an carcerandus ſit ad cuſtodiam, vel ad torturam. Si ad cuſtodiam Decretum erit ſequentis tenoris.

Forma Decreti arreſtationis Rei.

§. 1. DIe etc. in Conventu etc. Cùm uſque modo ex Actis coram Adm. R. P. N. Iudice &c. contra f. N. de N. &c. actitatis extent indicia ſatis urgentia, quibus legitimè ſuſpicari poſſit, prædictum f. N. etc. tale delictum commiſiſſe (*explica.*) Idem Adm. R. P. etc. Iuridicè procedere volens, et veritatem facti habere, mandavit prædictum f. N. arreſtari, & per modum cuſtodiæ ad omnem bonum finem & effectum in carcerem poni. Acta ſunt hæc die, & loco quibus ſupra &c.

Ità eſt f. N. Iudex &c. Ego f. N. Actuarius &c.

Ego f. N. Actuarius fidem facio prædictum Decretum fuiſſe per me præfato f. N. intimatum, et ipſum f. N. in ejus executione carceri formali fuiſſe ad cuſtodiam mancipatum.

Alia ſimilis forma.

§. 2. DIe etc. loco etc. Viſis videndis, conſideratis conſiderandis, ac diligenter perpenſis omnibus Teſtium depoſitionibus, et aliis indiciis, et præſum-

ſumptionibus, quæ contra f. N. etc. inquiſitum, *vel* Denunciatum, vel Accuſatum in proceſſu militant, ex quibus adverſus eundem reſultat ſemiplena, *vel* plena criminis probatio. Inſuper conſiderato, quòd crimen de quo agitur, eſt ejus generis, pro quo pœna corporis imponitur, ac per conſequens de ipſius fuga morali certitudine eſt timendum, præfatus Adm. R. P. Iudex etc. mandavit, prout præſenti Decreto mandat, dictum f. N. etc. capi, et ad cuſtodiam carcerari, à qua carceratione niſi de ipſius mandato liberari poſſit. In quorum fidem etc.

Subſcriptiones, & Relatio ut ſupra

Facta carceratione, Iudex ante omnia debet viſitare habitationem, & perſonam Rei, maximè ſi delictum eſt facti permanentis, & ſi aliqua inveniet inſtrumenta apta ad comprobandum delictum, debet apud ſe retinere, & formam, ac qualitates illorum cum modo inventionis in ſcriptis rediger eſequenti forma.

§. 3. Cùm de mandato Adm. R. P. N. Iudicis etc. fuiſſet carceri mancipatus f. N. de N. etc. acceſſit una mecum Actuario, et teſtibus infraſcriptis ad locum habitationis dicti f. N. etc. carcerati fungi volens ſuo officio, et Cellam ingreſſus (*vel ſi erat clauſa dicat* acceſſit ad cellam, quam reperit clauſam, et juſſit per vim aperiri, qua aperta in eam introivit) et ego cum eo, nec non prædicti teſtes, et cùm eam benè perluſtraſſet, invenit in tali loco hoc, et hoc (*explicentur omnia*) quæ omnia mihi Actuario fuerunt coram prædictis teſtibus conſignata, et cùm ſimiliter mandaſſet, ut perſona præfati f. N. etc. viſitaretur coram prædictis teſtibus inventum eſt apud ipſum hoc, et hoc etc. (*explicetur*). In quorum fidem etc. Acta ſunt hæc in Conventu N. etc. hac die etc.

Subſcriptiones Iudicis, Teſtium, & Actuarij.

Carceratus vel petit audiri, vel non. Si petit audiri, Iudex hoc illi non permittat, niſi tantùm Iudicialiter coram Actuario, & Aſſiſtente, & in forma ſequenti.

§. 4. Die etc. In Conventu etc. Cùm de mandato Adm. R. P. N. Iudicis etc. eſſet in carceribus detentus f. N. de N. etc. et per Carcerum cuſtodem petierit audiri, ejuſque petitioni annuens præfatus Adm. R. P. cum proteſtatione tamen, quòd illum tantùm Iudicialiter audire intendit, eductus de carceribus, ac coràm dicto Admod. R. P. etc. conſtitutus dictus f. N. etc. ætatis ſuæ annorum ut dixit etc. Religionis verò etc. in camera ſuæ ſolitæ reſidentiæ exiſtente, et ad preſentiam mei infraſcripti Actuarii, ac P. N. de N. etc. aſſiſtentis interrogatus, priùs tamen præſtito illi juramento de veritate dicenda, prout Iuravit etc., quid velit dicere, cùm petierit audiri? &c.

Si reſpondit per tergiverſationes, doleatque de ſua carceratione, abſque alia interrogatione remittatur ad carcerem, ſit concludendo.

Et cùm nihil aliud dicere vellet, fuit ad carcerem remiſſus donec etc.

Ità eſt F. N. etc. Ego f. N. fui præſens. Ego f. N. Actuarius.

Si autem veritatem dixerit velle fateri ſciens ſe eſſe carceratum ob tale delictum commiſſum, præbeat ei Iudex facultatem dicendi, & omnia ab ipſo dicta in Actis redigantur ab Actuario: Et ſi confeſſio non eſſet integra, ſed in aliqua parte deficeret, non ſtatim procedat ad interrogatoria, ſed illa dimittat ad aliud examen, & cum finem impoſuerit ſua narrationi.

Int. An velit aliud dicere? *Si reſpondit. Non. Tunc Actuarius claudat confeſſionem, & examen hoc modo.*

Et cùm nihil aliud dicere vellet, fuit remiſſus ad locum ſuum cum monitione, ut veritatem exactè fateatur. Et acceptatis in parte, et partibus ſupraſcriptis, eique lectis ſe ſubſcripſit.

Ego f. N. depoſui ut ſupra. Ego f. N. Iudex etc. Ego f. N. fui præſens.

Si verò Reus carceratus non petit audiri, tranſactis aliquibus diebus poſt Carcerationem, Iudex benè lecto, & conſiderato proceſſu debet illum examinare extra carceres, & ſi eſt prima vices ſic ſcribat Actuarius.

§. 5. Die &c. In Conventu &c. Eductus de Carceribus, & conſtitutus perſonaliter coram Adm. R. P. N. &c. nec non P. N. &c. Aſſiſtente meque Actuario infraſcripto in cella ſolitæ reſidentię prędicti Adm. R. P. N. &c. exiſtentibus f. N. de N. &c. Reus principalis in ſe, & teſtis quoad alios ætatis ſuæ annorum, ut dixit &c. Religionis verò &c. in cauſa & cauſis coram nobis actitatis, delatoque ei juramento de veritate dicenda, prout juravit tactis Sacris Scripturis *vel &c.* ad opportunas interrogationes reſpondit ut infra.

Inter. An ſciat cauſam ſuæ Carcerationis, & præſentis examinis; vel ſaltim illam imaginetur. ℟. Ità Pater.

Inter. Quomodo illam ſciat, vel imaginetur? Ex quo tempore fuit detentus in carcerem? De cujus mandato fuerit carceratus? Quomodo id ſciat? An alias fuerit Inquiſitus, proceſſatus, aut carceratus. A'quo? Qua de cauſa? Et qua pœna punitus? Quo in loco, & quo tempore &c. *Et alia interrogatoria faciet pro ut ſupra in praxi antecedenti §. 2. poſtea concludat Actuarius.* Et relectum confirmavit, ac propria manu ſubſcripſit, Interimque mandavit Adm. R. P. &c. in carcerem iterùm detrudi, animo tamen, & quoties ſibi viſum fuerit ipſum repetendi, & interrogandi &c.

Subſcriptiones Rei, Iudicis, Aſſiſtentis, & Actuarij &c.

Et eodem pariter modo, ut ſupra deſcripto procedet in aliis conſtitutis.

Si autem Rei carceratio ſecuta eſt poſt primum examen deſcriptum in praxi antecedenti. In ſecundo examine poſt incarcerationem faciendo, Actuarius uti debet ſequenti forma.

Die &c. In eodem loco, & coram eodem P. N. &c. Iudice, necnon eodem P. N. Aſſiſtente conſtitutus, & vocatus iterùm f. N. &c. Reus prætenſus extra carceres, delatoque ei juramento de veritate dicenda, prout juravit &c. ad opportunas interrogationes reſpondit ut infra.

Inter. An melius ſit diſpoſitus ad veritatem fatendam &c. *vide ſupra in praxi antecedenti, in §. 5. & 6.*

Si Reus ſtat ſuſpenſus, & Iudex viderit eum velle fateri, non dimittat examen, etiam ſi inſtet prandium, vel ſomnus eum opprimat. Si verò perſiſtit in negatione poterit dimittere examen, ut ſupra adnotavimus. Si erit facienda confrontatio, vel recognitio teſtium forma erit ſequentis tenoris.

De

De Confrontatione Teſtium cum Reo, Praxis Quinta.

§. 1. DIe &c. In Conventu &c. eductus de Carceribus, & perſonaliter conſtitutus coram Adm. R. P. N. &c. ac præfato P. N. Aſſiſtente, meq; Actuario in camera ſolitæ reſidentiæ f. N. de N. &c. reus principalis quoad ſe, & teſtis quoad alios, & delato ei juramento de veritate dicenda, prout juravit &c. ac præmiſſa monitione fuit.

Inter. An tandem melius ſit dipoſitus ad veritatem fatendam ſuper his, de quibus aliàs fuit interrogatus. ℞. etc.

Dictum eſt ei, ut tandem reſipiſcat, et velit veritatem, ſuumque delictum ſincerè fateri, cùm de ipſo in Actis plenè conſtet. ℞?

Monitus graviter, ut caveat à perjurijs, cùm ſit in Actis plenè per teſtes convictus? ℞.

Inter. An habeat inimicos? Quos? Et qua de cauſa? An ſit cum ipſis reconciliatus, et à quo tempore?

Monitus ergo iterùm, ut dicat veritatem, et caveat à perjurio, dum extant teſtes omni exceptione majores, qui de ipſa veritate deponunt?

Et perſiſtendo in negativa mandavit Adm. R. P. N. etc. mihi Actuario, ut ipſi Reo legam Teſtium depoſitiones fideliter prout ſtant, ſuppreſſis tamen nominibus, et illis circunſtantiis, per quas poſſit ipſe Reus venire in cognitionem ipſorum Teſtium, prout ego ipſe omnes, et ſingulas depoſitiones clara voce, et fideliter legi, ipſo Reo præſente, et audiente. Deindè.

Inter. Quid modo dicat, cùm contra prædictos teſtes examinatos uſque modo nihil objecerit, vel ſaltim parum, quòd pro nihilo reputatur.

Tunc Adm. R. P. etc. videns illius pertinaciam, et obſtinationem in negando ea, quæ Teſtes veridici depoſuerunt, et ad illum magis, ac magis de mendacio convincendum, et diſponendum ad veritatem ingenuè fatendam, et ad omnem alium meliorem finem, et effectum, præcepit ipſos teſtes aliàs examinatos ſingillatim vocari. Vocatoque primò f. N. coràm dicto f. N. Reo, ac præſtito eidem juramento de veritate dicenda ipſum Interrogavit. An cognoſcat f. N. hîc præſentem? ℞.

Quo peracto Interrogavit f. N. Conſtitutum. An cognoſcat P. N. de N. hîc præſentem? *(Et ſic de alijs teſtibus)* poſtea.

Inter. f. N. teſtis, An iſte f. N. hîc præſens ſit ille de quo depoſuit in ſuo examine facto die . . . . etc. Denuò.

Inter. Teſtis, An ea, quæ dicto die . . . &c. depoſuit contra f. N. hîc præſentem ſint vera, & per ipſum pro veritate dicta, vellitque ea approbare, & ratificare in faciem eius? ℞.

Tunc dictum eſt ei, ut recenſeat quoad ſubſtantiam ea, quæ depoſuit in dicto ſuo examine?

Si petit, ut ſua prima depoſitio legatur, ſic erit ſcribendum.

Et poſtulante ipſo teſte, ut ſua depoſitio illi legatur præfatus Adm. R. P. &c. legi mandavit, & ei lecta per me Actuarium alta & intelligibili voce de verbo ad verbum,

bum, eaque ab utriſque benè audita, & intellecta, deindè fuit ipſe teſtis.

Inter. An ea, quæ modo legere audivit, ſint illa, quo ipſe in ſuo examine depoſuit, & an ſint vera, & pro veritate dicta, & uti talia approbet, & ratificet in faciem dicti f. N. conſtituti?

Tunc P. Adm. R. &c. converſus ad dictum Conſtitutum eundem interrogavit, quid modo reſpondeat ad prædicta? ℞. &c. Iterùm

Inter. & monitus, quòd manifeſtè apparet de pertinacia ipſius; quia non ſolùm negat delictum à ſe commiſſum, ſed etiam audet virum probum appellare mendacem. Quomodo talem falſarium vocas, ſi tibi confrontatum de facie ad faciem ſuſtinere non potuiſti, et vix aſpicere auſus es pallore, et tremore correptus? Ideò fuit benignè monitus, ut à pertinacia diſcedens, veritatem dicat per ordinem, facti ſeriem recenſendo etc. ℞.

Et replicante f. N. teſte Veritatem dixi, et Reo illud negante, cum unuſquiſque in ſuo dicto perſiſteret, Adm. Rev. P. N. mandavit dictum teſtem removeri à loco examinis, et vocari f. N. etc. alium teſtem, qui cum et ipſe coram eodem Adm. R. P. etc. et præfato f. N. reo fuiſſet conſtitutus, uterque eorum fuit cum juramento. Interrogatus. *Reliqua, ut ſupra.*

Si verò in ipſa die non eſſet facienda alia confrontatio, ſic terminet:

Et cùm uterque in ſuo dicto perſiſteret idem Adm. R. P. N. etc. mandavit f. N. teſtem licentiari, et Reum in locum ſuum reponi, priùs tamen relectum confirmarunt, et propria manu ſubſcripſerunt.

Subſcriptiones Teſtis, Conſtituti Iudicis, Aſſiſtentis, & Actuarij.

Si teſtis confrontatus eſſet etiam ſocius criminis, ſic erit ſcribendum.

§. 2. Et cùm ambo in ſuo dicto perſiſterent. Tunc Adm. R. P. N. etc. ad tollendam quantum fas eſt omnem maculam, et inhabilitatem, quæ contra perſonam, et dicta ipſius f. N. teſtis, et complicis conſiderari poſſint, cùm ſe faciat criminis ſocium, et ad omnem alium bonum finem, et effectum mandavit, prout præſenti Decreto mandat dictum f. N. complicem in conſpectu dicti f. N. Rei, ut magis illum de mendacio convincere poſſit in caput ipſius, et aliorum ab ipſo nominatorum duci ad locum torturæ, ibique ſpoliari, ligari, et funi applicari, cumque ad dictum locum una cum ipſo conſtituto deveniſſet, ſeù adductus fuiſſet in præſentia ejuſdem Conſtituti expoliatus, et funi applicatus, et antequam in altum levaretur fuit per P. Iudicem benignè monitus ad ſimplicem veritatem fatendam, quæ ſola ab ipſo requiritur. Reſp. Iam dixi.

Ad quam veritatem confirmandam, et non aliter Adm. R. P. Iudex mandavit ipſum complicem in altum levari, præſente, vidente, et omnia intelligente ipſo conſtituto, qui ſic elevatus etc.

Inter. An ea, quæ depoſuit contra f. N. hîc præſentem ſint vera, et velit ea confirmare, et ratificare in tortura, ſin minus revocet ea. ℞. ratifico, et confirmo.

Tunc Adm. R. P. Iudex mandavit legi per me Actuarium ad claram amborum intelligentiam ipſius torti depoſitionem de qua ſupra die . . . etc. et per ambos benè auditam, et intellectam, ut aſſeruerunt.

Inter. Idem tortus, An id, quod ei modo lectum fuit, eius ſit depoſitio, et an

ſit

ſit vera, et velit coràm f. N. conſtituto ratificare. Et cùm in tortura per ſpatium unius miſerere ſtetiſſet elevatus, et in ſuæ depoſitionis ratificatione conſtanter in præſentia; et in caput ipſius conſtituti perſeveraſſet. P. N. Iudex etc. mandavit ipſum tortum de tormentis deponi, ſolvi, bracchia reaptari, et reveſtiri, qui ſic depoſitus fuit iterùm monitus per P. Iudicem, ut recenſeret, quæ ſint iſta, quæ dixit, et depoſuit contra ipſum conſtitutum. ℞. etc.

Et ei lectam ejus depoſitionem per me Actuarium approbavit, et ratificavit. Quæ ſic ratificata.

Tunc Adm. R. P. Iudex converſus ad ipſum Conſtitutum illum denuò.

Inter. An modo ſit diſpoſitus ad fatendam ingenuè veritatem, et recedendum à pertinacia, ex quo apertè cognoſcit, quòd eam ampliùs negare non poteſt, niſi mendaciter, cùm teſtis depoſitio ſit in ſua præſentia confirmata in tortura. ℞. etc.

Et cùm uterque in ſuo dicto perſiſteret idem P. Iudex etc. mandavit utrumque reponi in locum ſuum, et relectum confirmarunt, et propria etc.

Vel ſi teſtis ſocius confrontatus eſſet Sæcularis, qui non poſſet torqueri; prætermiſſis ſupra adnotatis ad torturam ſpectantibus, Actuarius, ſic terminet examen.

Et cùm uterq; in ſuo dicto perſiſteret Adm. R. P. Iudex etc. licentiavit dictum Teſtem ſocium etc. et cum ipſo conſtituto examen continuavit, ſed antequam diſcederet relectum confirmavit, et propria manu ſubſcripſit.

Subſcriptiones Teſtis, Iudicis, Aſſiſtentis, & Actuarij.

Et poſtea continuabitur in infraſcripto modo proceſſus.

Quibus auditis præfatus P. Iudex etc. poſtquam licentiavit, et dimiſit N. de N. etc. vocare fecit N. etc. alium teſtem productum in proceſſu, et jam examinatum die . . . . etc. qui cùm adeſſet delato ambobus juramento de veritate dicenda, prout jurarunt etc. *reliqua ut ſupra.*

Facta ſupradicta confrontatione, ſi Reus ipſe eſſet torquendus, ſic erit terminandum examen.

§. 3. Tunc præfatus P. Iudex etc. examen dimiſit, et ipſum Reum conſtitutum mandavit iterùm in carcerem detrudi, et poni ad largam, darique copiam proceſſus, ſine præjudicio tamen ulterioris examinis, cum termino octo dierum ad ſuas defenſiones faciendas, habitis priùs teſtibus pro ritè, et rectè examinatis; Inſuper illi oblatus fuit Conſiliarius ad ſui electionem intra tamen Provinciam, prout præſenti Decreto dictus terminus, et Conſiliarius ab ipſo nominatus, nempè P. N. de N. etc. aſſignantur, non ſolùm hoc, ſed et omni alio meliori modo, antea tamen relectum confirmavit, et propria manu ſubſcripſit etc.

Si Iudex non benè judicat devenire ad formalem torturam, ſed ad aliam mitiorem ad effectum habendi reſponſionem Rei, relicta confrontatione, (ad quam rariſſimè, & ſine gravi neceſſitate inter perſonas Religioſas devenire non debet) aut ſi neceſſitas poſtulat facta dicta confrontatione poſt ultimum conſtitutum, & poſt comminationem pœnarum, uti poterit ſequenti forma.

§. 4. Tunc Adm. R. P. Iudex etc. viſa obſtinatione ipſius Rei nolentis reſpondere, ac notoria pertinacia, & inobedientia, pœnarumq; prædictarum ſibi comminatarum ſpretu, reſervato ſibi Iure, et quandocumque voluerit decernendi, et pro-

nun-

nunciandi ipſum Reum incurriſſe pœnas etc. Iuris ordinem ſervare volens, mandavit ipſum Reum in carcerem detrudi, ibique manicis ferreis, & compedibus conſtringi, nihilque aliud præter panem, & aquam ad victum ſubminiſtrari, donec interrogatis reſpondeat; ſine præjudicio tamen eorum, quæ contra ipſum reſultant in proceſſu, nec non indicij reſultantis ex dicta inobedientia, & contumacia, declarans dictam torturam ad ſolam reſponſionem extorquendam adhiberi. Datum in Conventu &c.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius &c.

Ego f. N. Actuarius fidem facio dictum Decretum fuiſſe per me intimatum dicto f. N., & ipſum fuiſſe cum effectu formali carceri mancipatum, juxta ſeriem, & tenorem dicti Decreti hac die &c. Ego f. N. Actuarius.

Forma recognoſcendi Reum per Teſtes. Praxis Sexta.

QUando teſtes examinati non cognoſcunt Reum de nomine, ſed tantùm de viſu, Iudex ipſum deſcribere faciat per ſigna, & veſtes, & poſtea procedat ad recognitionem perſonæ: quæ recognitio fieri poteſt tàm ante, quàm poſt litis conteſtationem, ſi ſit poſt litem conteſtatam, ut plurimum fieri ſolet præcipuè inter Religioſos, forma erit ſequentis tenoris.

§. 1. Die &c. In Conventu &c. Coram eodem P. Iudice, nec non præfato P. N. Aſſiſtente iterùm vocatus, & conſtitutus perſonaliter idem f.N.&c. reus prætenſus, cui delato juramento de veritate dicenda, prout juravit &c. ad opportunas interrogationes reſpondit ut infra.

Inter. An tandem ſit diſpoſitus ad veritatem fatendam? ℟. &c.

Inter., & monitus, ut caveat à perjurio; quia non deſunt teſtes, qui medio juramento deponunt ipſum tale delictum perpetraſſe? ℟. &c.

Cùmque ipſe Reus perſiſtat in negatione ſe eſſe illum contra quem Teſtes N.& N. depoſuerunt, ad convincendum ipſum Reum de mendacio, & ut veritas magis, ac magis eluceſcat, atque ad omnem alium majorem finem & effectum Adm. R. P. Iudex mandavit vocari alios Fratres, qui Reo ætate ſtatura, effigie, & habitu quoad fieri poteſt magis ſint ſimiles, & cum eodem Reo proprio conſueto habitu induto, & ſine aliquo ligamine *(vel ſi erat carceratus)* in ordine collocari, nimirum N.N. & N. quibus comparentibus, & in ordine collocatis, ipſoque reo ſecundùm locum tenente, mandavit ad eorum faciem vocari f. N. teſtem contra dictum f. N. reum, deponentem, & delato ſibi in ipſorum faciem juramento de veritate dicenda, prout juravit &c. fuit.

Inter. An inter hos, quos coram ſe ſtantes videt, adſit ille, de quo ipſe depoſuit in ſuo examine, ſe eum tantùm de viſu cognoſcere? ℟. Ità.

Dictum eſt ei, ut ipſum indicet, & tangat propriis manibus, qui tetigit illum dicens. Iſte eſt ille, de quo depoſui.

Qua recognitione facta, & à Iudice licentiatis ijs, inter quos ipſe Reus fuerat ad ipſum recognoſcendum poſitus, & teſte ſimiliter de mandato ipſius P.Iudicis paulu-lum recedente, eumdem Reum Inter., An cognoſcat illum, à quo ipſe modo recognitus fuit? ℟. &c.

Inter.,

Inter., & monitus, ut ſe diſponat ad dicendam veritatem, quam amplius celare non poteſt, & caveat a perjurio in præjudicium animæ ſuæ. ℞. &c.

Inter. Quid dices, quando ipſe teſtis iterùm in tuam præſentiam adductu te convincat de mendacio, & perjurio? ℞. &c.

Tunc Adm. R. P. Iudex ad convincendum ipſum Reum de mendacio, & perjurio, ipſumque diſponendum ad veritatem dicendam, mandavit in ejus faciem rurſus adduci eundem teſtem, qui ipſum recognovit, qui adductus, et iterùm delato ei juramento de veritate dicenda in faciem ipſius Rei, prout juravit etc. factaque inter ipſos mutua recognitione perſonarum fuit per Adm. R. P. Iudicem.

Inter. An ea, quæ ſupra depoſuit in ſuo examine contra f. N. &c. hîc præſentem ſint vera, & ab ipſo pro veritate dicta, eaque ut talia velit approbare, et ratificare in eius faciem. ℞. etc.

His auditis Adm. R. P. Iudex mandavit mihi Actuario legere integram depoſitionem ejuſdem f. N. teſtis in faciem Rei; qua lecta Teſtis ipſe fuit denuò per P. Iudicem.

Inter. An illa ſit ſua depoſitio, et an velit ipſam ratificare, vel revocare. Reſp.

Tunc P. Iudex etc. converſus ad f. N. Reum, eundem interrogavit, quid modò reſpondeat ad prædicta? Reſp. etc.

Et cùm ambo in ſuo dicto perſiſtant, tunc Iudex tarditate horæ præventus, *vel* aliis præoccupatus negotii examen dimiſit, et mandavit ipſum Reum ad locum ſuum reponi animo tamen, et quoties ſibi viſum fuerit ipſum repetendi etc. Antea tamen relectum confirmarunt, et propria manu ſubſcripſerunt. *Subſcriptiones ſolitæ. Reliqua autem vide ſupra in praxi antecedenti.*

Si verò recognitio ſit facienda ante litis conteſtationem forma erit ſequens.

§. 2. Die etc. In Conventu etc. Videns, ac benè conſiderans Adm. R. P. Iudex etc. quòd ſupraſcripta deſcriptio effigiei ætatis, ſtaturæ, et habitus facta à f. N. teſte, omninò convenit, f. N. de N., mandavit ipſum f. N. poni inter tres, vel quatuor alios Religioſos, qui ei, quoad fieri poteſt ſint ſimiles in ſtatura, ætate, effigie, et habitu, quo peracto iterùm vocari fecit dictum f. N. teſtem, delatoque ei juramento de veritate dicenda, prout juravit ad opportunas interrogationes reſp. ut infra.

Inter. An inter iſtos ad ſui præſentiam poſitos, reperiatur ille, de quo dixit in ſua depoſitione, ſe eum tantum cognoſcere de viſu? Reſp.

Dictum eſt ei, ut ipſum tangat propriis manibus, et tacto illo dixit etc.

Qua recognitione facta, et à P. Iudice licentiatis jis, qui cum recognito poſiti fuerant, ipſum f. N. recognitum coram ſe, et infraſcriptum P. N. Aſſiſtentem, meque Actuarium perſonaliter tamquam Reum prætenſum conſtituit ætatis ſuæ annorum ut dixit etc. Religionis verò etc. delatoque ei juramento de veritate dicenda, præmiſſaque monitione, nec non declarato ei in genere ſtatu ſuæ cauſæ, prout juravit etc. ad opportunas interrogationes reſpondit ut infra.

Interrogationes erunt faciendæ pro qualitate delicti imputati, & juxta formam ſupra deſcriptam in praxibus antecedentibus &c.

Forma Compoſitionis Rei cum Fiſco. Praxis Septima.

QUando Reus non eſt convictus, nec confeſſus, & ſupplicat pro compoſitione, talis compoſitio, & ſupplicatio debet admitti à Iudice Regulari, cujus formula eſt ſequens.

§. 1. Ego f. N. de N. &c. reperiens me proceſſatum apud P. V. Adm. R. de tali, *vel* de talibus criminibus (*explica*) licèt innocens, & immunis ſim ab ipſo, *vel* ab ipſis criminibus; nihilominùs conſiderans me ad Religionem veniſſe non ad lites fovendas, ſed ad proprias deflendo culpas, & ad Chriſti Domini Crucem bajulandam. Ut igitur ab omnibus inquietudinibus, & litium vexationibus me redimar, atque ad omnem alium meliorem finem, & effectum ſuppliciter exoro, ac humillimè deprecor Pat. V. Adm. Rev., ut velit ſupradicto proceſſui finem facere, & huic Cauſæ perpetuum ſilentium imponere, nec ulteriùs procedere, liberè, ſpontè, ac totaliter me ſubmittens pro amore Dei ad illam pœnitentiam exequendam, quam P. V. dignabitur mihi aſſignare: *Vel* me offerens pro Dei amore, & animi mei quiete ad trium annorum utriuſque vocis privationem: *Vel* ad exilium à Provincia per biennium &c. quod totum per gratiam profiteor me recepturum. Datum in Conventu N. hac die &c. Ego f. N. ſupplico ut ſupra &c.

Porrecta, & acceptata dicta ſupplicatione Actuarius ſcribat ut infra.

Die &c. In Conventu &c. perſonaliter comparuit f. N. de N. &c. coram Adm. R. P. N. Iudice &c. ac illi præſentavit quamdam ſupplicem cedulam, quæ incipit Ego f. &c. & deſinit, ſupplico ut ſupra qua mediante petit compoſitionem cum fiſco. Cui ſupplicationi, & compoſitioni annuens præfatus Adm. R. P. eam admiſit ſi, & in quantum, ac mandavit eam inſeri in Actis præſentis Cauſæ ſicuti de facto inſerta fuit per me Actuarium infraſcriptum &c.

Ego f. N. Actuarius.

Forma Decreti Compoſitionis.

§. 2. NOs f. N. de N. Iudex &c. Attenta ſupplicatione nobis exhibita per F. N. de N. Reum prætenſum in Cauſa, & Cauſis coram nobis actitatis prout in proceſſu &c. Ut eius, ac Religionis (quantum in Domino poſſumus) quieti, paci, bonoque proſpiciamus, aliiſque rationabilibus de cauſis animum noſtrum moventibus, prædicti f. N. ſupplicationibus inclinati, virtute præſentis Decreti, Compoſitionem, quam antedictus f. N. ex ſe liberè, & ſpontè per ſuam porrectam in ſcriptis ſupplicationem cum Regulari noſtra Curia expoſtulat, & offert, admittimus, & acceptamus, ea, ſcilicèt, lege, ut per tres annos privatus exiſtat utraque voce: *vel* biennio exulet ab hac ſua Provincia N., & in Provincia N. relegatus permaneat, vel per annum formalibus carceribus mancipetur à die hujus lati Decreti computandum &c. *vel* &c. Et ſic prædictæ Cauſæ, ſive Cauſis finem imponimus, ac perpetuum ſilentium indicimus; itàut ſupra præmiſſis ampliùs non debeat, nec moleſtari valeat. Sicque dicimus, acceptamus, & decernimus non ſolùm hoc, ſed

& omni meliori modo. Datum Ità eſt f. N. de N. Iudex &c. Ego f. N. cum gratiarum actione ſupradictum Decretum accepto. Ego f. N. fui præſens. Ego F. N. fui præſens. Ego f. N. Actuarius &c.

Præparatoria ad Torturam. Praxis Octava.

Determinato quòd Reus ſit torquendus, affligendus, vel verberandus pro habenda veritate mediante eius confeſſione in tormentis, Iudex debet devenire ad rigoroſum examen, ut infra.

§. 1. Cùm ex hucuſque actitatis contra f. N. de N. reum prætenſum de tali crimine (*explica*) gravia emergant indicia, præſumptiones, & probationes urgentes, quibus veriſimiliter eum commiſiſſe tale delictum credi poſſit: ipſe autem interrogatus negaverit; volens Adm. R. P. Iudex &c. Iuris ordinem ſervare, eundem in rigoroſo examine conſtituere decrevit. Quapropter hac die . . &c. in Conventu etc. et coram ſe, nec non eodem P. N. Aſſiſtente iterùm eductus de carceribus, et conſtitutus idem f. N. Reus principalis in ſe, et teſtis quoad alios, præmiſſa per eundem P. Iudicem gravi admonitione, delatoque ei juramento de veritate dicenda ſuper his, de quibus in alijs conſtitutis fuit interrogatus, et in hoc interrogabitur, prout juravit etc. ad opportunas interrogationes reſpondit ut infra.

Inter. An tandem ſe diſpoſuerit ad veritatem dicendam ſuper his, de quibus in alijs conſtitutis fuit interrogatus? ℞. etc.

Inter. Qua fronte negare poſſit ſe tale delictum non commiſiſſe cùm tot indicia, et probationes contra ipſum in proceſſu extent? ℞.

Tunc epilogantur omnia indicia, quæ in proceſſu contra ipſum reſultant, ut ex his validiſsimè coarguatur, & ab Actuario ſcribi debent, poſteà.

Inter. Quomodo audeat ſtantibus his tergiverſari, aut veritatem negare, cùm præter prædicta indicia, tot contra ipſum urgeant probationes, ex quibus manifeſtè convincitur delictum perpetraſſe?

Hìc pariter legantur depoſitiones teſtium ſuppreſſis eorum nominibus. ℞.

Inter. Quomodo poſſit adhuc patratum delictum negare, cùm ex tot mendacijs, et variationibus in ſuiſmet reſponſionibus arguatur?

Hìc ſimiliter opponantur in faciem ipſius ſingula mendacia. ℞.

Tunc præfatus Adm. R. P. Iudex etc. acceptatis etc. examen dimiſit, et mandavit dictum f. N. Reum conſtitutum iterùm recludi in carcerem, volens de Iure procedere, et contra ipſum ad Iuris, et facti remedia devenire. Quia tamen tortura infligi non debet, niſi priùs conceſſis defenſionibus; ideò hoc ſuo præſenti Decreto mandat indulgeri dicto f. N. reo terminum trium dierum ad producendum quæcunque monumenta, et probationes, quibus ſe innocentem oſtendere poſſit in delato crimine contra ipſum, et ad elidenda indicia contra ipſum allata, et copiam actorum ſibi dari ſuppreſſis nominibus teſtium, ſine præjudicio tamen ulterioris proceſſus, et examinis. Et inſuper ei oblatus eſt Conſiliarius intra Provinciam, qui elegit P. N. de N. etc. prout præſenti Decreto dictus terminus trium dierum, et

dictus P. Conſiliarius aſſignatur hoc et omni meliori modo. Et relectum confirmavit, et propria manu ſubſcripſit etc.

Solitæ ſubſcriptiones.

Si Decretum prædictum erit formandum ſeparatum à conſtituto, forma erit ſequens.

§. 2. Volens Adm. R P. Iudex etc. de jure procedere in hac Cauſa tam gravi, et Rei indemnitati conſulere, antequam contra ipſum ad torturam deveniat ſine præjudicio tamen ulterioris proceſſus, et examinis, decrevit, prout præſenti Decreto decernit cum copia Actorum ſuppreſſis nominibus teſtium, concedere prædicto f. N. reo ſpatium trium dierum ad faciendas ſuas defenſiones, et illi aſſignare in Conſiliarium, ſi ipſi placuerit, P. N. de N. etc. Datum etc.

Ità eſt f. N. Iudex etc. Ego f. N. Actuarius.

Forma intimationis dicti Decreti.

ET cùm per me Actuarium fuiſſet prædictum Decretum intimatum f. N. reo acceptavit terminum, defenſiones, et Conſiliarium etc. *Vel ſi renuntiat.*

Et cùm per me Actuarium etc. gratias agens dixit ſe renuntiare omnibus ſibi ſpectantibus, et competentibus defenſionibus, et poſtulavit ſe remitti pietati P. N. Iudicis, et in fidem ſe ſubſcripſit.

Ego f. N. acceptavi, *vel* renuntiavi etc. Ego f. N. Actuarius.

Si terminus trium dierum eſſet brevis, Conſiliarius poteſt petere prorogationem dicti termini in ſequenti forma.

§. 3. Coram Adm. R. P. N. etc. comparet f. N. etc. Conſiliarius f. N. Rei prætenſi, et petit, ut terminum trium dierum ſuo principali indultum prorogare dignetur, cùm conceſſus, fuerit brevis. Et inſuper petit etiam ſibi cum effectu dari copiam integram proceſſus, vel facultatem totum proceſſum luſtrandi, ut indè elicere valeat, quæ ad defenſionem ſui principalis facere poſſunt: nec non ſe præparare ad formandos articulos probatorios ad elicienda indicia exorta etc. ut ex indè eius innocentia magis eluceſcat, quòd in gratiam ſingularem recipiet: Sicque petit, ac inſtat non ſolùm hoc, ſed et omni etc. Datum etc.

Ego f. N. Conſiliarius f. N. etc. eius nomine.

Qua recepta Actuarius ſcribat ut infra, & ſic ſemper faciat in occaſione aliarum ſimilium comparitionum.

Die etc. In Conventu etc. coram Adm. R. P. N. Iudice comparuit perſonaliter P. N. Conſiliarius f. N. etc. ac nomine ipſius præſentavit eidem Patri quandam cedulam quæ incipit etc. et deſinit etc. et per eundem P. Iudicem acceptata, fuit per me Actuarium inſerta in Actis. Et in fide me ſubſcripſi.

Ego f. N. Actuarius.

Perpenſa rationabili petitione P. N. Conſiliarij f. N. rei prætenſi Adm. R. P. Iudex etc. ipſam admiſit ſi, et in quantum etc. præcepitque prorogari terminum ad alios tres dies, ad effectum producendi ea omnia, quæ ad defenſionem ſupradicti Rei prætenſi facere poſſunt, Nec non dari facultatem luſtrandi totum proceſſum,

cum

cum præcepto tamen formali illum non oſtendendi parti etc. prout utrumque præſenti Decreto concedit, ut petitur. Datum etc.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius &c.

Si Conſiliarius petat dictam prorogationem oretenus, & non in ſcriptis, ſic erit ſcribendum ab Actuario.

Die &c. In Conventu &c. & coram eodem P. Iudice comparuit perſonaliter P. N. &c. Conſiliarius f. N. Rei prætenſi, & petijt prorogari terminum datum ad dicti Rei defenſiones faciendas, quas huculque perficere non potuit, & P. Iudex admiſſa petitione ſi, & in quantum prorogavit conceſſum terminum ad alios tres ſequentes dies. Ità eſt f. N. Ego f. N. Actuarius.

Si Conſiliarius habet oppoſitiones contra dicta, & perſonas Teſtium examinatorum, poteſt petere, ut de novo examinentur ſuper articulis ab ipſo porrigendis, & etiam poteſt inducere alios teſtes ad Rei defenſam examinandos præſentando interrogatoria &c. forma autem talis petitionis erit ſequentis tenoris.

§. 4. Coram Adm. R. P. N. &c. comparet f. N. &c. Conſiliarius f. N. Rei prætenſi, ac eius nomine petit repetitionem Teſtium contra ipſum in proceſſu examinatorum cum interrogatorijs in adjuncto folio incipiente &c. & deſinente &c. exaratis; & quia habet illos ſuſpectos de falſo, idcircò præſentat aliud folium incipiens &c. & deſinens &c. cum exceptionibus, & oppoſitionibus contra ipſos teſtes ac eorum dicta. Et inſuper præſentat aliud folium continens articulos probatorios, & ſuper illos petit examinari teſtes ibidem nominatos pro ſui defenſione, quòd pariter incipit &c. & deſinit &c. ac inſtat, & inſtantiſſimè poſtulat admitti, non ſolùm hoc, ſed & omni &c. Datum in Conventu &c. hac die &c.

Ego f. N. Conſiliarius f. N. eius nomine.

Die &c. In Conventu &c. Coram Adm. R. P. N. &c. in cella ſuæ ſolitæ reſidentiæ exiſtente comparuit P. N. &c. Conſiliarius f. N. Rei prætenſi in Cauſa & Cauſis contra eum actitatis, ac nomine ipſius petijt repetitionem teſtium, & examen aliorum, & ad hunc finem præſentavit folium, in quo dixit contineri interrogatoria pro repetitione teſtium, cujus initium eſt &c. finis verò &c. Item præſentavit aliud folium, in quo dixit, quaſdam eſſe exceptiones, & oppoſitiones tàm contra dicta, quàm contra perſonas ipſorum Teſtium, cujus initium eſt &c. finis autem &c. Et inſuper aliud folium, in quo dixit contineri articulos probatorios, ſuper quos poſtulat examinari teſtes ibidem nominatos. quæ folia una cum dicta petitione ſignata litteris . . . fuerunt admiſſa à præfato P. Iudice &c. ſi, & in quantum citra præjudicium impertinentium, & non admittendorum, ac de mandato ipſius per me Actuarium in Actis inſerta. In quorum fidem &c.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Si aliqui ex Articulis eſſent impertinentes, vel infamatorij Iudex debet illos vel corrigere, vel delere; adnotando in margine illorum cauſam in hunc modum.

Hic articulus delectus eſt, quia eſt infamatorius, quia impertinens &c.

Si Conſiliarius oretenus petit ſupradictam repetitionem, ſic erit ſcribendum &c.

Die &c. In Conventu &c. Coram Adm. R. P. N. &c. in cella ſuæ ſolitæ reſidentiæ exiſtente, comparuit P. N. &c. Conſiliarius f. N. Rei prætenſi, ac ejus nomine

petiit

petijt repetitionem Teſtium contra ipſum in proceſſu fabricato examinatorum cum interrogatorijs ab eo dandis; quia habet eos ſuſpectos de falſo; & idcircò ad hunc finem præſentavit quandam cedulam, in qua dixit contineri dicta interrogatoria, cujus initium eſt &c. finis verò &c. quam P. Iudex &c. admiſit ſi, et in quantum citra præjudicium impertinentium, et non admittendorum. Et mandavit mihi Actuario, ut illam in actis reponerem, ſicuti de facto repoſita fuit ſignata lit. etc. In quorum fidem. Ego f. N. Conſiliarius etc. Ego f. N. Actuarius.

Si actu non præſentat dictam cedulam, ſic erit ſcribendum.

Die etc. *ut ſupra uſque ad* contra ipſum in proceſſu fabricato examinatorum ſuper interrogatorijs ab eo dandis: et idem P. Iudex petitionem admiſit ſi, et in quantum citra præjudicium etc. et decrevit, prout præſenti Decreto decernit repetitionem dictorum Teſtium, dans Reo, vel eius Conſiliario terminum trium dierum ad interrogatoria in Actis producenda. In quorum fidem.

Ità eſt f. N. Iudex etc. Ego f. N. Actuarius etc.

Si neceſſaria erit prorogatio termini aſſignati, formula eſt ſupra in §. 3.

Die etc. In Conventu etc. Et coram eodem P. etc. comparuit P. N. Conſiliarius f. N. ac nomine ipſius præſentavit quandam cedulam continentem interrogatoria, quæ incipit etc. et deſinit etc. Et idem Pater admiſit ſi, et in quantum etc. *ut ſupra.*

Forma juxta quam fieri poſſunt dicta interrogatoria.

§. 5. INterrogatoria, quæ Adm. R. P. N. etc. exhibet, et præſentat P. N. de N. Conſiliarius f. N. etc. ſuper quibus petit repeti ſingulos teſtes contra ipſum in proceſſu examinatos etc. *Si deponunt de auditu.*

Et primò, A quibus. In quo loco. Coram quibus; Et quoties v. g. teſtis Audivit? An à quibus audivit ſint Amici, vel Inimici f. N. etc. An ſint bonæ, vel malæ famæ? An ſint perſonæ graves? An quando audivit talia, dictus f. N. erat proceſſatus, vel diffamatus? Et tandem an credat vera eſſe, quæ audivit? *Si deponunt de fama publica.*

Primò, quid ſit fama publica? A quibus ortum habuit talis fama? An illi, à quibus ortum habuit ſint Amici, vel inimici? An ſint perſonæ graves. Undè ortum habuit talis fama? *Si de viſu.*

Primò, In quo loco teſtis vidit? *Si dicit in tali domo.* In qua parte domus? An domus erat cum ſolario? An vidit ſupra, vel ſub ſolario? Ubi tunc erat teſtis, quando vidit etc.? An de tali loco, ubi erat ipſe teſtis, poterat videre f. N. in loco ubi ipſe teſtis dicit vidiſſe? An quando vidit erat de die, vel de nocte. *Si de nocte.*

Quomodo de nocte poterat videre? Qua hora vidit? In qua nocte? An aliqua res erat intermedia inter ipſum teſtem, et f. N? An ſemel, vel pluries vidit? An erant alij cum ipſo, quando talia vidit? Quomodo erat ibi præſens, et qua occaſione? An quando vidit erat ſtans, vel ſedens? *Et ſic de alijs interrogatorijs ſecundùm exigentiam negotij, & qualitatem delicti. Forma autem Articulorum erit ſequentis tenoris.*

Arti-

Articuli, qui per P. N. de N. Conſiliarium f. N. Rei prætenſi exhibentur, & præſentantur Adm. R. P. N. Iudici, ſuper quibus petit, ac inſtat examinari infraſcriptos teſtes, nempè

P. N. de N. &c. ſuper primò, An, ſcilicèt, cognoſcat f. N. &c. A quo tempore? Cujus famæ, & opinionis ſit apud ipſum? &c.

P. N. de N. ſuper ſecundò, An, videlicèt, fuerit in tali loco, in tali die, & hora cum f. N? Quid viderit? Quid fecerit? &c.

Et tandem P. N. de N. ſuper tertiò, An v.g. ſciat, vel illi notum ſit fuiſſe aliquam contentionem, vel rixam inter f. N. de N., & f. N? Quomodo id ſciat. An fuerint reconciliati? &c.

Forma repetendi Teſtes ſuper interrogatorijs.

§. 6. Die &c. In Conventu &c. Coram Adm. R. P.N. &c. vocatus fuit f. N. &c. teſtis aliàs pro informatione Curiæ examinatus, & modo iterùm examinandus ſuper interrogatoriis à P. N. de N. Conſiliario f. N. Rei prætenſi ad hunc finem exhibitis, & in Actis inſertis, ac delato ei juramento de veritate dicenda ſuper omnibus de quibus interrogabitur, prout juravit &c. ad ſupradictas, & alias interrogationes reſpondit ut infra.

Inter. ſuper primò &c. Reſp. &c. Inter. ſuper ſecundò &c. Reſp. &c. *& ſic de cæteris eò ordine, & verbis, quibus fuerunt præſentata. Et poſtea interrogetur ſuper primo examine ab ipſo facto, ut infra.*

Inter. An ea, quæ in primo examine hujus cauſæ facto depoſuit, fuerint, & ſint vera, illaque pro veritate depoſita? Reſp. etc.

Et de mandato Adm. R. P. Iudicis &c. lecto per me Actuarium ipſi teſti examine, clara, & intelligibili voce, & ab ipſo teſte, prout aſſeruit, benè, & diſtinctè audito, atque intellecto, poſtea.

Inter. An ea, quæ modò audivit legi, fuerint ab ipſo dicta, et depoſita tàm in hoc, quàm in priori examine, eo modo, quo ſcripta ſunt, ſitque illud ſuum examen, de quo ſupra mentio facta fuit? Reſp. etc.

Inter. An huic ſuo examini velit aliquid aliud addere, vel minuere, aut revocare in totum, vel in partem, ſeù pro veritate confirmare, vel ratificare? Reſpondit &c.

Tunc Adm. R. P. Iudex etc. Teſtem dimiſit, et relectum confirmavit, et propria manu ſubſcripſit. *Subſcriptiones ſolitæ.*

Eo modo, & forma examinentur alij Teſtes repetendi.

Forma examinandi Teſtes ad defenſam.

Die etc. In Conventu etc. et Coram eodem Adm. R. P. Iudice etc. vocatus fuit P. N. etc. teſtis adductus, et nominatus ad defenſam f. N. Rei prætenſi ſuper primo articulo, cui præſtito juramento de veritate dicenda, prout juravit tacto pectore etc., ſuper eodem primo articulo fuit.

Inter.

Inter. etc. Qui reſpondit etc. *Et ſic de alijs articulis, & teſtibus.*

Terminato proceſſu defenſivo Iudex debet formare Decretum oſtendendi illum parti modo quo ſequitur.

Poſtquam Adm. R. P. Iudex &c. vidit completum proceſſum pro defenſione f. N. Rei prætenſi, decrevit de eo certiores facere ipſum Reum, ac P. N. &c. eius Conſiliarium, prout præſenti Decreto decernit, ac mandat ipſos certiores fieri per me Actuarium infraſcriptum. Datum in Conventu &c.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Cùm per me certiores facti fuiſſent f. N. Reus prætenſus, ac P. N. eius Conſiliarius de proceſſu defenſivo ad ipſorum petitionem jam perfecto gratias egerunt, & in fidem me ſubſcripſi hac die &c. Ego f. N. Actuarius.

Forma petendi copiam proceſsus Defenſivi.

§. 7. Die &c. In Conventu &c. Coram Adm. R. P. Iudice &c. comparuit P. N. Conſiliarius f. N. & petijt copiam proceſſus defenſivi cum termino competente, ut conſulere poſſit, an aliud ſit agendum pro completa defenſione dicti f. N. &c. ſui principalis. Ità hoc & omni meliori modo.

Qua petitione audita Adm. R. P. Iudex &c. mandavit aſſignari dicti P. N. copiam talis proceſſus, & terminum aſſignari trium dierum prout præſenti Decreto concedit, & aſſignat. Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Cùm per me Actuarium infraſcriptum conſignata fuiſſet prædicta copia & aſſignatum terminum de quo ſupra P. N. Conſiliario &c. gratias agendo accepit.

Ego f. N. Actuarius.

Si verò Conſiliarius vult petere dictam copiam in ſcriptis, forma erit ſequens.

Coram Adm. Rev. P. N. Iudice &c. comparet f. N. de N. Conſiliarius f. N. Rei prætenſi, ac eius nomine exponit, qualiter intellexit, quòd fuerint examinati teſtes in articulis aſſignatis, ac repetiti alij ad defenſionem ipſius rei prætenſi; Undè petit, ac inſtat ſibi dari copiam dictorum teſtium examinatorum cum termino competente, ut conſulere poſſit quid agendum ad completam defenſionem ſui principalis. Ità hoc, & omni meliori &c.

Ego f. N. Conſiliarius &c.

Die &c. In Conventu &c. & coram eodem P. N. Iudice &c. comparuit perſonaliter P. N. Conſiliarius f. N. &c. ac eius nomine præſentavit quamdam Cedulam, quæ incipit &c. & deſinit &c. & per eundem P. N. &c. acceptata, & admiſſa, fuit per me Actuarium in Actis inſerta. Et in fidem &c.

Ego f. N, Actuarius.

Perpenſa juſta, & rationabili petitione P. N. Conſiliarij f. N. &c. Adm. R. P. Iudex &c. mandavit ſibi conſignari copiam depoſitionum dictorum teſtium, & aſſignari terminum trium dierum ad deducendum, & producendum quidquid &c. prout de facto illi conſignata fuit prædicta copia per me Actuarium infraſcriptum, & aſſignatus dictus terminus trium dierum. Sicque præſenti Decreto decrevit hoc, & omni meliori modo. Datum &c. Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Forma

Forma redigendi in ſcriptis Defenſiones ante torturam.

§. 8. DEfenſiones, exceptiones, & Iura, quas, & quæ dat, offert, & præſentat P. N. &c. Conſiliarius f. N. ad effectum, ut contra ipſum non procedatur ad torturam.

Rev. Adm. Pater. Non eſſe ampliùs moleſtandum dictum f. N. ſuum principalem, neque contra ipſum ad ulteriora procedendum, quinimmò potiùs abſolvendum fore à crimine, ſeù criminibus ſibi indebitè impoſitis pleno ore dicimus, & ſuo loco ex pluribus infra dicendis probabimus, cum proteſtatione tamen aliàs exceptiones, capitula, jura, ac rationes ſemper, & quandocumque ſibi à Iure permiſſum fuerit, præſentandi. Qua proteſtatione ſemper ſalva. & non aliter, nec alio modo pro nunc ad defenſam prædicti f. N. ſui principalis vult, ac probare intendit præfatus P. N. ſuus Conſiliarius, qualiter proceſſus, & omnia ac ſingula acta contra ipſum hucuſque actitata fuerunt, & ſunt nulla. Et primò, quia v. g. nulla præcedente diffamatione fuit inquiſitus, vel quia Denunciator non erat idoneus, vel quia non conſtat de corpore delicti, vel defectu Iuriſdictionis, vel quia teſtes ſunt inimici, per talem, & talem cauſam, & teſtes de hujuſmodi inimicitia poſſunt eſſe N. & N., vel quia non reddunt ſufficientem rationem ſui dicti, vel quia fuerunt ſubornati, vel aliter &c. *uti apparebit ex ipſiſmet Actis*.

Secundò vult, & probare intendit, qualiter ſine ſemiplena probatione, vel indicijs æquipollentibus fuit deventum ad examen, & conſtitutionem ipſius, vel ratione inhabilitatis in teſtibus inveriſimilia deponentibus, vel quia ſunt perjuri, vel infames, vel crimenoſi, vel conſpiratores, vel falſi, vel mendaces, vel aliàs inhabiles, & de tali inhabilitate poſſunt eſſe Teſtes N. & N. Vel quia ſunt ſingulares, nec in aliqua parte adminiculati. Tertiò vult, & probare intendit, quòd tempore in quo aſſeritur delictum fuiſſe commiſſum erat in tali loco, ut poſſunt teſtificare N. & N. Undè ſtante tali negativa coarctata loco, & tempore ob maximam diſtantiam impoſſibile erat, quòd eodem tempore fuiſſet præſens in loco, in quo aſſeritur delictum fuiſſe commiſſum: Vel quòd non poterat diſcedere à tali loco, quin ipſi teſtes vidiſſent. Quartò, vult, & probare intendit, quòd non eſt veriſimile perpetraſſe tale delictum ob talem, & talem Cauſam, de qua poſſunt eſſe teſtes N. & N. &c. Et tandem ſi in ſuo examine aliquid confeſſus eſt, talis confeſſio emanata eſt per errorem: Quem erroré, & cauſam erroris, ſe offert probare tali, & tali modo &c.

Et ſic de ſingulis alijs oppoſitionibus, quas prudens Conſiliarius poterit deducere ex proceſſu: Et ſi priùs non inſtitit repeti teſtes, nec Iudici interrogatoria ipſis facienda porrexit, poteſt terminare tali pacto.

Prætereà idem inſtat teſtes examinatos repeti, & interrogari ſuper his interrogatorijs, & articulis. *Hìc per extenſum ſcribenda ſunt interrogatoria, & articuli juxta formam ſuperius traditam in §. 5. Et in fine ſe ſubſcribat.* Actuarius poſteà debet in Actis tales defenſiones reponere ſequenti forma.

Forma admiſſionis Defenſionum.

DIe &c. In Conventu &c. & coram eodem P. N. Iudice &c. comparuit P. N. de N. Conſiliarius f. N. Rei prætenſi, ac eius nomine præſentavit Defenſiones eiuſdem f. N. cujus initium eſt &c. finis verò &c. ac inſtitit pro earum admiſſione, cauſæque expeditione. Et idem Adm. R. P. Iudex &c. omnia admiſit ſi, & in quantum, citra tamen præjudicium impertinentium, & non admittendorum, prout præſenti Decreto admiſit, ac juſſit inſeri in Actis, prout de facto inſertæ fuerunt per me Actuarium infraſcriptum &c.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

De Tortura in Actu. Praxis Nona.

FActis defenſionibus, ſi Reus eſt negativus, & delictum adhuc remaneat ſemiplenè probatum, & ſit tale, pro quo imponenda ſit pœna corporalis (apud nos conſulto priùs P. Generali, vel Procuratore ex vi Statutorum in 3. ſubſtant. num. mihi 116.) in ultimo conſtituto debet torqueri. Ideò ad tollendam omnem appellationis occaſionem à tortura infligenda, præmiſſo rigoroſo examine ut ſupra in praxi antecedenti §. 1. deſcripto, & interpoſito ſeorſim, & ſecretè torturæ Decreto ibidem in §. 2. adnotato, Iudex debet ad facti executionem devenire, ut infra.

§. 1. Die &c. In Conventu &c. Conſtitutus Coram Adm. R. P. & P. N. Aſſiſtente &c. extractus de carceribus f. N. Reus prætenſus, propriè in loco ante carceres, ubi extabant omnia ad torquendum parata, delatoque ei juramento de veritate dicenda, prout juravit ad opportunas interrogationes reſpondit ut infra.

Inter. An tandem ſit diſpoſitus ad veritatem fatendam de his, de quibus aliàs interrogatus fuit? ℞.

Monitus graviter, ut caveat à perjurijs, nec propriam conſcientiam aggravet, cùm ſit in Actis plenè convictus per conteſtes, *vel* per indicia indubitata, *vel* cùm in Actis delictum ſit ſemiplenè probatum, ex quibus conſtat plenè, *vel* ſemiplenè tale delictum ab ipſo fuiſſe commiſſum? ℞.

Tunc ei fuit dictum nimium eſſe pertinacem, dum negat ea, de quibus in proceſſu eſt convictus, *vel* quæ ſunt ex proceſſu ſemiplenè probata, & ideò iterùm fuit admonitus, ut veritatem velit fateri? ℞.

Videns autem Adm. R. P. &c. Conſtituti obſtinationem devenire decrevit contra ipſum ad Iuris, & facti remedia, ac executioni demandare Decretum jam formatum de tortura infligenda, quare juſſit eum expoliari, funi applicari, & ligari, ad hoc ut medio tormento veritatem habere poſſit, cum proteſtatione, quòd non intendit eum torquere ſuper his, de quibus eſt legitimè convictus (*vel ſi eſt ad habendum ſocios, vel complices*) vel confeſſus, ſed citra præjudicium confeſſorum, vel quæ poſtea confitebitur, & ad habendam veritatem ex eius ore, de quo proteſtatur, & hanc proteſtationem repetit nunc prout ex tunc in quolibet actu, & non aliàs, nec aliter. Sicque funi applicatus, antequam in altum levaretur, fuit iterùm

rùm benignè monitus, & hortatus per Adm. R. P. &c. ut tandem veritatem manifeſtet, nec expectet in altum elevari, prout elevabitur, ſi in obſtinatione perſiſtat. ℞. &c.

Tunc animadvertens Adm. R. P. &c. dictum f. N. in pertinacia obſtinatum jam ſpoliatum, ligatum, & funi applicatum mandavit ſurſum elevari, & ſic elevatus fuit Interrogatus. An tandem recedere velit à pertinacia, & dicere veritatem? ℞.

Monitus iterùm, nè patiatur in tormento detineri, ſed veritatem fateatur? ℞.

Videns autem Adm. R. P. &c. torti ſilentium, mandavit ſemel quaſſari funem: quo per N. facto, ejulavit ipſe tortus alta voce dicens ....

Scribantur ab Actuario adamuſſin omnia, quæ dicit, vel facit tortus in tormento; poſteà

Inter. An tandem mendacia dimittere velit, & veritatem fatendo de tormento deponi? ℞.

Tunc videns Adm. R. P. &c. torturam, & quaſſationes parvi pendere, & parum tormenta ſentire, eò quod robuſtus ſit, mandavit, ut dicto Reo duo ictus funis darentur, quo facto tortus magis exclamavit dicens . . . poſtea fuit

Inter. & monitus, ut veritatem fateatur, aliter contra ipſum procedetur ad majores gradus torturæ. ℞. &c.

Et cùm ſtetiſſet in tormentis per ſpatium unius quadrantis horæ, ac perſtitiſſet in negativa, cùmque indicia ſint multum urgentia mandavit Adm. R. P. ipſum Reum leviter deponi, ſolvi, indui, bracchia reaptari, & ad locum ſuum reponi cum animo iterùm, & pluries ipſum torquendi quatenùs opus fuerit uſque ad complementum torturæ ei debitæ juxta qualitatem indiciorum contra ipſum in proceſſu reſultantium, & accommodatis illi bracchijs, fuit remiſſus in carcerem, anteà tamen relectum confirmavit, & propria manu ſubſcripſit.

Subſcriptiones Iudicis, torti, aſſiſtentis, & Actuarij.

Forma Decreti pro repetitione torturæ.

§. 2. VIſo per Adm. R. P. N. rigoroſo examine habito in tormentis heſterna die à f. N. Reo, eoque maturè conſiderato, nec non ponderatis urgentibus indicijs contra ipſum ex proceſſu reſultantibus decrevit ipſum denuò adduci ad locum tormentorum, rurſumque admoneri ad veritatem dicendam, facta ſibi comminatione de iterùm ſubijciendo illum torturæ, prout virtute præſentis Decreti dictum f. N. adduci fecit ad præfatum locum tormentorum, & ibi hac die . . . Coràm eodem P. &c. nec non P. Aſſiſtente conſtitutus, ac præſtito eidem juramento de veritate dicenda, prout juravit &c. Monitus fuit, ut tandem ſe diſponat ad veritatem fatendam, nec expectet iterùm funi alligari, & in altum elevari, prout ligabitur, & elevabitur ſi in obſtinatione perſiſtat. ℞.

Et cùm videret Adm. R. P. &c. quòd non obſtantibus pluribus admonitionibus ab ipſo tàm heri, quàm hodie, ac etiam in aliis conſtitutis factis ad dicendam veritatem, obſtinatè perſiſtit in negativa, nec veritatem fateri vult, juſſit illum expoliari, ligari, & funi applicari, qui ſic ligatus, & funi applicatus, antequam elevare-

tur fuit iterùm Inter. & monitus. An tandem mendacia deponere velit, & veritatem fatendo liberari à tormentis? ℞. &c.

Et cum perſiſteret in negativa, fuit in altum elevatus, & ibi Inter., & monitus, ne patiatur in tormento detineri, ſed veritatem fateatur. ℞.

Tunc P. N. Iudex &c. videns ipſum conſtitutum, nolentem dicere veritatem juſſit altiùs elevari, ac ſine ictibus funem modicum quaſſari, & moveri, quo præſtito, fuit pluries monitus & interrogatus ad veritatem fatendam, qui nihil prorſus reſpondit, ſed tantùm exclamavit dicens . . . . . Undè Adm. R. P. Iudex videns ſuam obſtinationem, conſideranſque parum tormenta ſentire, & quòd multùm robuſtus ſit, ſtantibus graviſſimis indiciis contra ipſum reſultantibus, mandavit ad pedes torti ferreos compedes apponi, ſeù lapidem alligari ponderis librarum . . à quo explecto cœpit clamare dicens . . . . Et monitus ut veritatem dicat. ℞.

Levatemi da queſto tormento, che dirò tutto &c.

Dictum eſt ei, ut veritatem fateri incipiat, & poſtea deponetur.

Reſp. In queſto tormento non poſſo dire coſa alcuna, e però deponetemi, che dirò tutto.

Tunc P. Iudex ſtante hac promiſſione, & ad prædictum tantùm effectum mandavit leviter deponi de tortura, & ſuper ſcamno ligneo accommodari, animo tamen illam continuandi quatenùs opus ſit, quo facto.

Dictum eſt ei, ut veritatem fateatur, promiſſumque adimpleat. ℞.

Iterùm dictum eſt ei, ut promiſſionem ſervet in tortura factam veritatem ſincerè fatendo, aliter ſtatim in fune elevabitur. ℞.

Tunc P. Iudex &c. videns ſuam obſtinationem, & pertinaciam, & quòd ſic depoſitus nolit veritatem dicere monitus fuit, ut ſe diſponat ad illam fatendam, aliàs in fune elevabitur. ℞.

Et cum ſtetiſſet in tortura per ſpatium unius dimidiæ horæ juxta pulveris horologium Adm. R. P. &c. mandavit eum leviter deponi, ſolvi, & bracchia reaptari, indui, & in carcerem reponi animo tamen torturam repetendi &c. Anteà tamen relectum confirmavit, & propria manu ſubſcripſit.

Subſcriptiones ſolitæ.

Si verò Reus neque in ſecunda tortura fuiſſet ſufficienter tortus, erit tertia vice repetenda ad perfectè purganda indicia, ut infra.

§. 3. Die &c. Viſa per P. Iudicem &c. pertinacia f. N. Rei &c. viſis videndis, ac conſideratis conſiderandis, & in ſpecie quòd dictus Reus non fuit neque in prima, neque in ſecunda vice ſufficienter tortus, nec purgaſſe aliqua indicia urgentia tàm vetera, quàm nova contra ipſum reſultantia & quòd fuit tantùm à tortura depoſitus animo illam continuandi, decrevit prout præſenti Decreto decernit, iterùm illum duci ad locum torturæ, rurſumque admoneri ad veritatem fatendam, prout de facto ductus fuit ad eundem locum, ibique coram eodem P. Iudice, nec non P. Aſſiſtente præſtito juramento de veritate dicenda, & facta illi comminatione de iterùm ipſum torturæ ſubijciendo ſi veritatem negaverit, fuit denuò

Inter. An tandem velit recedere à pertinacia, & veritatem ſincerè fateri: ℞.

Et alia monitoria, & interrogatoria faciet prout ſupra, & etiam poterit repete-

re

re gradus torturæ ſupra deſcripto ſi opus fuerit, & qualitas delicti poſtulaverit; circa quosgradus animadvertat Iudex, ut nullo modo eos infligat, niſi ponderatis iis, quæ ſupra in Regula adnotavimus, nè in re tam gravis momenti erret, ubi agitur de damno irreparabili; & tandem ſic examen, & torturam concludat.

Et cùm videret P. Iudex &c. illum multum pati, & ſtetiſſet in tortura per integram horam computatis primis duobus Miſerere, vel quartam partem horæ, vel mediam horam, mandavit leviter deponi, bracchia reaptari, indui, & in carcerem reponi. Anteà tamen relectum confirmavit &c.

Si Reus in tormentis deficeret, ſic ſcribere debet Actuarius.

§. 4. Pendente autem à fune f. N., ſudoreſque emittente, ac languida voce dicente . . . mandavit P. Iudex eum de tortura deponi, & ſuper ſcamnum ligneum aptari, ac in faciem eius aquam frigidam proijci, & tempora, ac nares aceto fricari, cùmque ad animum non rediret, juſſit nares ipſius ſulphure, vel lino accenſo ſuffumicari. Quibus peractis ad ſe redit, et ideò iterùm fuit.

Inter. An tandem fateri velit &c. ℟. &c.

Si verò ad animum non rediret, proſequatur. Et quia utleriùs deliquium protendebatur, vocari fecit Infermariæ præfectum, vel Medicum, quem rogavit videre, an verè dictus f. N. pateretur deliquium, & ſuum judicium interponeret; qui diligenter pulſum, & pectus tangens ipſius f. N. dixit, eum verè defeciſſe, & indigere reſtauratione. Quo audito deferri eum fecit in carcerem juncto infermariis, ut neceſſaria applicarent remedia, animo tamen continuandi torturam &c. *Si autem deliquium eſſet fictum, dicatur.* Dixit eum non pati deliquium, ſed ſimulare & propterea poſſe torqueri.

Quo audito P. Iudex mandavit, iterùm in altum elevari, qui ſic elevatus, admonitus fuit, ut veritatem fateri velit, nec ſimulare &c. ℟. &c.

Et cùm ſtetiſſet in tortura &c. Reliqua ut ſupra.

Si tortus petit deponi pro neceſſitate evacuandi corpus, dicatur.

§. 5. Tunc P. Iudex adhunc effectum mandavit leviter deponi, & data illi facultate corpus evacuandi, fuit poſtea ductus coràm eodem P. &c. & monitus, ut veritatem fateatur. ℟. &c.

Videnſque P. &c. in obſtinatione ipſum permanere, juſſit iterùm elevari in altum, & ſic elevatus dixit. Deponetemi da queſto tormento, che dirò tutto.

Et P. Iudex illi injunxit, ut dicat ibi veritatem, quia aliàs verba dedit, *(ſi verè ſic accidit)* & poſtea noluit promiſſionem adimplere. ℟. Deponetemi, che adeſſo confeſſarò tutto.

Et pluries ſic replicando P. Iudex pro veritate habenda, mandavit dictum Reum leviter deponi, animo continuandi torturam, qui depoſitus, ſedens ſupar ſcamnum ligneum, fuit per dictum P. Iudicem monitus, ut modo ingenuè veritatem dicat, & poſtea

Inter. An velit promiſſum adimplere factum in tortura? ℟. &c.

Et tunc P. Iudex videns ipſum Reum nolentem dicere veritatem, mandavit iterùm in altum elevari, qui elevatus nihil dixit, & pluries Interrogatus, & monitus ad veritatem fatendam nihil prorsùs reſpondit. Et cùm ſtetiſſet in tortura &c. ut ſupra.

Si

Si Reus dormiret in tortura, et Iudex ſuſpicaretur de aliqua incantatione. Sic erit ſcribendum.

§. 6. Videns autem P. Iudex &c. Reum in tortura, & tormenta ſpernere, & veluti non ſentire, dubitans de aliqua incantatione, vel operatione Diaboli, mandavit ipſum Reum de tortura deponi, & nudum ſpoliari, ſub bracchiis, in ore, intra capillos, & barbam, ac aliis corporis partibus diligenter inquiri, an aliquid ibidem occultaretur, quòd tales effectus produceret. Item pilos ipſos totiùs corporis radi; & poſtea ſic expoliatum, & raſum, femoralibuſque aliis indutum iterùm ligari fecit, & antequam elevaretur, fuit denuò monitus, &

Inter. An tandem veritatem fateri velit? ℞.

Et cùm perſiſteret in ſua pertinacia, & obſtinatione, mandavit idem P. Iudex func in altum elevari, qui ſic in altum elevatus, monitus iterùm fuit, ut veritatem diceret? Qui reſpondit &c. Et cùm ſtetiſſet in tortura &c. *ut ſupra. Si adhibeat aquam caldam, vel cliſteria omnia diligenter, & diſtinctè erunt adnotanda per Actuarium.*

Si verò in tortura confiteretur delictum principale, ſequenti die debet confeſſionem extra locum torturæ ratificare, ut in praxi ſequenti.

Si recuſat ratificare, torqueri iterùm poterit, ut ibidem adnotabimus. Ac etiam poterit torqueri de novo pro habenda ulteriori veritate ſociorum criminis, & aliorum delictorum. Undè poſtquam Reus erit convictus, vel confeſſus ſuper delicto principali, & neceſſe ſit illum torquere ad habendos ſocios, vel complices, Decretum erit ſequens.

Forma Decreti Torturæ pro complicibus, & ſocijs.

§. 7. Die &c. In Conventu &c. Viſis, ac diligenter ponderatis omnibus, quæ contra F. N. Reum confeſſum, vel convictum in Actis reſultant, & cùm ex depoſitionibus Teſtium conſtet, ſicuti etiam ex qualitate delicti patrati, quòd ſine complicibus committi non potuit, dictum F. N. Reum pluribus aſſociatum fuiſſe, quàm ſunt nominati ab ipſo in ſua depoſitione, nec veritas aliter haberi poſſit, quàm ab ipſo Reo circa dictos complices, vel ſocios; cumque ipſe inveriſimiliter neget; mandavit ipſum Reum adduci ad locum tormentorum, ibique ſpoliari, ligari, & funi applicari, & hoc ſine præjudicio quorumcumque Iurium Curiæ quomodocumque & qualitercumque competentium, de quibus ipſe Reus eſſet convictus, vel confeſſus, ſuper quibus nullo modo intendit illum torquere, quinimmò proteſtatur, illum ſuper ipſis non torquere, & hujuſmodi proteſtationem in quolibet actu repetitam fore, & eſſe pariter intendit, et quòd pro repetita ſemper habeatur: ſed tantùm ipſum Reum torquere intendit pro ulteriori veritate habenda ſuper ſociis, et complicibus, *vel* ſuper aliis criminibus ab ipſo commiſſis, & non aliter nec alio modo, de quo ſolemniter, et expreſsè, ac omni meliori modo proteſtatus eſt, et proteſtatur ipſe P. Iudex, prout præ-

præſenti Decreto ipſum Reum adduci mandat ad locum tor turæ, ubi poſtquam fuit expoliatus, ligatus, ac funi applicatus, priùs tamen, illi præſtito juramento de veritate dicenda in præſentia P. N. Aſſiſtentis, rursùm monitus, ut veritatem dicat ſuper ſocijs, & complicibus, *vel* aliis delictis à ſe commiſſis, & nondum confeſſis, fuit

Inter. Qui nam fuerint ſocii, vel complices in delicto &c. ℞.

Et cùm in negativa perſiſteret, repetita proteſtatione de qua ſupra mandavit P. Iudex &c. ipſum reum in altum elevari, qui ſic elevatus fuit

Inter. An tandem velit recedere ab obſtinatione, & ſincerè veritatem dicere ſuper ſociis, & complicibus, vel &c. ℞. &c.

Et iterùm monitus, ut recedat à ſua obſtinatione, & manifeſtet ſocios criminis &c. ℞. &c.

Si Reus reſponderet diverſimodè ab Interrogatorijs, ſic erit ſcribendum.

Et præfato P. Iudice proteſtante, quòd non interrogatur ſuper delicto de quo eſt convictus, nec ſuper eo torquetur, ſed ſolummodo interrogatur, & torquetur, ſuper ſociis, & complicibus, *vel* ſuper aliis delictis, & idcircò ad hæc tantùm reſpondeat &c.

Tunc præfatus P. Iudex acceptatis ſi, & in quantum ejus depoſitionibus cùm aliud ab ipſo haberi non poſſet, mandavit leviter de tortura deponi, diſſolvi, brachia reaptari, reveſtiri, & in carcerem duci, poſtquam permanſit elevatus per ſpatium dimidiæ horæ, *vel* unius quadrantis horæ. Anteà tamen relectum confirmavit, & propria manu ſubſcripſit &c. *Subſcriptiones ſolitæ.*

Si Iudex, omiſſo tormento funis, vult uti mitiori tortura, formet Decretum ut infra.

§. 7. Forma Decreti pro tormento flagellationis.

Videns autem præfatus P. Iudex &c. obſtinationem, & pertinaciam f. N. de N. Rei &c. *vel teſtis negantis &c.* ſtantibus inditiis urgentibus contra ipſum reſultantibus pro veritate habenda ab ipſo conſtituto &c. *vel teſte &c.* cùm aliter ab eo haberi non poſſet de conſilio diſcretorum mandavit, prout præſenti Decreto mandat ipſum conſtitutum &c. *vel teſte &c.* adduci ad locum torturæ, ibique ſpoliari, & fune manus ante faciem alligari, & virgis cædi, cum proteſtatione tamen quòd non intendit eum torquere ſuper his de quibus eſt legitimè convictus, (*vel ſi eſt ad habendum ſocios, vel complices*) vel confeſſus, ſed citra præjudicium confeſſorum vel quæ poſtea confitebitur, ſed tantùm ad habendam veritatem ex eius ore, de quo proteſtatur, & hanc proteſtationem repetit ex nunc pro tunc in quolibet, actu, & non alias, nec aliter. Acta ſunt hæc in Conventu N. die &c.

Poſtea Iudex procedat ad rigoroſum examen, ut ſupra in praxi 9. §. 1. uſque ad illud, Quare juſſit eum expoliari, & fune manus ante faciem alligari. Qui ſic adductus dum ſpoliaretur, & ligaretur fuit pluries per præfatum Iudicem benignè monitus, ut veritatem fateretur, & non patiatur virgis cædi, prout cædetur ſi in ſua obſtinatione, & pertinacia permanſerit. ℞.

Tunc

Tunc præfatus Iudex &c. Viſo quòd dictus f. N. conſtitutus, *vel teſtis &c.* in obſtinatione perſiſteret mandavit illum virgis cædi, qui cùm ſic cæderetur, clamare cœpit &c.

Int. An velit veritatem fateri? ℞.

Et tunc mandavit eundem duriùs virgis cædi.

Int. iterùm, & monitus, ut à ſua obſtinatione recedat, & veritatem dicat.

Tunc præfatus Iudex, cùm videret ipſum f. N. &c. in ſua negatione perſiſtere, & nolle aliud dicere, mandavit eundem diſſolvi, ac veſtiri & in carceres reponi animo tamen &c. Cùm ſtetiſſet in dicto tormento per ſpatium mediæ horæ computatis etiam intervallis monitoriis. Anteà tamen relectum confirmavit &c. *vel ſi faſſus fuerit explicet, & poſtea ſequenti die extra torturam ratificare faciat confeſſionem.*

Praxes tormentorum Ignis, Vigiliæ Taxillorum, & Sibilorum ex induſtria, & brevitatis gratia hìc omittuntur, quia juxta conſilium Ambroſini de modo form. proceſ. lib. 4. c. 8. n. 11. Iudex Regularis, ſemper quantum fieri poteſt abſtinere ſe debet ab hujuſmodi tormentis. Attamen, quia poteſt dari caſus, in quo Iudex Regularis ad illa procedere deberet, tunc conſulat Doctores, & præcipuè ex noſtris P. Bictum in ſuo tractatu practico.

Forma ratificandi Confeſſionem poſt torturam.
Praxis Decima.

§. 1. Die &c. In Conventu &c. & coram eodem P. A. R. Iudice nec non P. Aſſiſtente & infraſcriptis teſtibus &c. in camera ſuæ ſolitæ reſidentiæ exiſtentibus conſtitutus f. N. reus confeſſus eductus de carceribus & in plena libertate extra locum tormentorum poſitus, vocatus ad ratificandam propriam confeſſionem ex ore ipſius heſterna die in tortura emanatam, delatoque ei juramento de veritate dicenda prout juravit &c. fuit illi lecta alta, et intelligibili voce per me Actuarium infraſcriptum ſua propria confeſſio, quæ ab ipſo Reo benè audita, et intellecta, fuit poſtea,

Inter. An illa ſit ſua confeſſio heſterna die habita in tormentis? Reſp. etc.

Inter. An illa quæ audivit, et proprio ore confeſſus eſt ſint vera? Reſp.

Inter. An velit confirmare, et ratificare dictam ſuam confeſſionem? Reſp. etc.

Inter. An velit aliquid aliud addere, vel minuere pro integra facti veritate? R.

Quibus acceptatis fuit juſſus ſubſcribere &c.

Ego f. N. depoſui, ratifico, et confirmo ut ſupra

Deindè aliæ ſubſcriptiones Iudicis Aſſiſtentis, teſtium, et Actuarij.

Tunc præfatus P. Iudex etc. acceptatis ſi, et in quantum eius depoſitionibus et ratificatione examen dimiſit, et illum reduci ad carcerem mandavit, præcipiendo dari copiam ſuæ confeſſionis, et conſtitutorum, nec non Conſiliarium cum termino trium dierum ad ſuas defenſiones per agendas, prout præſenti Decreto mandat, non ſolum hoc, ſed et omni meliori modo. Datum etc.

Ità eſt f. N. Iudex. Ego f. N. Actuarius.

Et

Et cùm per me Actuarium fuiſſet intimatum dictum Decretum prædicto f. N. reo, ac ipſius Conſiliario gratias egerunt: et in fidem veritatis, me ſubſcripſi hac die etc. Ego f. N. Actuarius.

Die verò etc. per me Actuarium fuit data copia Actorum ſcilicèt, Confeſſionis in tortura factæ cum ſua ratificatione ipſi Reo, ac eius Conſiliario cum termino trium dierum ad faciendas ſuas defenſiones. In quorum fidem etc.

Ego f. N. Actuarius.

Si Reus recuſet confeſſionem ratificare, præmiſſa formula. Eductus de carceribus etc. *erit contra eum repetenda tortura uſque ad tertiam vicem, & non ultra. Et ſi poſt tertiam repetitionem pariter neget, obſervanda erunt, quæ ſupra adnotavimus, ſeù erit abſolvendus cum clauſula.* Rebus ſic ſtantibus etc. *Decretum autem repetitionis torturæ erit ſequentis tenoris. nempè*

§. 2. Die etc. In Conventu etc. et coram eodem P. Iudice etc. nec non eodem P. Aſſiſtente eductus de carceribus, vinculis ſolutus, Conſtitutus, et vocatus iterùm f. N. Reus prætenſus ad hoc, ut ſuam confeſſionem heſterna die in tormentis factam extra locum tormentorum ratificet, et cùm nolet eam ratificare. Idem P. Iudex etc. viſo illius rigoroſo examine die præcedenti in tormentis habito, ac conſiderata eius confeſſione in eiſdem facta, ponderataque ejus pertinacia, et obſtinatione, quòd præcipuè dignoſcitur ex eo, quòd nolit dictam confeſſionem ratificare, decrevit eumdem iterùm ad locum torturæ ducendum, rurſuſque admonendum ad veritatem fatendum, aliàs iterùm torturæ ſubjicietur, et præſenti Decreto ipſum ad prædictum locum adduci, expoliari, funi applicari, et in altum elevari mandavit, abſque præjudicio etc. Qui ità elevatus fuit

Inter. An tandem velit veritatem fateri. ℟. *Reliqua ut ſupra &c.*

DE SENTENTIIS, ET POENIS:

TRACTATUS QUINTUS

DE CONFESSIONE REORUM.

Regula prima.

§. 1. MAxima eſt differentia inter ſpontè confeſſum, et inter confeſſum metu probationum. Spontè ille vocatur confeſſus, qui, cùm nec eſſet inquiſitus, nec Denunciatus ſaltim in ſingulari, comparet coram Iudice ſpontè: Ille verò confeſſus eſt metu probationum, qui poſt litis conteſtationem confitetur. Quare non poteſt dici ſpontè confeſſus, niſi lato modo, eſt tamen mitiùs puniendus, et de tali confeſſione nos loquimur in præſenti tractatu. Et dicimus, quòd Reorum confeſſione omnia crimina comprobantur: unde à Iudice obtenta tali confeſſione, nihil aliud ei remanet, niſi condemnatio juxta illud inter Legiſtas vulgare Axioma. *In confeſſum partes Iudicis ſunt in condemnando*; nec talis confeſſio indiget ratificatione: Immò taliter confeſſus condemnari poteſt etiam ſi in tortura contrarium depoſuiſſet *Bajar. q. 45. n. 1.* Quòd etiam procedit, ſi priùs fuerat abſolutus cum clauſulis *Ex hactenus deductis*, vel *Pro nunc*, vel *Rebus ſic ſtantibus* ob non probatum crimen, & ſententia tranſierit in rem judicatam. *Bajar. ibid. n. 57. Guaz. def. 32. c. 20.* Secùs ſi fuerit abſolutus poſt confeſſionem, quia per illam confeſſionem non poteſt ampliùs moleſtari. *Bajar. q. 57. n. 15. Farin. q. 4. n. 43. Guaz. ibid. c. 10.* Et licèt Iudex ex tali confeſſione ſpontè in Iudicio facta poſſit Reum condemnare etiam ſi facta eſſet ſuper proceſſu nullo, vel ex defectu ordinis Iudiciarii, vel ex ineptitudine accuſationis, vel Inquiſitionis, vel ex omiſſione ordinis ſubſtantialis, ut habetur *in cap. 1. de accuſat. in 6., & dicit Innoc. in cap. qualiter, & quandò il 2. n. 7. de accuſat. & Farin. q. 81. n. 66. 68. & 73.* non tamen cogitur ut dicunt *Angel. conſ. 178. Dec. in cap. At ſi Clerici n. 36.* Et in caſu condemnationis, Iudex non poteſt Reum condemnare in pœnam ordinariam, ſed tantum extraordinariam. *Farinac. ibid. n. 82.* quòd procedit ſolummodo, quando talis confeſſio ſuper proceſſu nullo facta eſt coram Iudice Ordinario, non autem coram Delegato, in quo caſu confeſſio non ſanat nullitatem proceſſus *Farin. loc. cit. n. 89.* ſed tantùm ſufficit ad torturam coram Iudice competenti, quando nullitas proceſſus provenit ex defectu Iuriſdictionis. *Guaz. def. 32. c. 26. n. 3.* Similiter non tenet talis confeſſio facta ſuper proceſſu nullo, ſi fuiſſet extorta ſine ſufficientibus indiciis ad Reum interrogandum.

dum, nempè ſine ſemiplena probatione. *Alex. conſ.* 127. *lib.* 4. *n.* 2. Et licèt Farin. *q.* 37. *n.* 17. & ex noſtris P. Bict. *q.* 104. *n.* 23. doceant, quòd talis confeſſio ſit ſufficiens ad condemnandum ſi procedat ſine indiciis ad torturam, dummodo procedat cum indiciis ſufficientibus ad interrogandum, non tamen ſunt audiendi, eo quòd pûtant minora indicia ſufficere ad Reum interrogandum, quàm ad torquendum: Quæ opinio uti ſingularis non admittitur, immò rejicitur à P. Did. à Meſſana *part.* 5. *cap.* 2. *n.* 12. 13. *&* 14. Et ſuſtinet, talem confeſſionem factam ſine ſemiplena probatione eſſe prorsùs nullam, & inſufficientem ad Reum condemnandum. *part.* 5. *c.* 7. *n.* 8. *in fine*, quod præcipuè obſervandum eſt apud nos ex vigore noſtrorum Statutorum in quibus ſtatuitur, quòd nullus examinetur, niſi delictum ſit ſaltem ſemiplene probatum, vel per infamiam, vel per unum teſtem omni exceptione majorem, vel per indicia illi æquipollentia. *in* 2. *ſubſtant. num. mihi* 98.

§. 2. Ad hoc autem, ut quis in Iudicio confeſſus poſſit condemnari, debet primo loco conſtare de corpore delicti, ſi eſt facti permanentis, alioquin confeſſio eſt nulla, nec nocet confitenti. *Farin. q.* 2. *n.* 7. *&* 8. ità quòd non poſſit ex ſola ſua confeſſione condemnari ex *textu in l.* 1. §. *item illud ff. ad Syllenus. Marſil. in* §. *poſtquam n.* 48. *Boſſ. t. t. de delict. conſ.* 1. *&* 2. *Clar. q.* 55. *& alij*, niſi ſaltem ex fama probatum ſit. Secundò, quòd in Iudicio à Reo ſanæ & integræ mentis prædito coram Iudice competenti confeſſio emanata ſit, & de qua dubitari non poſſit, quòd vi, metuſvè cauſa fuerit. *l.* 1. §. *ſi quis non metu ff. ad Syllen. &* §. *ſi tibi manus.* Hinc illa confeſsio Rei, licèt ſpontanea, quæ vel tedio vitæ, vel diſperationis cauſa fit, ad Reum condemnandum infirma eſt, ut monet *Gloſſa in c. ex litteris de Divortijs.* Quapropter Iudex debet dare terminum Reo etiam confeſſo ad ſe defendendum adverſus ſuam confeſsionem. *Boſſ. tit. de confeſſ. n.* 3. *Grammat. deciſ.* 48. *Alex. conſ.* 66. *Far. q.* 65. *n.* 1. Tertiò, quòd confeſsio ſit non ſolùm probabilis, & veriſimilis, *Bald. conſ.* 479. *n.* 2. *lib.* 5. ſed etiam poſsibilis. *Marſil. in l. repeti n.* 19. quia confeſsio non nocet confitenti, quando reſiſtunt indicia veriſimilia, & probabilia innocentiæ, vel aliqua impoſsibilitas, prout quando interrogatus à Iudice neſcit locum, & tempus, vel exiſtens Romæ fatetur ſe heſterna die Venetijs commiſiſſe delictum de quo imputatur. Quartò, ut ſit clara, certa, explicita, abſoluta & non conditionata aliàs non valet ad condemnationem. *l. certum in princip. ff. de confeſſione. Maſcar. conclus.* 44. *n.* 12. *Farin. conſ.* 34. *n.* 5. Et confeſsio, quæ poteſt importare majus, vel minus delictum interpretari debet in minus. *Farin. q.* 81. *n.* 34. Et quamvis confeſsio incerta, & dubia non ſufficiat ad condemnandum, ſufficit tamen ad torquendum. *Boſſ. tit. de confeſſ. n.* 83. *Menoch. de præſumpt. lib.* 1. *q.* 89. *n.* 24. Poteſt etiam Iudex ſic confitentem incertitudinaliter pœna extraordinaria punire ſi habeat liberum arbitrium, melius tamen erit expedire cauſam per torturam, ubi tortura eſt in uſu recepta. *Cavalc. de brach. reg. part.* 3. *n.* 213. *&* 231. ad hoc ut melius, & clariùs explicet in tormentis ſuam confeſsionem. Quintò, ad hoc ut confeſſio delicti noceat confitenti, debet habere cauſam propter quam delictum fuit perpetratum, & idcircò prudens Iudex debet perquirere cauſam delicti. *Bertaz. conſ.* 29. *n.* 13. quæ cauſa debet eſſe certa, expreſſa, & clara, non autem

obſcura. *Surd. conſ.* 135. *num.* 14. Sextò, non debet eſſe facta ſub ſpe impunitatis promiſſæ à Iudice, à Superiore majori non habente facultatem illam promittendi; quia tali pacto emanata non ſufficit ad condemnandum. *Farin. q.* 81. *n.* 280. *Guaz. def.* 20. *c.* 24. *n.* 1. niſi fuerit ratificata ſine tali promiſsione, & cum expreſſa proteſtatione de non habenda ulla ratione ad talem promiſſam impunitatem. *Guaz. ibid. n.* 8. & per talem confeſsionem, quantumvis non revocatam, puniri nequit niſi pœna extraordinaria, dummodo fuerit interrogatus ſufficientibus indicijs præcedentibus. *Menoch. de arbit. lib.* 2. *c.* 367. *n.* 4. Et tandem requiritur, ut confeſsio fiat coram omnibus Iudicibus; nam ſi eſſent tres Iudices, confeſsio coram duobus non valet, quòd intelligi debet, quando cauſa fuit omnibus delegata ſimpliciter, non autem ſi fuiſſet delegata cum clauſula. *Et ſi non omnes, ſaltim unum ex ipſis &c. Marſil. ſing.* 509. *&* 329. *Felin. in cap. qualiter, & quando il* 2. *§. licet autem n.* 9. *de accuſ.*

§. 3. Confeſſio, ut noceat confitenti, non debet eſſe erronea, quia tunc revocari poteſt, & revocata non nocet, & ſemper revocari poteſt uſque ad ſententiam, & etiam poſt ſententiam, dummodo Princeps confitenti in integrum reſtituat, docto de errore, & de legitima cauſa, ob quam revocatur, non obſtante, quòd fuerit juramento roborata. *Clar. q.* 55. *Tuſch. lit. C. concluſ.* 646. *n.* 14. & etiam quòd fuerit pluries geminata, ratificata, & jurata. *Cabal. caſu* 186. *n.* 5. & etiam in cauſa appellationis. *Farin. q.* 81. *n.* 327. 328. Quæ revocatio non debet eſſe ſimpliciter facta, niſi incontinenti illam revocaret, in quo caſu non eſt neceſſe probare errorem: & tunc dicitur incontinenti revocata, vel quando non eſt ſcripta in Actis. *Alex. conſ.* 92. *lib.* 5. *n.* 26; vel quando Reus nondum diſceſſit à conſpectu Iudicis, etiam quòd confeſſio ſit ſcripta in actis, & in arbitrio Iudicis reſidet quando confeſſio dicatur incontinenti revocata. *Farin. ibid. n.* 348. Et Alex. *conſ.* 71. *n.* 78. *lib.* 3. inquit, quòd quando revocatur infra tres dies, dicitur revocata incontinenti. Quando igitur talis revocatio facta eſt ex intervallo, Reus, vel eius defenſor debet docere de errore ipſiuſmet confeſſionis, dicendo, *quòd ſi N. confeſſus eſt tale delictum, & poſtea etiam ratificavit, (ſi ità eſt), nihilominùs erravit, ac erraſſe ſe dicit, & proteſtatur, ſeque offert probare talem errorem, & pro cauſa erroris adducit confeſſum fuiſſe, quia mens erat turbata, vel non ſana, vel quia ignorabat quid diceret, vel quia inadvertenter confeſſus fuit, vel quia perſuaſus fuit ab adverſarijs, vel quia tunc ſenſu carebat propter ſuam infirmitatem, vel quia non recordabatur, vel quia ira impeditus erat, vel quia propter indicia, quæ contra ſe urgebant, timebat torqueri*, & his ſimilibus cauſis adductis in ſpecie, & non in genere &c. Et una earum ſufficit, dummodo ſint veriſimiles, poſſibiles, & probabiles. *Et inſuper probare ſe offert rem aliter ſe habere, & ſe non feciſſe tale delictum, quia &c.* Et ſi cauſa adducta eſt veriſimilis, capitula per teſtes probanda, admittenda ſunt à Iudice, aliàs non facta dicta declaratione, articuli non poſſunt admitti. *Cavalc. de brach. reg. par.* 3. *n.* 208. *&* 225., & tunc Iudex debet dare reo congruum terminum ad ſe defendendum, & faciendum ſuas defenſiones: *Clar. q.* 65. Et ſi Iudex recuſaret præfigere terminum; gravaret reum, & eſſet locus appellationi; & in termino præfixo probandus eſt error, quo non probato, & elapſo termino præfixo

ſi Reus

ſi Reus petit admitti ad eamdem probationem non eſt audiendus; quia calumnioſè petere cenſetur. *Farin. conſ.* 16. *n.* 1. Errorque probatur, quando docetur rem aliter ſe habere. *Alex. conſ.* 102. *n.* 1. *Guaz. def.* 32. *c.* 10. *num.* 10. Et licèt error ſolùm probaretur in parte, nihilominùs tota confeſſio præſumenda eſt erronea. *Farin. q.* 81. *n.* 350. Et idem dicitur de confeſſione falſa in parte, quòd, ſcilicèt, tota præſumenda eſt falſa, itàut non ſit neceſſaria revocatio, ſed confitens eſt abſolvendus non allegato errore. *Soccin. conſ.* 82. *lib.* 3. *num.* 2. *Farin. ibid. n.* 22., *&* *conſ.* 19. *n.* 9. Immò ſi confeſſus eſt plura delicta, & in termino innocentiæ probaret errorem etiam in uno, reliqua cenſerentur non vera. *Decian. conſ.* 536. *n.* 10. *Soccin. conſ.* 82. *lib.* 1. *&* 126. *num.* 68. *lib.* 2. *Balt. var. qq. lib.* 2. *q.* 14. *num.* 11. *& ſeqq.*

§. 4. Privilegium ſpontaneæ confeſsionis in Reo eſt, ut non juxta totum legis rigorem, ſed mitiùs puniri debeat ſecundùm communem ſententiam, quam probant Simac. *c.* 55. *n.* 6. *de Hæret.* & Berrus *in c. At ſi Clerici de jud. n.* 88. quòd procedit in Iudice Ordinario etiamſi pœna eſſet certa, & à lege ſtatuta, non autem in Delegato. Ille autem dicitur ſpontè confeſſus, qui in primo examine nulla præcedente negatione delictum fatetur, & etiam dicitur ille, qui poſt negationem ſtatim confitetur, dummodo Accuſator, vel Iudex ex illa negatione non fuerint onerati probandi neceſſitate: Ille verò dicitur confeſſus metu probationum, cui aperto à Iudice ſtatu ſuæ cauſæ, & legitimè ab eo interrogatus, primò negat, & poſtea dubitans convinci fatetur, vel convictum ſe cernens, ac probationibus ſuperatum, vel tormentis adactum, illud faſſus fuerit: iſte enim nec pœnitens, nec ſpontè delictum confeſſus præſumitur, & idcircò cùm iſto non eſt mitiùs agendum, benè cum alio.

§. 5. Si Reus interrogatus à Iudice de delicto negat illud perpetraſſe, & poſtea metu probationum illud qualificativè fatetur, proteſtando, quòd fecit ad ſui defenſam; tunc nulli eſt dubium, quòd poteſt qualificatam ſuam confeſſionem probare. Et ſi qualitatem allegatam non probaverit, & delictum ſit plenè probatum poteſt condemnari in pœnam ordinariam *Farin. q.* 81. *n.* 129. *&* 133. Si verò delictum non eſt plenè probatum, & datis defenſionibus, indicia adhuc ſubſiſtunt, nec fuerint evacuata, quidam dicunt poſſe, & debere torqueri non obſtante confeſſione qualificata, & ſi tortus perſiſteret in tortura, aſſerendo, illud feciſſe ad ſui defenſam, eſſet abſolvendus. *Bertaz. conſ.* 27. *n.* 8. *Farin. q.* 81. *n.* 136. Alii tamen tenent, quòd poſsit condemnari in pœnam extraordinariam, dummodo reſponſio habeat principium affirmativum, non verò negativum, in quo caſu Cabal. *caſu* 17. tenet deveniendum eſſe ad torturam. Sed Farin. *loc. cit. nu.* 131. *&* 137. dicit, quòd tutiùs ſit ipſum extraordinariè punire, etiam in caſu, quòd in principio negaſſet, & qualitatem ſubſequentem confeſsioni adjectam non probaſſet, & rejicit opinionem contrariam torquendi Reum, ut pote in praxi non ſervatam.

§. 6. Sed quia de hac confeſſione qualificata variæ ſunt Doctorum opiniones, ideò placet hìc breviter illas reſtringere, advertendo primò Iudicem, quòd quando delictum eſt plenè probatum, qualitas excluſiva delicti, vel inducens minorationem pœnæ à Reo eſt probanda, aliàs puniendus eſt pœna ordinaria *Clar. q.* 55. *nu.* 16. &

16. & pro hujuſmodi probatione ſufficiunt conjecturæ, & præſumptiones. *Gomez de delict. c. 3. n. 27. & 28. Tuſc. lit. C. concl. 674. n. 6.* Advertat ſecundò, Iudex quòd ſi Reus faſſus fuiſſet delictum ſemiplenè probatum in tortura, incipiendo à negativa, & dicendo *Non percuſſi, & ſi percuſſi ad defenſionem meam feci*, idem eſt ac ſi abſolutè negaſſet. *Bertaz. conſ. 27. n. 7. & 8.* Immò *Farin. q. 81. n. 138.* dicit, quòd ſi hujuſmodi confeſſio excluſiva delicti emanata eſt in tormentis Reus eſt abſolvendus. Advertat tertiò, quòd ſi Reus in tortura incipit ſuam confeſſionem cum qualitate defenſionis adjecta incontinenti dicendo unico verborum contextu *percuſſi ad meam defenſionem* poteſt condemnari in pœnam extraordinariam non autem ordinariam, etiam quòd aliundè non probaſſet ſe feciſſe ad ſui defenſam. *Ità cum Surdo. conſ. 173. n. 164. lib. 2. contra Boſſ. & alios ſcrt t. Farin. qu. 81. n. 131. 135. Tuſc. ibid. n. 42.* Advertat quartò, quòd ſi Reus in tortura faſſus eſt delictum cum qualitate non inducente diminutionem pœnæ, ut ſi dicat v. g. ſe caſu, & fortuitò commiſiſſe delictum non poteſt dividi. *Surd. conſ. 173. n. 69. lib. 2.* Advertat quintò, quòd ſi Reus interrogatus ante torturam negavit, & poſtea confitetur cum qualitate defenſionis, poteſt torqueri, ut fateatur ſimpliciter ſine qualitate: tutiùs tamen erit omiſſa tortura illum in pœnam extraordinariam condemnare. *Bertaz. conſ. 27. n. 8.*, quia ſi torqueretur, & perſiſteret in negatione, vel in confeſſione qualificata, purgaret indicia, & eſſet abſolvendus; quòd etiam procedit ſi ante torturam interrogatus negavit, & poſtea in tortura confitetur cum qualitate, in tali caſu poteſt in pœnam extraordinariam condemnari. *Bertaz. ibid. n. 3.*

De Reo convicto. Regula Secunda.

§. 1. INter Reum confeſſum, & convictum hoc maximè intereſt, quòd convictus à Iudicis ſententia appellare poteſt, Confeſſus verò, niſi confeſſionem per errorem factam eſſe probaverit, poſt ſententiam appellare non poteſt, niſi forſitan appareret manifeſtus exceſſus in pœna inflicta, ut perſpicuum eſt in textu *in cap. Romana §. ſi autem de appel. in 6.* & confirmat Bald. *l. unica col. 6. verſ. ſequitur, & videre C. de confeſſis.* Hoc etiam diſcrimen inter confeſſum, & convictum intercedit, quòd Convictus ſolùm, & non confeſſus ſuis defenſionibus renunciare non poteſt, & ſi renunciaret, talis renunciatio non teneret, ut ait Clar. *q. 49. verſ. quæro nunc § fin.* Confeſſus verò ſuæ defenſioni renunciare poteſt in ſententia Baldi *in l. accuſat. col. 1. C. de accuſat.* Spontè enim confeſſus præſumitur, nullam habere defenſionem, aut exculpationi perpetrati delicti.

§. 2. Ille autem dicitur perfectè de delicto convictus, quando poſt datas defenſiones, adhuc contra ipſum remanet in Actis plena delicti probatio: undè ſi mediantibus defenſionibus nihil, aut levia ſolummodo contra teſtes, vel indicia oppoſuerit, arbitrio Iudicis poterit convictus judicari. Et quia juxta communem Doctorum ſententiam plura ſunt genera probationum, quibus mediantibus crimen contra Reum probari poteſt; ideò Iudex ad ipſa præcipuè attendere debet. Primum enim probatur delictum per teſtes conteſtes, ac omni exceptione majores idèſt, cui nihil poteſt opponi, & in omnibus concordantes, de loco, tempore, facto, circumſtan-

ſtantijs, & ſi non in omnibus accidentalibus, nè conſpiratio videatur, ut alibi diximus. *c. quod vero 2. q. 5. c. in omni negotio de teſtam. c. cum eſſes, & c. relatum de teſtam.* Secundum per indicia indubitata, ac violentas præſumptiones, quæ duobus ſaltem teſtibus omni exceptione majoribus probari debent. Item per argumenta, quæ clara, ac manifeſta eſſe debent: itàut animus Iudicis abſque dubitatione acquieſcat, nec de commiſſo delicto dubitet. *Bald. in l. ſciant cuncti. not.* 1. quod genus probationis vix diſtinguere poteſt ab indicijs violentis, & indubitatis. Tertium per inſtrumenta, ſchedulas, aut litteras, quæ delictum exprimant, quando hæc à Reo, ut propria recognoſcuntur. Poſtremò per evidentiam facti, aut depræhenſionem in fragranti crimine, ubi Iudex cum alijs eſt præſens: ſiquidem in tali caſu nullæ teſtium probationes requiruntur. *Boſſ. in crim. not. n. 7. &* 8., quia ſola evidentia facti cum præſentia Iudicis ſufficit ad condemnandum: ſecùs ſi Iudex non eſt præſens: nam etſi crimen coram populo perpetraretur, ante condemnationem per legitimos teſtes probari debet. *ut notat idem Boſſ. loc. cit.*

§. 3. Plena itaque delicti probatione exiſtente Reus convictus dicitur, & in hoc caſu non debet torqueri, cùm poſſit per depoſitiones teſtium condemnari: & nulli unquam tormenta applicanda ſunt cum aliundè veritas haberi poſſit, ut alibi adnotavimus: aliàs Iudex incideret in pœnas contra malè torquentes fulminatas; niſi ex probationibus aliquid reſultaret, quòd per confeſſionem Rei apparere deberet: & tunc torquendus eſt cum expreſſa clauſula *Citra præjudicium probatorum, de quibus eſt convictus. Marſil. l. 1. ff. de queſt. Clar. q. 64. Abb. in rubric. C. de queſt. n. 9.* Et Reus nunquam de crimine perfectè convictus dici poteſt, quamdiù ipſius cauſa in Iudicio pendet; quia cùm illi ſemper uſque ad ſententiam liberum ſit novas defenſiones producere, quibus teſtium depoſitiones, ac indiciorum probationes elidat, aut labefactaverit, vel minuerit, itàut plenam probationem abſtulerit, per conſequens poteſt etiam ità proceſſum debilitare, vel infirmare, ut omninò Rei nomen aboleat.

§. 4. Quòd ſi quis de delicto aliàs occulto per duos, vel tres teſtes convictus fuerit, is non publicè, ſed coram ijſdem teſtibus ſecretò puniendus eſt, niſi atrox delictum eſſet, cujus correctio cæteris tranſiret in exemplum. Et ſi Reus ipſe in Inquiſitione generali, vel alio quocumque modo, antequam infamia notus ſit, vel ab Accuſatore præventus, ſuum crimen Iudici fateatur, publicè puniri non poteſt, nec debet, etiamſi poſtmodum accúſatus eſſet; ſed illi coram Diffinitoribus, vel probatis aliquis Patribus, ſalutaris pœnitentia imponi debet, ſumpta tamen in ſcriptis ipſius depoſitione, nè relabandi occaſionem ex impunitate arripiat; nam ſic faciendo adinſtar illius Samaritani dum vinum infundit, oleum non prætermittit. Undè errant, ac profectò toto cœlo aberrant illi Iudices Religioſi; qui ex levi qualibet cauſa ad judicia properant, proceſſus conficiunt, & Iudiciales ſtrepitus excitant, quibus bonam Subditorum famam plerumque injuſtè conculcant, cùm illos communi, vel paterna correptione citra omnem Iudicij ſtrepitum benignè, & regulari modo corrigere poſſent, ac deberent.

De termino Defenſionum ante ſententiam. Regula Tertia.

§. 1. Cùm Reus liberè, & plenè in primo conſtituto confeſſus eſt delictum non eſt opus uti ſecundo conſtituto, niſi forſitan ad habendos complices, vel ad alium finem juxta Iudicis Prudentiam. Habita igitur dicta confeſſione, debet Iudex aſſignare Reo terminum ad ſe defendendum competentem, qui terminus poteſt prorogari uſque ad tertiam, vel quartam dilationem, cum ſpatio trium, vel plurium dierum pro qualibet ad arbitrium Iudicis, & juſtam Rei petitionem. Et quia defenſiones ſunt de Iure naturæ, Canonico Civili, & gentium, hinc eſt, quòd convictis quoque, & confeſſis ſunt dandæ, etiamſi ipſe Reus non petat, niſi in caſu quo confeſſus ſpontè illas renunciaret: quæ renunciatio non ſubitò acceptari debet, & eò minus ſuaderi, ſed neceſſe eſt expectare, quòd terminus aſſignatus dilabatur. Ut autem meliùs, & tutiùs Reus ſuas defenſiones facere poſſit, ei aſſignandus eſt à Iudice Conſiliarius (etiam ſi non petatur,) qui ſit unus ex noſtris Religioſis, quantùm fieri poterit in Criminali profeſſione peritus, ſive ex Conventu, in quo eſt Reus, ſive ex alio advocandus; qui nominari regulariter debet à Reo ipſo, & nominatus omninò concedi, dummodo illum Reus intra Ordinem, & Provinciam eligat, nè extra Ordinem Religionis ſecreta pandantur. Et qui extra Ordinem aliquem pro conſilio in criminalibus adjerint pœna convicti, vel confeſsi ex vi Statutorum *num. mihi 75. & 76.* puniri debent. Et ſicut nominatus ad Officium Conſiliarij, niſi rationabilem cauſam in contrarium adducat tale munus recuſare non poteſt, ſic poſtquam acceptavit, ab officio ſine notabili, & evidenti cauſa in proceſſu deſcribenda, amoveri, & impediri à Iudice non poterit: Quinimmò quoties voluerit, illi permittendum eſt, ut reum alloquatur, & cum illo tractare valeat ſine impedimento etiam extra Carceres, niſi aliter delicti ratio ſuaſerit. *Gloſſ. ſingul. in l. ex parte ff. de poſtulando. Pariſ. de Syndic. c. 2. n. 3.*

§. 2. Et licèt probabile ſit teſtes non citata parte examinatos probare apud nos, antequam tamen Iudex concedat Reo defenſiones, & Actorum copias, debet dare operam, ut Reus habeat Teſtes pro ritè, & rectè examinatos, ut etiam de Iure communi probent. Dixi de Iure communi; quia in Iudicio Regulari non eſt neceſſaria clauſula. *Habitis priùs teſtibus pro ritè, & rectè examinatis &c.* Cùm apud Regulares vigeat conſuetudo non repetendi teſtes parte citata, & per conſequens non eſt neceſſe, ut Reus ſe habere teſtes pro ritè, & rectè examinatos declaret. Undè benè poteſt dari copia atteſtationum ſine tali declaratione; quia ut dixi jam habentur teſtes pro ritè, & rectè examinati, ut probant P. Bover. *in diret. prax.* 1. & Bordon. *in prax. crim. c. 49. nu. 19.* Si tamen Iudex ad majorem cautelam vult uti dicta clauſula, debet apponere in Decreto, quòd teſtes examinati habeantur pro ritè, & rectè examinatis, ſine præjudicio ulterioris proceſſus, & examinis. Quòd intelligi ſemper debet, etiamſi expreſsè non apponatur; niſi reus confeſſus fuerit, quia confeſſione proceſſum legitimavit. *Navar. conſ. 356. Clar. q. 61. verſ. ſed quæro.*

Inſuper

§. 3. Inſuper danda eſt Reo copia indiciorum ex dictis teſtium ſummariè extracta Nomina verò Denunciantis, & Teſtium nullo modo Reis vel petentibus, vel non petentibus publicanda ſunt, ne in Religione, quæ eſt pacis, & concordiæ domus, graves inimicitiæ concitentur, niſi ubi, & quando ſine tali publicatione, juſtitia, ſeù Rei innocentia periclitaretur, cum hac tamen cautela, ut Teſtium nomina Iudex ab eorum depoſitionibus ſeparata aſſignet. *Bover. loc. cit. par.* 1. *c.* 37. Meliùs tamen, & conſultiùs eſſet in tali caſu dare eius Conſiliario totum proceſſum, ut poſſit illum non ſolum perluſtrare, ſed etiam Reo per extenſum legere, injungendo eidem Conſiliario ſub præcepto S. obbedientiæ, ne ſub quocumque prætextu Reo, vel alicuicumque alio dictum proceſſum legendum, aut videndum exhibeat, ſed ipſi Reo poterit legere ommiſſis Denunciantis, & Teſtium nominibus. Qui Conſiliarius tenebitur ſub culpa, & pœna inobedientiæ apud ſe proceſſum fideliter cuſtodire, itàut ad nullius, alterius manus pervenire valeat. Sic enim cantant noſtra Statuta *in* 4. *ſubſt. n. mihi* 119. remittitur tamen pio, & prudenti Iudicis arbitrio alterutrum Reis exhibere, prout timor Dei, fraterna Charitas, & juſtitiæ defenſio ſuaſerint. Copia verò proceſſus, in quo multi inquiſiti ſunt, & non omnes conſtituti, vel quia aliqui ipſorum ſunt contumaces, vel ex aliqua alia rationabili cauſa non debet dari, niſi priùs ſocii in contumaciam condemnati fuerint: & tunc ſociorum nomina non deſcribantur. *Clar. q.* 44. *Ambroſin. lib.* 3. *c.* 11. *n.* 58.

§. 4. Exceptiones quæ à Reo, vel ab eius Conſiliario tàm contra Teſtes, quàm adverſus Denunciatorem, & etiam ipſum Iudicem offeruntur accuratè ab eodemmet Iudice examinari debent, & ſi legitimæ fuerint, ac juſtis rationibue ſuffultæ admitti debent. Articulos verò impertinentes, qui nec directè, nec indirectè Cauſæ adminiculantur, itẽ infamatorios, dummodo neceſſarii omninò non eſſent ad defenſiones, Iudex prorsùs recipere non debet, ſed alios rejicere, alios corrigere, prout charitatis zelus juſtitiæque complementum ipſi dictaverit, cauſas correctionis ſemper apponendo. Teſtes qui à Reo in ſui defenſionem audiendi exhibentur, diligenter à Iudice examinari debent, & ſi negant vel dicant nullo modo delictum fuiſſe à Reo commiſſum, & nullam negationis cauſam afferant, nihil probant. Si verò deponant ſuper negativa loco, tempore, vel perſona coarctata, dicendo tali loco, tempore, & à tali perſona minimè perpetratum fuiſſe delictum, & cauſam talis negationis, & hujuſmodi circunſtantiarum probabilem afferant, tunc magis, vel minus juxta ipſarum rationum probabilitatem Iudicis arbitrio judicandam, probant. Et ſi teſtes contra ipſum examinatos Reus petat iterùm examinari, examinentur ex noſtris Statutis *in* 4. *ſubſt. n. mihi* 119. In repetitione autem ſervanda ſunt omnia, quæ in primo examine obſervata fuerunt. Et ſi teſtis repetendus petat ſibi legi ſuam primam depoſitionem, legenda eſt per extenſum, ut memoriæ lapſui conſulatur: & ſi Reus articulos producat ſuper quibus inſtet, ut teſtes, qui repetendi ſunt, interrogentur, recipi, vel reijci, arbitrio Iudicis remittitur. *Clar. q.* 43. *&* 45. *item q.* 23. *Scacc. c.* 86. *n.* 48. 55.

§. 5. Et licèt Reus in termino ſibi dato teneatur ſuas defenſiones facere; attamen ſi Reus etiam poſt terminum velit adducere articulos concernentes eius defenſionem, Iudex tenebit illos recipere, in quocumque tempore producantur. Et quan-

do publicatis atteſtationibus fiſcus novos teſtes producit contra Reum prout facere poteſt, Reo pariter dandus eſt novus terminus, ut poſſit ſe defendere contra noviter reperta, qui poteſt etiam adducere alios teſtes poſt publicationem in ſuam defenſionem. *Ricc.dec.34. Cart. dec.47.n.10.* aſſerens, quòd licèt ſint Doctores in hoc pro, & contra, tamẽ magis communis, æquior, & benignior opinio eſt, quòd in criminalibus teſtes ad inſtantiam, & defenſionem reorum poſſunt recipi, & examinari etiam poſt publicatas atteſtationes; quia ſemper eſt favorabilior cauſa defenſionis, quàm offenſionis. *Boſſ. in pract. in tit. de defenſ. n.2. Guaz. def. 29. cap. 3.* & ideò Iudex debet eſſe facilior in abſolvendo, quàm in Reum condemnando, cùm melius ſit nocentem abſolvere, quàm innocentem condemnare. *Barboſ. axiom. 1. nu. 9. & 10. Farin. conſ. 1. n. 8. conſ. 75. lib. 1. & conſ. 65. n. 127. lib. 1. l. Arrianus 46. de oblig. & action. l. abſentem 5. ff. de pœnis.* Et in dubio Iudex Reum abſolvere debet, etiam quòd probationes fiſci, & Rei eſſent pares, ut notat Decian. & alii, quos refert, & ſequitur *Maſcar. de probat. concl. 36. n. 13. & n. 26. lib. 1. Decian. conſ. 59. n. 7. lib. 3. Surd. conſ. 173. n. 57. lib. 2. Guaz. def. 29. c. 1. nu. 2.* Immò ſi probationes fiſci in aliquo ſuperant probationes Rei etiam eſt abſolvendus. *Maſc. ibid. n. 29.* ubi quam plures adducit ità ſentientes. *Guaz. def. 29. Farin. conſ. 35. n. 9.* cùm ſemper ut diximus, & habetur in Iure *l. favorabiliores ff. de Re. iur.* cauſa Rei favorabilior debet eſſe, quàm Actoris, & præſertim apud Regulares, qui ſimul Iudicis, & Patris perſonam induere debent.

De condemnatione, & abſolutione Reorum. Regula Quarta.

§. 1. REdactis à Conſiliario in ſcriptis Defenſionibus ſui principalis, debet illas intra terminum præfixum Iudici præſentare ſive per ſe, ſive per Reum prætenſum. Et Iudex cum ſuo Decreto tenetur illas in Actis inſerere, & adamuſſim ipſas maturè, & diligenter conſiderare. Et ſi adhuc legitimis probationibus Reum ipſum convictum agnoverit, vel propriam confeſsionem nõ evacuaverit, (quando eſt convictus, & confeſſus) ad pœnam ordinariam illum condemnare debet, vel extraordinariam ſi delictum erit tantùm ſemiplenè probatum, ut ſtatuitur in noſtro modo procedendi *in 4. ſubſt. n. mihi 170.* Si verò in defenſionibus evacuavit teſtium dicta, ac per torturam exterſit indicia, ità quòd à crimine impoſito ſeipſum purgaverit, erit abſolvendus; quia ſicut ex Iuris præſcripto nemo condemnari poteſt ad pœnam ordinariam niſi delictum ſit plenè probatum, nec ad extraordinariam, niſi ſemiplenè, ſic à lege ſancitum eſt, ut Actore non probante, vel legitimis probationibus deficientibus Reus abſolvatur. *l. qui accuſare C. de edendis. & Iaſon in l. non eſt novum n. 5. C. de edendis.*

§. 2. Nonnulla tamen tàm in Reorum condemnatione, quàm abſolutione Iudex obſervare debet. Primum eſt, ut antequam ad ſententiam ſive abſolutoriam, ſive condemnatoriam accedat, Reum ipſum ad illam audiendam cum ſuo Conſiliario citet (quidquid in contrarium dicat P. Bover. *in direct. cap. 39. verſ. 5.*) cùm talis

citatio

citatio ſit unum ex ſubſtantialibus Iudicij etiam ex noſtro modo procedendi *in 2. ſubſtan. n. mihi 96.* ità quòd ſi pars non citetur ante prolationem ſententiæ, ſententia ipſa eſſet nulla. *Clem. ſæpè §. fin. de verb. ſignif. Bald. in l. fin. C. de legibus. Fe in. in cap. quem Eccleſiarum nu. 66. de conſt.* & Iudex peccaret mortaliter. *Navar. in manual. c. 25. n. 16.* etiam ſi in cauſa procedatur ſummariè. *Alex. conſ. 42. nu. 3. lib. 4. Tuſc. lit. S. concl. 152. n. 48.* Tres enim ſunt citationes ſubſtantiales Iudicij; prima eſt citatio ad reſpondendum de qua ſupra dictum fuit. *Aret. conſ. 110. nu. 40. Tuſc. lit. S. concl. 157. n. 1.* ſecunda eſt citatio ad ſe defendendum, quæ fit, quando datur Reo terminus ad ſe defendendum cum copia repertorum. tertia eſt ad audiendam ſententiam diffinitivam tali die. *Menoch. conſ. 345. n. 14. Barboſ. in Clem. ſæpè de verb. ſignif. n. 24.* Et non ſufficit citatio generalis ad Cauſam, vel ad audiendum Iudicem, ſed debet eſſe ad audiendam ſententiam nominatim. *Vant. tit. de nullit. defect. citat. n. 56. Rot. deciſ. 17. n. 1. de ſent.* Nam ſententia debet eſſe lecta, & lata. *Soc. jun. conſ. 8. vol. 1. n. 6. Bajard. q. 93. nu. 8.* quamvis procedatur ſola facti veritate inſpecta. *Put. de ſindic. verb. ſent. c. 22. n. 12.* Et debet ferri ea die, & hora, qua cadit citatio, aliàs ſi fuit lata alia die, vel hora dicitur nulla, tanquam lata parte non citata. *Veſt. in pract. lib. 6. c. 2. nu. 53. Tuſc. loc. cit. concl. 152. nu. 21.* Et debet etiam ferri, & publicari præſente Reo, ſi eius præſentia haberi poſſit. *Boſſ. tit. de ſent. n. 15.* Et ſi eſt abſens Iudex curare debet, ut illi intimetur coram Teſtibus, qui ad actum ſe ſubſcribant.

§. 3. Secundum eſt, quod cùm de graviſſimis delictis agitur, Reus juxta noſtrũ procedendi modum *in. mihi 68*, non condemnetur niſi priùs conſulto Adm. R. P. Generali. Quòd ſi commodè eius conſilium habere non poſſunt ob magnam ipſius diſtantiam, Iudices noſtri conſulant Adm. R. P. Procuratorem. Tertium eſt, ut Iudex tàm in condemnatione, quàm in abſolutione Reorum maturo conſilio procedat, proceſſum diligenter proprijs oculis inſpiciat, teſtes conſideret, indicia perpendat, & nihil ex neceſſarijs prætermittat, nè quid injuſtè, aut præter Iuris ordinem fiat, *ut habetur in c. Summoperè 1. q. 3.* Et ſi in condemnatione, vel abſolutione Reorum adhibebit conſilium peritorum, optimum erit conſilium. Et tandem ſciat Iudex, quòd ſicut in dicta condemnatione, vel abſolutione non poteſt excedere limites proceſſus, ſed tantùm juxta allegata, & probata in proceſſu ferre debet ſententiam: ut omnium ferè Doctorum conſenſu firmatum eſt, aliàs ſententia eſſet injuſta: Sic etiam debet ſe abſtinere à nimia Iuris ſubtilitate, quæ aliquando legibus ipſis eſt odioſa, *ut notat cap. Hi etenim diſt. 49.* Quare Iudici ſatiùs erit communem praxim in judicando amplecti, quæ legitima eſt legum, ac veritatis interpres.

§. 4. Et quia duplici modo quis abſolvi poteſt; primo, quando de plano, ac perfectè propriam innocentiam per teſtium expulſionem, ac indiciorum purgationem ſine tortura probavit, in quo caſu diffinitivè, ac ſimpliciter à Iudice per ſententiam abſolvendus eſt; *Clar. qu. 57.* ità quòd de eodem crimine non poſſit ampliùs moleſtari etiam novis ſupervenientibus indicijs. Secundo, quando propriam innocentiam non probavit, ſed duntaxàt levia indicia, quæ ex proceſſu contra ipſum reſultabant abſterſit, vel etiam vehementia per torturam purgavit; iſte enim

cùm non poſſit in nulla, neque extraordinaria pœna condemnari à Iudice erit abſolvendus non quidem abſolutè, & ſimpliciter, ſed cum clauſulis *Ex hactenus deductis* &c. vel *Rebus ſic ſtantibus* &c. vel *Servato tamen Iure* &c. Et in hoc caſu poteſt moleſtari novis ſupervenientibus indicijs, & etiam torqueri, ſi dimiſſus ſit in defectum probationum cum clauſulis ut ſupra abſque tortura, *ut docuerunt Farin. infrag. n. 27.* & prius dixerat *in tit. de Inq. q. 4. n. 27. Guaz. def. 2. c. 7. num. 5. & def. 29. cap. 1. in fine*. Advertere tamen debet Iudex, quòd indicia, quæ ſuperveniunt non debent eſſe de illis, quæ in proceſſu antea extabant, ſed diverſa; quia ſuper primis jam purgatis, non poteſt fieri fundamentum etiam ſi meliùs probarentur, cùm tunc non dicatur ſupervenire novum indicium, ſed nova veritatis indicij probatio. Nova enim indicia dicuntur illa, quæ differunt à veterum ſpecie, vel ſubſtantia; ut ſi prima indicia erant de mala fama, vel de inimicitia, & poſteà ſupervenit teſtis de viſu, & ſimilia, *ut declarant Guaz. def. 2. q. 7. num. 18. Farin. conſ. 93. n. 43. & ſeqq.* Item indicia ſupervenientia debent eſſe gravia, & ſufficientia ad torturam, & non aliter, *ut docent Boſſ. in tit. de ſent. n. 61. Clar. in prat. § fin. q. 46., & multi alij citati ab Ant. Conciolo reſolut. crim. reſp. 1. n. 4.*

De Pœnis Reo inferendis. Regula Quinta.

§. 1. Cùm Iudicis munus præcipuè delicta punienda, & emendanda reſpicere debeat, placet hîc delictorum adnotare diſcrimina, & ſingulis delictis ſingulares applicare pœnas juxta Religionis noſtræ Statutum, quòd pro Iure gentium apud nos haberi debet, & à quo dictæ pœnæ deſumendæ ſunt. (Et idem dicitur de alijs Religioſis, qui & ipſi debent deſumere pœnas taxatas ex cujuslibet ſuæ Religionis ſtatutis) & ubi pro aliquo ſingulari crimine taxatæ non eſſent, pœna pro delicti gravitate compenſata, ex ſimilibus ſunt venandæ vel ex Sac. Canon. deducendæ, & deficiente Iure Canonico à Iure communi vel Civiles deſumendæ, ſeù ex Ordinis noſtri uſu, vel à Conſtitutionibus, ſive à conſuetudine ſunt eliciendæ, ut aiunt noſtra Statuta *n. mihi 67.* Pœna Triremium, cùm Religioſos viros minimè deceat, neque unquam à noſtra Religione approbata, aut Ordinis Statutis comprehenſa fuerit, procul à noſtris Iudiciis arcenda eſt: cùm enim id ſupplicii genus, teſte Navarro *in cap. nullum 18. q. 1.* perditorum hominum ſit, quo non meliores, ſed ſemper deteriores fiunt: illud procul dubio non exiguas bono Religionis nomini tenebras offundit: Et idem dicitur de pœna Ergaſtuli, in quam quoad Sacerdotes commutari ſolet illa Triremium. Quo fit, ut cùm hactenus nunquam apud nos receptum ſit noſtros Religioſos ad dictas pœnas condemnare, nullo quoque uſu introduci debeat.

§. 2. Delicta ergo, ut ad rem deveniamus, vel ſunt levia, vel gravia, vel graviora, vel graviſſima. Levia ſunt quotidiani defectus, ut ſi quis ad Officium tardè venerit, ſi ſilentium fregerit, ſi cibum, vel potum ſine licentia ſumpſerit, & alia hujuſmodi, quæ quotidianis pœnitentiis in Refectorio à Prælatis, & Superioribus corriguntur. Gravia ſunt, ut ſi quis Confeſſionem, vel Communionem à Conſtitutionibus præſcriptam omiſerit. Si quis miſſam tempore debito non audierit.

Qui

Qui ſæpiùs, quàm par eſt celebrare omiſerit. Qui jejunium Eccleſiaſticum, vel Regulare ſemel, aut iterùm fregerit. Qui ſacrarum litterarum verbis inter loquendum abuſus fuerit, vel ſimilia. In his igitur delictis Provinciales, & Guardiani, vel eorum ſubſtituti ſine ullo proceſſus ſtrepitu procedant, remota omni appellatione. Si quis autem appellaverit, à pœnitentia regulari velut diſciplinæ, jejunii panis, & aquæ, & ſimilium Caparone per integrum die puniatur, quòd ſi intra ſpatium 24. horarum reſcipiverit, pro Caparone præcedens pœnitentia duplicetur. Sic enim cantant noſtra Statuta *n. mihi 3.*

§. 3. In gravioribus autem, & graviſſimis delictis Generales, & Provinciales tantùm, & eorum Commiſſarii proceſſum Iuridicè formare poſſunt. Guardiani verò & eorum Vicarii in caſibus urgentibus, & ubi periculum eſſet in mora tamquam Provincialium Delegati proceſſum conficere poſſunt & ipſi, & de conſilio Seniorum ipſius loci, ſeù Conventus ad cuſtodiam. (ubi fuga timetur) in Carcerem detrudere, deindè Provincialem, ſeù Commiſſarium certiorem facere tenentur. Nè autem Iudices noſtri in incertum laborent, placuit hîc ad ipſorum inſtructionem pœnas pro ſingulis delictis tàm gravioribus, quàm graviſſimis in noſtris Statutis taxatas aſſignare, in quibus proceſſum formandum eſſe diximus.

§. 4. Primo. Qui Fratrem extra Iudicium notabili infamia affecerit, reſtituat primo famam publicè in Refectorio, & ſi à Prælato neceſſarium videbitur in publico Capitulo Provinciali, deindè portet Caparonem per ſex menſes, & privatus ſit utraque voce per annum, & graviori pœna etiam mulctetur ſecundùm infamiæ gravitatem, & perſonæ infamatæ conditionem. 2. Eadem pœna puniatur, qui in judicio excipiendo crimen alicui impoſuerit, quòd non poterit probare ſaltem ſemiplenè, & pariter in Iudicio ſe retractet pro famæ reſtitutione: Eadem ſimiliter pœna puniatur Denunciator, qui falſum denunciaſſe repertus fuerit. 3. Qui contumelias graves, & enormes, velut (ut vulgò dicitur) mentitas fratri objecerit, privatus ſit utraque voce per annum: Si verò Prelato injuriam fecerit, vel mentitam, præter privationem, Caparonem per duos menſes gerat. 4. Qui falſum teſtimonium in Iudicio dixerit, puniatur pœna talionis. 5. Qui fratrem percutere minatus fuerit, privetur utraque voce per annum. 6. Qui ferro, vel alio inſtrumento aggreſſus fuerit non ſequuta percuſſione detrudetur in carcerem per ſex menſes; Quòd ſi minæ, vel aggreſſio fuerit contra Prælatum pœna duplicetur. 7. Qui manu, vel pugno percuſſerit per ſex menſes carcere puniatur; ſi percuſſiones fuerint plures, pœna augeatur. Si ſuperior percuſſus fuerit, pœna duplicetur. 8. Qui litteras Superioris interceperit, vel aperuerit, utraque voce per duos annos privetur, & in Carcerem per ſex menſes detrudetur. Si verò fuerit Prælatus, vel inſignis aliqua perſona id fecerit utraque voce per tres annos ſit privatus. Nomine autem inſignis perſonæ intelligitur is, qui ſit, vel fuerit ſaltem Deffinitor. Si autem tantummodò retardaverit, vel impediverit privetur biennio activo, & paſſivo ſuffragio. 9. Qui rei notabilis furtum commiſerit, Caparonem portet per ſex menſes, dicendo culpam quotidie pro eo tempore more Novitiorum. 10. Qui contumaciter inobediens fuerit duobus menſibus Caparone mulctetur, & cui talis pœna rationabiliter convenire non videbitur, privetur per annum utraque voce. 11. Qui

Viſi-

Viſitatorem recuſaverit, aut eius impediērit officium in Viſitatione Generali exilio puniatur ad arbitrium Patris Generalis. 12. Qui proprietarius repertus fuerit in re notabili biennio activa, & paſſiva voce privetur. Et juxta Ordinis noſtri Conſtitutiones privatus exiſtat per id tempus omnibus officijs. Quòd ſi in morte talis repertus fuerit (quòd abſit) privetur Eccleſiaſtica ſepultura. 13. Qui pecuniam pro ſe, vel pro alijs ſine Provincialis licentia procuraverit, expenderit, vel xpendi fecerit proprietatis pœna puniatur. 14. Qui ſecreta Religionis extra ipſam revelaverit, privetur prælatione per tres annos, & cui iſta pœna non convenerit per ſex menſes Caparone puniatur. 15. Qui litteras injurioſas, aut contumelioſas Superioribus ſcripſerit, puniatur pœna diſciplinæ, & jejunij in pane, & aqua in publico Refectorio, & graviùs pro qualitate injuriæ, & perſonæ. 16. Qui in ſuſpecto conſortio repertus fuerit legitimè per quinquennium privetur. Et ſi Prælatus, aut inſignis aliqua perſona fuerit Caparone per ſex mēſes puniatur, quòd ſi indicia adſint ſufficientia ad ulteriora procedatur &c. Et prætereà ſi in hoc ſæpè delinquere ſolitus fuerit ab officijs Ordinis abſolvatur ad arbitrium Prælati. 17. Qui ad actum carnalem quamcumque perſonam ſollicitaſſe convictus, vel confeſſus fuerit in carcerem per annum detrudatur jejunando ut ſupra, & utraque voce per triennium privetur, & Prælatura per decennium. 18. Qui tactus impudicos, aut oſcula habuerit cum aliqua perſona, ultra prædictas ſollicitationis pœnas flagelletur etiam in Refectorio coràm fratribus ſpatio unius Miſerere. 19. Qui libros imprimere fecerit ſub proprio, vel ementito nomine ſine licentia Generalis in ſcriptis habita juxta Conc. Later. Decretum excommunicationis latæ ſententiæ pœna innodatur, & omni actu legitimo ipſo facto privatus exiſtat. Sunt autem actus legitimi legere, prædicare, eligere, eligi, Viſitare, Deffinire, & ad Ordines promoveri. Et hæc XIX. delicta apud nos connumerantur inter graviora. Graviſſima autem ſunt ſequentia.

§. 5. Primo. Qui in fornicationem lapſus fuerit, ter publicè flagelletur, detrudatur per tres annos in carcerem, ubi jejunet ut ſupra, & in perpetuum utraque voce, & Ordinum Officiis, nempè, legendi, prædicandi, Confeſſiones audiendi, & quacumque prælatura privatus exiſtat. Quòd ſi lapſus fuerit graviori fornicatione, videlicèt, Adulterii, Stupri, Inceſtus, graviùs etiam puniatur. 2. Qui peccatum enorme commiſerit, ſeù innominabile ter igne circundetur in ſignum debitæ pœnæ, coràm fratribus maturis in Refectorio flagelletur, & in perpetuum carcerem detrudatur, ibique ter in hebdomada pane, & aqua jejunet. 3. Qui ferro vel alio inſtrumento percuſſerit proditoriè, ſive ex inſidiis non ſequuto vulnere per duos annos detrudatur in carcerem, & jejunet ut ſupra, & poſtea per tres annos privatus exiſtat utraque voce. Si ſequutum fuerit vulnus per tres annos detrudatur in carcerē. Quòd ſi tale delictum cum duobus ſequentibus ſit contra Prælatum duplicetur pœna. 4. Si ſequuta fuerit deformatio, ſeù mutilatio per ſex annos. Si mors ſubſequuta fuerit in perpetuum, & omnes iſti jejunent ut ſupra, & priventur in perpetuum. 5. Eadem pœna puniatur, qui venenum propinaverit, morte ſimiliter ſequuta, quòd ſi mors ſubſequuta non fuerit puniatur pœna percuſſionis proditoriè, & ex inſidijs cum ferro non ſequuto vulnere, non ſequuta morte. 6.

Sub-

Subornatores in Electionibus, ſivè procurantes vota per ſe, ſivè pro alijs, pœna juxta Decreta Clem. VIII. ab Urbano VIII. confirmata puniatur, nempè privationis vocis Activæ, & paſſivæ, & officiorum quæ obtinent eò ipſo, & inhabilitatis ad futura quæcumque. 7. Qui intra ſepta Monaſterij temerè ſeptennio majores Mulieres introduxerit in pœnas, & cenſuras à Iure ſtatutas incurriſſe declaratur, nempè Privationis Officiorum, quæ obtinet, & inhabilitatis ad illa, & alia omnia, & ſuſpenſionis, & excommunicationis ipſo facto. Qui verò introduxerit Minores ſeptennio, majores autem ſexennio puniatur pœna arbitraria. Qua etiam pœna arbitraria puniantur introducentes mulieres abſque licentia Superioris ſaltem localis in Sacriſtiam, etiam ſi Sacriſtia non ſit ex illis, ad quas non patet ingreſſus, niſi per Clauſuram. Nunc verò extat Decretum Sac. Congregationis Epiſ. & Reg. emanatam *die* 1. *Iunij* 1685., virtute cujus ſtatuit mulieres adultas cujuſcumque conditionis, & ætatis Sacriſtias, nec non Viridaria, Pomaria, Hortos, & Sylvas eiſdem continguas tàm apertas, quàm muris, & ſæpibus circundatas ingredientes, nec non Capuccinos illas introducentes, aut non impedientes pœnas contra violantes Clauſuram eò ipſo incurrere. Mulieres verò adhuc non adultæ ætatis dicta loca ingredientes ſubjacere debere pœnis arbitrio Ordinarii locorum imponendis. 8. Qui manum, vel ſigillum, vel litteras obedientiales Generalis falſificaverit per duos annos in carcerem detrudatur; qui Provincialis per annum carcere puniatur: qui verò Superioris localis prædictas falſificaverit, aut finxerit, ſexies faciat diſciplinam, & ſexies pane, & aqua flexis genibus jejunet in Refectorio. 9. Qui libellum famoſum ſub proprio, aut tacito, vel ementito nomine contra aliquem compoſuerit, ſcripſerit, vel publicaverit, detrudatur in carcerem per annum ter in pane, & aqua jejunans, & per triennium utraque voce privatus exiſtat; quòd ſi perſonas in dignitate conſtitutas libello prædicto offenderit, pœna duplicetur. 10. Qui falſum teſtimonium in Iudicio depoſuerit contra aliquem detrudatur in Carcerem per annum, qui verò ad defenſam per ſex menſes, niſi mitiori pœna reus ipſe, ſive principalis veniat puniendus, & tunc carcer in caparonem commutetur. Idem dicendum eſt de teſte, qui in ſecundo vel alio Iudicio contraria primo ſuo examini depoſuerit, ſive per fidem juramento firmatam niſi plenè docuerit de errore, ſuper quibus pœnis non poſſit diſpenſari, niſi per Capitulum Generale.

§. 6. In prædictis autem pœnis aſſignatis declarant noſtra Statuta *n. mihi* 68. liberos fore Provincialibus, ut eas augere vel minuere poſſint juxta aggravantes, & alleviantes circunſtantias, quòd ſanè intelligendum eſt: nam in pœnis ordinariis infligendis, in quibus nulla aut extenſionis, aut remiſſionis cauſa pœnarum ſuppetit, pœnam à lege vel à Statutis & Conſtitutionibus taxatam, Provinciales, & multò minus eorũ Delegati neque augere, neque minuere poſſunt cùm pœna ordinaria ſit, quæ a lege, vel ſtatuto taxata eſt. Sed ſolùm id fieri licebit, quando accedent aggravantes, vel alleviantes circunſtantiæ, quòd non ad Ordinariam, ſed ad extraordinariam pœnam, ut infra dicemus, ſpectat: quo fit, ut in ordinaria pœna imponenda, ubi nullæ ſunt aggravantes, vel alleviantes circunſtantiæ, Iudex ab earum præſcripto recedere non poſſit ſub pęna nullitatis, ut communiter docent Doctores, nemine diſcrepante. Erunt tamen ſemper augendæ, ut dicunt noſtra Sta-

tuta *ibid.* ubi delicta ejuſdem ſpeciei fuerint repetita. Nihilominùs ſi pœnæ à lege pro delicto taxatæ non fuerit Reus capax, Iudici procul dubio licebit, eam in aliud pœnæ genus commutare, quòd illi omnibus ritè conſideratis æquipolleat: ut omnium ferè Doctorum conſenſu receptum eſt. *Bald. in l. noverint. n. 5. c. intra certum tempus.* In quo caſu animadvertere debet Iudex, ut cùm pœnam à lege, vel ſtatuto taxatam auget, vel minuit, cauſam in ſententia exprimat: non quidem ſpecialem, ſed tantùm in genere, quæ ipſum ad legis moderationem permovit: ut communiori ſententia receptum eſt. *Felin. in c. ſi cum col. 10. Clar. q. 85. verſ. ulterius quæro. Bald. & plerique alij.* ità ut in ſententia id apponi ſufficiat: nempè: *Iuſtis, & rationabilibus de Cauſis animum noſtrum moventibus.*

§. 7. In extraordinariis autem pœnis inſligendis (quæ debent eſſe majores, vel minores pœna ordinaria) Iudicis prudentia, ac maturitas maximè elucere debent, nè vel debitos juſtitiæ limites puniendo excedat, vel minori pœna, quàm delicti gravitas ferat, Reum afficiat. Pœna enim ad hoc ut ſit juſta ex culpa, & delicto debet commenſurari *cap. Felicis §. Illud autem de pœnis in 6. Cravet. conſ. 45. n. 15.* Ubi dicit, quòd ſi delictum eſt parvum, pœna debet eſſe modica; quia Iuſtitia nihil aliud eſt, niſi æqualitas. *Cap. cum quidam Iurejur. in 6. Menoch. q. 90. n. 38. & q. 83. n. 2. Scacc. de Iudic. lib. 1. c. 58. n. 12. Tuſch. lit. P. concl. 211. n. 1.* Undè diligenter, & maturè conſiderare debet circunſtantias criminis aggravantes, vel minuentes, & ſecundùm illas Reum plectere pœna extraordinaria, ſcilicèt, majori, vel minori pœnæ ordinariæ: ut ſi delictum fuiſſet v.g. in multorum ſcandalum: Vel ſi quis de ſuſpecto conſortio convictus, Iudex malo ſaltem dolo caruiſſe deprehenderit, nam ſicuti hunc minori ſic illum majori, quàm ordinaria pœna affici æquum erit: quia Iudex, qui majorem, vel minorem pœnam, quàm à lege determinata eſt ſine juſta cauſa imponit, infamis efficitur, *ex l. Servos C. ad leg. Iul.* Et Iudex eadem pœna eſt puniendus, qua Reus *ex l. 3. in fin. C. ne Sanctum Baptiſ.* Sententiaque ab eo lata nulla ipſo Iure cenſetur, *ut ait Inciſa tract. 10. cap. 9.* niſi pœna ſit poſita in Iudicis arbitrio, aut crimina ſint tantùm ſemiplenè probata, aut Reus non poſſit torqueri *Clar. loc. cit. Farin. q. 17. n. 7. Barboſ. qui alios citat in cap. de cauſis num. 11. & 14. de offic. Deleg.* Benè poſſunt prælati majores, ut ſunt Generales Ordinum diſpenſare in taxatione pœnæ factæ in Iure proprio Ordinis non autem in Iure communi ſed tantùm poſſunt ipſum Ius commune cum juſta cauſa moderare in taxatione pœnarum. Prælati autem inferiores, & Iudices Ordinarii non poſſunt augere, vel minuere, vel commutare pœnam ſtatutam à Iure communi, vel particulari Religionis, niſi conſulto Superiore majore, & niſi cauſa ſit intrinſeca, & cohærens delicti. *Farin. q. 17. n. 67.*, nam à pœna ordinaria, ut ſupra diximus, non eſt recedendum, quando præcedit plena delicti probatio. In Reis tamen ſolitis delinquere poſſunt Iudices etiam inferiores ex aliqua juſta cauſa pœnam ordinariam augere. *Sanchez. ibid. n. 11. 12. Clar. q. 21. Farin. q. 23. n. 1.* Et ſufficit binus actus ad augendam pœnam. *Farin. ibid. nu. 16. Cartar. dec. 11. num. 13.*

§. 8. Et idem dicendum eſt de pœnis arbitrarijs, quæ vel propter a[...] criminum, vel per inſolitum peccandi genus, vel ob delicti pœnam [...]

cis reſervatam, nullum in Iure, vel Statuto ſupplicij genus præſcriptum habent. Undè quantumvis in his pœnis decernendis Iudex poſſit eas ex arbitrio imponere, debet tamen, ut monet Innoc. *in c. qualiter, & quando, & q. 2. col. fin.* ità ſe ipſum legibus conformare, ut de ſimilibus ſimilia eliciat; & præcipuè attentè conſiderare debet, ac maturè perpendere in primo loco criminis naturam, gravitatem, atrocitatem, & circunſtantias; Deindè delinquentis perſonam, conditionem, & gradum; an, ſcilicèt, ſit ſolitus delinquere, an cum ſcandalo, an provocatus, vel ſpontè, aut ex libidine deliquerit. Et tandem loca, ac tempora patrati ſceleris diſcutiat; an videlicèt in loco ſacro, vel profano, an ſolus, vel cum ſocijs &c. Et quia Prælatura, ut inquit Paſſar. *de qualit. eligent. cap. 25. nu. 619.* divitijs comparatur, & eſt bonum ſublimioris ordinis, idcircò privatio Guardianatus, vel Prioratus, ſive vocis activæ, & paſſivæ, vel inhabilitas eſt pœna graviſſima, & duriſſima: undè per conſequens nullo modo competit, ſubdit idem Paſſar. *ibid.*, nec de Iure competere poteſt levibus defectibus, immò nec gravibus. Quare Iudices Regulares cautè procedere debent in tali pœna graviſſima infligenda. Quæ gravitas augetur ex eo, quòd regulariter, ut Suarez. fatetur *lib. 5. de legib. c. 7. & tom. 5. de cenſ. diſp. 3. ſect. 1.* non poteſt quis exequi hanc pœnam ſine propria infamia, dum talis privatio inhabilitat tàm ad ferenda, quàm ad conſequenda ſuffragia in quacumque electione, vel negotio, quod in Capitulis expediri ſolet, ut ex Navar. & alijs tradit P. Vecch. *de Novit. diſp. 12. dub. 5.* ex quo colligitur, quòd talis pœna non eſt purè privativa, ſed talis, cujus executio in actione conſiſtit, & quidem multum afflictiva humanæ infirmitatis, ſcilicèt, in actuali, & poſitiva ſpoliatione Prælaturæ jam collatæ. *Paſſar. loc. cit. nu. 617.* De Pœnis à Iure ſtatutis conſule P. Did. à Meſſan. *p. 7. c. 6.*

De diminutione, & extenſione Pœnarum.
Regula Quinta.

§. 1. EXplicatis his, quæ ad pœnam ordinariam Statutariam ſpectant, ac indicatis illis, quæ à Iure communi, ſeù Canonico, & Civili ſunt comprehenſæ, & taxatæ, & quæ videri poſſunt in Patre Didaco à Meſſana Capuccino *loc. cit.* reſtat modò, ut videamus quando pœnæ ordinariæ poſſint augeri, vel diminui. Et primò poſſunt augeri ex circun[illegible]ntia ſcandali, quando, ſcilicèt, crimen publicè in conſpectu Sæcularium à [illegible] [illegible]atum fuit cum magno Religionis præjudicio. 2. Ex circunſtan[illegible] [illegible]io, vel aliud crimen ſit commiſſum in loco Sacro. 3. Ex circ[illegible] [illegible] quando aliquis per vim cognovit muli[illegible] vel ſtup[illegible] [illegible] circunſtantia perſonæ, nempè, quand[illegible] [illegible]erior [illegible] [illegible]fecit, qui Religioni vel Reipublica[illegible] [illegible]lis [illegible] [illegible]erſionis, quando, ſcilicèt, unius deli[illegible] [illegible]un [illegible] [illegible]ita factionum, qui ſæpè ſuo delict[illegible] [illegible]ol[illegible] [illegible]næ augentur juxta exceſſus menſu[illegible] [illegible]pſo [illegible] *pœnis.* Et multæ aliæ cauſæ addi

poſſunt, quæ apud Alphonſum de Caſtro *l. 1. de pot. leg. pœn. c. 6.* & Sebaſtianus Medices refert. *in cap. erit. diſt. 4. n. 83. & ſeqq.* copioſiùs habentur.

§. 2. Quæ verò ad pœnam diminuendam valent ſunt ſequentes, & Prima eſt defectus mali doli; quia cùm dolus ſit anima pœnæ, ut ait Boſs., hinc eſt, quòd crimen perpetratum non ex animi deliberatione, aut ex cogitato conſilio, ſed impetu quodam, ac mentis perturbatione, vel ex ira, vel ex dolore, vel ex alio repentino motu concepta, ſicut allevat culpam, ſic etiam minuit pœnam, & aliquando nulla pœna punitur, ut homicidium caſuale, quòd eximit Clericum quoque ab irregularitate. *Farin. q. 226. n. 57.* Secunda eſt delinquentis ætas, videlicèt, ſi puer, aut ſenex fuerit, ſi quidem in Iure, & apud Doctores receptum eſt, ut Iudex in his pœnam mitigare poſſit. *l. auxilium §. in delictis ff. de minor.* Et ſi eſt infans excuſatur in totum; quia caſualiter peccare dicitur *l. infans ff. de ſicar.* Infans autem dicitur ab ortu uſque ad ſeptennium completum. Impubes (idèſt puer maſculus) ab anno ſeptimo uſque ad decimum quartum annum incluſivè, poſt quem incipit vocari pubes; Fęmina verò dicitur impubes ab anno ſeptimo uſque ad duodecimum incluſivè poſt quem incipit vocari pubes, ſed proximus pubertati maſculus dicitur poſt decennium cum dimidio, fęmina poſt novennium cum dimidio. Pubertas in maſculis & fęminis durat uſque ad annum 25. non enim differunt in detinentia pubertatis. Et ſic minores 25. annorum mitiùs puniuntur de Iure communi. Tertia eſt, probitas anteactæ vitæ. Qui enim aliàs optimis moribus præditus fuit, & Reipub. aut Religioni aliquando utilis fuit, mitiùs etiam puniri debet, ſi in crimen aliquod incidat *l. non omnes ff. de re milit.*

§. 3. Quarta eſt Ebrietas, qui enim delictum eo tempore, quo ebrius erat, perpetravit, quamvis à culpa immunis non ſit, excuſatur tamen à dolo: & idcircò minori pœna quàm ordinaria plecti debet. Et idem dicitur de furioſo, qui ebrio æquiparatur. *Tuſc. lit. A. concl. 327. n. 2.* Et quia nihil vehementiùs furoris amore, ideò etiam amoris cauſa delinquens mitiùs eſt puniendus: & ſic attentans pudicitiam Virginis invitæ repentino motu cauſato ex amoris, & libidinis furore, non eſt puniendus pœna ordinaria, ſed extraordinaria Iudicis arbitrio. *Peguer dec. 7. n. 18.* Et ſi ebrietas eſſet prorſus inculpabilis, quæ non ſolum à dolo, ſed etiam à culpa immunis eſſet, tunc tali modo delinquens abſque pœna à crimine eſſet abſolvendus: ut ferè omnes Doctores affirmant. *D. Th. in 4. diſt. 17. q. 2. a. 2.* Quinta eſt in criminalibus lata culpa, quę à corporali pęna infligenda excuſat: in his enim Cauſis fallit dictum, quòd lata culpa ęquiparatur dolo, ut tradit Lex *in leg. ff. de Sicar. Men. de arbit. caſu 324. n. 11. Clar. q. 84.* quòd ea præſertim ratione firmatur, quòd in criminalibus cauſis, ubi dolus non præſumitur, nullus corporali pœna plecti valeat, ſed tantùm arbitraria pœna pro lata culpa.

§. 4. Confeſſio ſpontanea Rei eſt ſexta cauſa minuendi pœnam, quòd tamen intelligendum eſt, ut omnem torturam, & criminis negationem præceſſerit; quia tali pacto facta ſicut præſefert plenam delicti deteſtationem, ſic meretur pœnæ diminutionem. *Berus in c. Atſi Clerici de Iudic.* Septima eſt crudelitas. Nimirùm quando quis credit ſe juſtam cauſam habere aliquid agendi, quod legi, aut Statuto adverſatur, aut credit illud non eſſe delictum; quia tunc dolus abfuiſſe præſumitur.

tur, etiamſi juſta illius credulitatis cauſa non ſubeſſet: nam, vel dolus eſt de ſubſtantia delicti, ut in crimine falſi perjurii &c. vel delictum tantum committatur, ut in traſgreſſione alicujus legis. In primo caſu, quælibet cauſa ſive juſta, ſive injuſta à crimine excuſat, dummodo vera credulitas adſit, atque adeò à tota pœna liberet. In ſecundo verò caſu, ſi cauſa eſt juſta, ſicut à tota culpa excuſat, ſic à tota pęna liberat, ſi autem cauſa eſt injuſta à dolo quidem excuſat, ſed non à tota culpa liberat, ex quo provenit, ut puniri quidem pro culpa poſſit ſed mitius, quàm ſi dolus adfuiſſet, quæ eſt communis Doctorum ſententia. Ruſticitas, ſeù ſimplicitas eſt etiam cauſa minuendi pęnam; quia non præſumitur ex dolo peccare, ſed potiùs ex ſimplicitate, & ruſticitate, quàm ex animi pravitate. *Farin. q. 89. n. 46. & q. 98. n. 19.* Et idem dicitur de imprudentia, quæ excuſat delinquentem à pęna ordinaria. *Alex. conſ. 140. vol. 2. Dec. conſ. 60. & in l. inferreff. de reg. Iur.*

§. 5. Provocatus verbis injurioſis, ſeù facto aliquo excuſatur à pęna ordinaria, & mitiùs punitur; quia indulgendum eſt ei, qui provocatus ulciſcitur. *Abb. in c. 1. col. 1. verſ. puto tamen de injur. Alex. conſ. 544. vol. 2. Farin. conſ. 35. n. 12.* Auctor verò, ſeù inceptor rixæ ſemper dicitur eſſe in culpa. *Farin. q. 125. n. 7. & conſ. 35. nu. 13.* non tamen dicitur incipere, qui ira aliquid, ſed qui ad iram provocat, & ille dicitur princeps culpæ, à quo malitia incipit. *Bald. conſil. 145. lib. 1. Farin. ibid. n. 14.* Calore iracundiæ cauſato, quàm facto proprio, efficit ut injuria realis, vel verbalis mitiùs puniatur. *Roman.. in l. cum mulier. n. 66.* Undè homicidium calore iracundiæ cauſatum pęna extraordinaria Iudicis arbitrio punitur *Clar. q. 60. verſ. etiam. Menoch. de arbitr. lib. 2. caſu 219. n. 33.* Et idem dicitur juſto dolore, quia homo juſto dolore permotus non eſt in plenitudine intellectus etiam quòd ex intervallo peccet. *Farin. conſ. 97. in addit. litt. A.* Hinc eſt quòd provocatus, ſi provocantem offendat, mitiùs punitur, etiam quòd inculpatæ tutelæ moderamen excedat; dato quoque quòd ira non proveniat ex facto adverſarii, ſed aliunde ex facto tertij. *Farin. q. 91. n. 7. 8. & n. 16. ubi alios citat.*

§. 6. Ignorantia Iuris, aut Statuti eſt ipſa quoque juſta cauſa minuendi, pęnam, dummodo non ſit affectata. Nam ſi quis legem, vel Statutum ignorans, quòd tamen habita diligentia ſcire poterat, ac debebat, tranſgreditur, quamvis non excuſetur à toto, excuſatur tamen à tanto, ac proinde tota pęna legis caſtigari non debet; ſed tantùm pęna extraordinaria arbitrio Iudicis taxanda juxta qualitatem perſonæ, & ignorantiæ, quæ in illa præſupponi poteſt. Conſuetudo loci, quæ eſt contra Ius poſitivum, dummodo ſit legitimè præſcripta, cùm deroget legi, ſicuti excuſat à culpa, ſic etiam eximit à pęna legis: Si verò eſt Ius contra naturale, vel Divinum cùm ſit illegitima, & nullius valoris per ſe, ſicut non excuſat à culpa, ità quoque non eximit à pęna à lege Divina, vel naturali introducta. Nobilitas delinquentis eſt & ipſa juſta cauſa minuendi pęnam. Nobiles enim, & digniores mitiùs puniuntur. *l. Pœdius §. 1. ff. de incent. & l. Aut. damnum §. in miniſterium. cap. ſive de pœnis. Ubi Hoſt. Butr. Panormit. cap. paſtoralis de offic. Deleg. ubi Felin. & alij Doctores communiter.* Et ſicut qui aliàs optimis moribus præditus fuit, & Religioni aliquando utilis fuit, mitiùs puniri debet, ſi in crimen aliquod incidat; ità etiam deſumitur cauſa minuendi pęnam ex magnis meritis, & beneficijs in Religionem collatis

latis à delinquente, vel ab eius majoribus, & conjunctis *l. 2. §. cum Appius ff. de orig. Iur. & l. non omnes ff. de re milit. Clar. q. 60. n. 23.* Hoc tamen non verificatur in delictis attrociſſimis. *Baiar. ad Clar. q. 60. n. 99. Farin. q. 97. n.* 148.

§. 7. Præter has, dantur etiam aliæ cauſæ, quæ Iudices movere poſſunt, ut mitioré, extraordinariamq; penam Reis adhibeant, quas prudens Iudex deſumere poteſt ex loco, tempore, perſona, & aliis circunſtantiis; & duo præcipuè conſiderare debet; unum, quod in foro externo, ubi non eſt dolus, nec malitia regulariter pena ordinaria delictorum non habet locum, & ideò, ut alibi diximus, defectu doli, & malitiæ eſt juſta ratio minuendi penam legis, etiam ſi delicta eſſent attrociſſima. *Clar. q. 84. Guaz. def. 33. c. 18. n. 1. Farin. q. 87. n. 10. & q. 117. nu. 18. & ſeqq.* Dolus autem ex D. Th. 2. 2. *q.* 51. *art.* 4. eſt executio aſtutiæ. Aſtutia verò ex eodem S. Doctore *q. 53. a. 3.* eſt quædam ſpecies prudentiæ falſæ, quæ conſiſtit in recognitione viæ non bonæ, nec veræ, ſed ſimulatæ ad aliquem finem obtinendum, & ſic eſt exercita machinatio, calliditas, & ſimulatio ad alterum decipiendum. Multipliciter autem diſtinguitur dolus, & primò in verum, & præſumptum. *Menoch. lib. 5. præſumpt. 3. Dec. p. 3. lib. 1. c. 4.* Dolus verus eſt machinatio ad fallendum adhibita, & ſic non probatur, niſi probato animo fallendi. *Farin. q. 88. n. 5. & 7.* Dolus præſumptus eſt, qui ſive in rei veritate ſit talis, ſive non, præſumptione tamen Iuris eſt talis. Vel eſt ille, qui non plenè probatur, ſed ſolùm ex conjecturis, & præſumptionibus colligitur. Secundò diſtinguitur in bonum, & malum. Dolus bonus idem eſt, quod ſolertia; & eſt ille de quo gloriatur Apoſtolus dicens *Cum eſſem aſtutus dolo vos cæpi. 2. Corint. c. 12.* Malus verò eſt macchinatio ad fallendum: undè dolus ſimpliciter dictus accipitur pro dolo malo. Diſtinguitur etiam à fraude, ut genus à ſpecie; quia dolus eſt machinatio ad fallendum ſive per facta, ſive per verba, ſed fraus, ſolùm per callidam, & ſimulatam loquutionem committitur. *D. Th. 2. 2. q. 55. a. 5.*

§. 8. Alterum, quod Prælati Regulares non poſſunt punire ſubditos delinquentes pœna gravi, & juridica mediante proceſſu pro delicto ſine dolo, vel ſaltem ſine culpa commiſſo. *Gloſ. in cap. Cognoſcentes. in verb. culpa de conſtit.* ubi dicitur, quòd pena præſumit culpam. *D. Thom. 2. 2. q. 108. art. 4. in ſolut. & cap. 2. q. 87. tit. 7. & 8. Sot. de Iuſtit. lib. 1. q. 6. a. 5. Aldrete de Relig. diſip. tuenda lib. 2. c. 10. n. 8. Surd. deciſ. 277. n. 19.* Nam ubi non eſt culpa, non poteſt eſſe delictum. *Barboſ. in collect. ad d. cap. Cognoſcentes n. 14.* & per conſequens nec pena. *cap. cum voluntate de ſent. excommun. l. aliud fraus. ff. de verbor. ſignif. reg. 23. de regulis Iuris in 6.*, & nec accuſatio procedit, nec Inquiſitio formari poteſt. *Bartol. & alij in l. Vbi pactum C. de tranſat. & in l. ſi Servus C. de ijs, qui ad Eccleſiam confugiunt. Farin. q. 17. n. 1. Scacc. de judicijs c. 71. n. 3.*

§. 9. Nec omne illicitum, & contra bonos mores eſt delictum gravi pena, & judiciaria dignum. *l. 3. §. non perpetuo, verſ. Divus ff. ut ſi quia eum qui, & ibi Alex. & communiter Doctores. Bald. conſ. 14. vol. 1. Dec. conſ. 90. col. 2. &* 181. *col.* 4. *Natta conſ.* 595. *n.* 10. *&* 597. *n.* 108. Sed tantùm illud cenſetur delictum, quod in foro externo eſt dignum accuſatione, vel Inquiſitione, & pena. *cap. Apoſtolus in fin. 81. Dec. tract. crim. lib. 1. c. 9. n. 3.* Et ſic patet, quòd licèt aliquod factum

ſit in

ſit in ſe illicitum, & grave, ſi in foro externo non reputatur delictum non eſt punibile judicialiter, nec propter hoc proceſſari debet tamquam delictum, cùm non omne illicitum reſpectu fori interni dicatur delictum in foro externo. Et de jure nemo eſt vexandus ex delicto, quod non poteſt deduci ad forum, nec ex eo puniri, ut in terminis de caſu non punibili in foro externo tenet *Novell. in tract. ad defenſ. tit. de excuſat. à Reo facienda. n. 1. & ſeqq. Cabal. caſu 256. n. 7. centur. 3. in ſuis reſol. crim.*, ubi docet, quòd caſus non punibilis in foro fori impedit litis ingreſſum, cum corruat Inquiſitio cum omnibus indè ſecutis. *Bertaz. conſ. 238. n. 2., & conſ. 123. n. 12. Idem Cabal. in ſuis quæſt. crim. caſ. 1. n. 12. Parlſ. conſ. 171. n. 77.* Undè Megala in ſua practica criminali, dicit, quòd malè fecerunt aliqui Superiores, qui compilaverunt proceſſum contra Subditum, qui tres formas Caſei in Monaſterio rapuerit, quæ omnes vix attingebant pondus decem librarum. Et Cabal. ubi ſupra probat multis Iuribus, & Doctoribus, quòd non quælibet injuſta hominis actio ſapit delictum pęna dignum, ſed ea tantùm, quæ lex delictum eſſe voluit, & punienda ſtatuit expreſsè. Et licèt dolus præſumptus dicatur æquiparari dolo, non tamen æquiparatur in hoc, quod delictum puniri debeat in rigore pęna legis, ſed ubi dolus eſt ſolùm præſumptus delictum mitiùs puniri debet. *Dec. p. 1. lib. 1. c. 4. n. 17.* In dubio autem dolum non præſumi certum eſt, & ſirmi debere omnem præſumptionem excludentem dolum, & adhiberi omnem interpretationem, quæ dolum, & culpam excludat, & potiùs præſumendum errorem, quam dolum pariter eſt indubitatum.

De Sententijs ferendis. Regula Sexta.

§. 1. QUamvis multas ſolemnitates Iuris in ſententijs ferendis neceſſariò ſervare debeant Iudices Sæculares in proprio foro, ſine quibus eorum ſententiæ eſſent nullæ, quales ſunt v. g., ut Iudex in ſententia ferenda pro tribunali ſedeat, ut eam proferat de die, & non de nocte, aut die non feriato, & alia hujuſmodi, quæ apud Regulares potiùs inter apices, quàm inter ſolemnitates Iuris connumeranda ſunt. Attamen apud ipſos Regulares, qui ſummariò tantùm modo procedunt, & ad apices Iuris non tenentur, abſque diſcrimine in eorum foro omitti poſſunt; quo fit, ut qualibet etiam die feriata, ac feſtiva à Iudice Regulari ſententia ferri poſſit: Benè tamen erit ſententiam non publicare in diebus ſolemnibus, & maximè Beatæ Virginis, & Domini noſtri ob reverentiam eiſdem diebus debitam. Subſtantialia tamen Iudicij ſervare debent & ipſi quoque Regulares, aliàs ſententia erit nulla. *cap. Vxor 17. q. 4.* Subſtantialia autem ſunt ſequentia.

§. 2. Primum eſt, quòd ſententia feratur ſecundùm Iuris diſpoſitiones, & non ex proprio judicio, ſed debet eſſe conformis Statutis particularibus propriæ Religionis, quibus deficientibus debet eſſe conformis Iuri Canonico, & iſto deficiente, recurrendum eſt ad pęnam legis Civilis, ſeù ad pęnam conſuetudinariam, dummodo non contradicat menti Canonum.. Immò ſententia eſſet injuſta, ſi pęna excederet conſuetudinem loci, niſi hoc fieret ex cauſa. Nam ſicut ex cauſa poteſt recedi à pęna legis, ſic etiam à pęna conſuetudinaria. Ubi autem non eſt ſtatuta à Iure, vel

Con-

Conſuetudine, relinquitur arbitrio Iudicis, qui ſecundùm qualitatem delictorum poteſt extendi ad quamcumque pęnam citra mortem. Nam pęna mortis in arbitrarijs à Iudice eligi non poteſt, *ſecundùm Menoch. de arbitr. q. 86. n. 1. & 20. Ricc. p. 3. collect. 559. in fin.* Et ubi duas pęnas imponere poteſt, mitiorem tenetur eligere Iudex, *ut habetur ex Gloſſa in c. de cæteris de offic. Deleg. in v. certa.* Et eſt communis ſententia Doctorum, *& præcipuè Panor. in d. cap. Farin. Dec. & Menoch. ibid. q. 85. & 94.* Et non ſolùm in impoſitione pœnarum, ſed etiam in omnibus alijs non determinatis à Jure recurrendum eſt ad arbitrium Iudicis, ad quod probandum communiter allegatur dictum cap. *de Cæteris & habetur etiam in c. fin. de tranſact. & in l. 1. ff. de Iure deliber. Bald. in l. ne quidquam §. de plano in 2. col. ff. de offic. proconſ.*, aſſerens, quòd licèt per clauſulam illam *Summariè, & de plano.* Iudex ordinem Iuris ſervare non compellatur, debet tamen ſententiam ſecundùm Iuris diſpoſitionem proferre. *Aſin. in prax. §. 3. c. 27. n. 1. Bertaz. conſ. 164. n. 2.* Et Marta *clauſ. 160. n. 12.* dicit, quòd clauſula *Summariè, & de plano ſine ſtrepitu, & figura Iudicij* non operatur niſi quantum ad ordinem procedendi, non verò quoad exceptiones reſpicientes deciſionem. *Bart. in extravag. ad reprimendum verſ. Summariè n. 13. & ſeqq. verſ. quædam ſunt*, ubi limitat, quando agitur contra abſentem. Sententia enim debet eſſe æqualis delicto, & ſi Iudex imponeret pœnam majorem, vel graviorem, quàm delicti qualitas expoſtulat, erit nulla, & non exequenda, quamvis lata eſſet in contumaciam. *Plot. conſ. 72. n. 31. & ſeqq. tom. 2. crimin. in fol. Farin. q. 11. n. 62, & conſ. 28. n. 1. Bajard. q. 93. n. 11. & ſeqq. & q. 96. n. 10.* Et è contra ſi eſſet lata in minorem pœnam, quam ſit inflicta à Statuto, ſi non conſtat de aliqua cauſa minorationis pœnæ ſaltem in genere non valet, & eſt nulla veluti lata contra Ius. *Farin. q. 18. n. 62. & ſeqq. Scacc. de Iudic. lib. 1. c. 12. n. 96.*

§. 3. Secundum ſubſtantiale eſt, quòd ſententia priùs debet ſcribi, & poſteà legi, aliàs ſi priùs oretenus proferatur, & poſteà ſcribatur eſt ipſo Iure nulla *l. 2. & 3. de ſent. cap. fin. de re jud. in 6. Vantic. de nullit. defect. proceſſ. n. 69. Bajar. q. 93. num. 7.* Et debet publicari ea die, qua cadit citatio, aliàs ſi fuerit lata alia die, vel priùs, nulla erit. *Marant. in ſpec. p. 6. tit. de ſent. num. 88. & ſeqq.* & debet fieri ad Rei præſentiam, ac præſentibus teſtibus, ſi eius præſentia haberi poteſt, ut dicitur in noſtris Statutis *in 4. ſubſt. n. mihi 173.*, & poſt latam ſententiam adjungitur ipſo reo acceptante, & conſentiente ſi acceptat, ſi verò appellat, ſcribitur, ipſo præſente, & appellante ad talem Iudicem. At ſi Reus eſt abſens debet ipſi intimari, & debet proferri per verba de præſenti. *Muſcatel. in prax. part. 7.*, quòd totum verificatur etiam in cauſis ſummarijs. *Abbas. in cap. Albert. in 1. oppoſit.* Et non ſufficit dicere, quòd ſententia fuit lata, ſed debet dicere etiam quod fuit lecta, aliàs eſt ipſo Iure nulla. *Tuſch. lit. S. concluſ. 133. n. 18. Bart. in l. fin. C. de ſent. Franc. in cap. fin. n. 11. de re jud.* Tertium ſubſtantiale eſt, quòd ſententia ſit certa, aliàs non valet, *l. ſent. quæ ſine certa quantit.* cùm ex ſententia incerta Iudex non dicatur definire negotium, & hoc eſt de Iure naturali. Et certa dicitur illa, quæ declarat factum, quando lex, vel ſtatutum ſuper tali facto imponit certam pœnam. *Vant. de nullit. defect. Iuriſd. nu. 93.*, & quando refertur ad Acta, quæ certa ſunt. *Idem ibid. n. 103.*

Quar-

Quartum ſubſtantiale eſt, quòd conſtet de corpore delicti, maximè ſi eſt facti permanentis. Immò in criminali cauſa Iudex nunquam poteſt procedere ad aliquem Actum, niſi priùs conſtet delictum eſſe commiſſum. *Scacc. de Iud. lib. 1. c. 83. n. 3.* & ideò corpus delicti ante omnia eſt probandum, ut quis dicatur delinquere. *Farin. conſil. 60. n. 3.* Quo non probato, Iudex non poteſt devenire nec ad torturam, nec ad condemnationem, quamvis quis eſſet confeſſus crimen de quo imputatur. *Farin. q. 23. n. 2.* Nam confeſſio non poteſt facere delictum non delictum. *Cravet. conſ. 29. n. 2. & conſ. 48. n. 7. conſ. 93. n. 1. conſ. 162. n. 4. Bertaz. conſil. 11. n. 2. & conſ. 266. n. 55.*

§. 4. Quintum ſubſtantiale eſt citatio ad audiendam ſententiam, qua prætermiſſa, ſententia nullo modo poteſt ſuſtineri, neque in Cauſis Summarijs. *Alex. conſ. 42. n. 3. lib. 4. Tuſc. lit. S. concluſ. 152. n. 48. Aldret. de diſcip. relig. lib. 1. c. 17. n. 1. Ghisl. de Iud. regul. c. 20. n. 9. Felin. in cap. Eccleſiarum nu. 66.* Et nòn ſufficit citatio generalis ad Cauſam, vel ad audiendum Iudicem, ſed debet eſſe ad audiendam ſententiam nominatim. *Vant. tit. de nullit. defect. citat. n. 56. Rot. deciſ. 17. n. 1. de ſent. & re iud.*, & debet legi in faciem ipſius Rei, ſi eſt præſens, ut ſupra diximus. Et tandem de ſubſtantia proceſſus, & ſententiæ eſt, quòd proceſſus conficiatur à Notario coràm Iudice, cùm Iudex non poſſit proceſſum per ſe ipſum ſcribere, & ſi ſcriberetur ei non crederetur, nullusque eſſet ipſo facto. *Rodriq. tom. 2. q. 12. a. 2. Barboſ. in cap. Quoniam 11. de probat. n. 24. Mirand. q. 30. nu. 8. 9.* Et apud nos dicitur Actuarius, & eſt perſona publica non minoris fidei, quàm ſit Notarius Sæcularis. *Navar. lucer. Reg. verb. Notarius ex Rodriq. tom. 3. q. 8. a. 1. Caſtelin. de elect. c. 20.* Et creari poteſt à Provinciali, & à Guardiano, vel Commiſſario pro Cauſis criminalibus intra Ordinem. *Aldret. loc. cit. c. 8. lib. 1. Novar. ibidem.* Adverte autem, quòd licèt de conſenſu partium ſolemnitates Iuris quæ ſunt introductæ in favorem tertii, remitti poſſint, *ut præter Gloſſam in c. de cæteris & in v. conſenſu volunt Mant. de Ord. Iud. p. 2. num. 3. & ſeqqu. Vant. de nullit. ex defect. proceſſ. n. 73.* Non tamen poſſunt remitti illæ ſolemnitates Iudiciales, ſeù ſubſtantialia, quę reſpiciunt publicam utilitatem, inter quas enumerat eadem Gloſſa omnes, quæ ſunt de ſubſtantia Iudicii, ut libelli oblatio, litis conteſtatio, & quòd ſententia feratur in ſcriptis. Et nota benè hanc Gloſſam, quæ dum dicit, hæc tria ſolùm eſſe de ſubſtantia Iudicii, excludit alia. Si tamen cauſæ eſſent leves, poſſunt partes remittere, quòd ſententia non feratur in ſcriptis. Immò de neceſſitate non fert hodie etiam ſine conſenſu partium; *prout notat Butr. in d. c. de cæteris nu. 32.* Et univerſaliter ex pacto poſſunt partes remittere omnes ſolemnitates, idèſt, convenire, ut Iudex procedat abſque Ordine Iudiciario, in quo caſu dictum Iudicis non habebit cùm ſententiæ, ſed cujuſdam pacti, *ut dicitur in l. 2. C. commun. utriuſque Iud. & in c. ſignificaſti de for. compet.* Et ſic poſſunt partes à principio convenire, ut Iudex procedat ſine ordine Iudiciario. At ſi velint partes, ut dictum Iudicis haberet vim ſententiæ, tunc non poſſunt remittere ordinem ſubſtantialem à Iure inductum, *ut in c. uni de lit. conteſt.* Et ſic quotieſcumque ſententia deficit in ſupradictis ſubſtantialibus, vel in ſubſequentibus capitibus ſemper eſt nulla, & impugnari poteſt via nullitatis.

Primum

Viſitatorem recuſaverit, aut eius impederit officium in Viſitatione Generali exilio puniatur ad arbitrium Patris Generalis. 12. Qui proprietarius repertus fuerit in renotabili biennio activa, & paſſiva voce privetur. Et juxta Ordinis noſtri Conſtitutiones privatus exiſtat per id tempus omnibus officijs. Quòd ſi in morte talis repertus fuerit (quòd abſit) privetur Eccleſiaſtica ſepultura. 13. Qui pecuniam pro ſe, vel pro alijs ſine Provincialis licentia procuraverit, expenderit, vel xpendi fecerit proprietatis pœna puniatur. 14. Qui ſecreta Religionis extra ipſam revelaverit, privetur prælatione per tres annos, & cui iſta pœna non convenerit per ſex menſes Caparone puniatur. 15. Qui litteras injurioſas, aut contumelioſas Superioribus ſcripſerit, puniatur pœna diſcipinæ, & jejunij in pane, & aqua in publico Refectorio, & graviùs pro qualitate injuriæ, & perſonæ. 16. Qui in ſuſpecto conſortio repertus fuerit legitimè per quinquennium privetur. Et ſi Prælatus, aut inſignis aliqua perſona fuerit Caparone per ſex mẽſes puniatur, quòd ſi indicia adſint ſufficientia ad ulteriora procedatur &c. Et prætereà ſi in hoc ſæpè delinquere ſolitus fuerit ab officijs Ordinis abſolvatur ad arbitrium Prælati. 17. Qui ad actum carnalem quamcumque perſonam ſollicitaſſe convictus, vel confeſſus fuerit in carcerem per annum detrudatur jejunando ut ſupra, & utraque voce per triennium privetur, & Prælatura per decennium. 18. Qui tactus impudicos, aut oſcula habuerit cum aliqua perſona, ultra prædictas ſollicitationis pœnas flagelletur etiam in Refectorio coràm fratribus ſpatio unius Miſerere. 19. Qui libros imprimere fecerit ſub proprio, vel ementito nomine ſine licentia Generalis in ſcriptis habita juxta Conc. Later. Decretum excommunicationis latæ ſententiæ pœna innodatur, & omni actu legitimo ipſo facto privatus exiſtat. Sunt autem actus legitimi legere, prædicare, eligere, eligi, Viſitare, Deffinire, & ad Ordines promoveri. Et hæc XIX. delicta apud nos connumerantur inter graviora. Graviſſima autem ſunt ſequentia.

§. 5. Primo. Qui in fornicationem lapſus fuerit, ter publicè flagelletur, detrudatur per tres annos in carcerem, ubi jejunet ut ſupra, & in perpetuum utraque voce, & Ordinum Officiis, nempè, legendi, prædicandi, Confeſſiones audiendi, & quacumque prælatura privatus exiſtat. Quòd ſi lapſus fuerit graviori fornicatione, videlicèt, Adulterii, Stupri, Inceſtus, graviùs etiam puniatur. 2. Qui peccatum enorme commiſerit, ſeù innominabile ter igne circundetur in ſignum debitæ pœnæ, coràm fratribus maturis in Refectorio flagelletur, & in perpetuum carcerem detrudatur, ibique ter in hebdomada pane, & aqua jejunet. 3. Qui ferro vel alio inſtrumento percuſſerit proditoriè, ſive ex inſidiis non ſequuto vulnere per duos annos detrudatur in carcerem, & jejunet ut ſupra, & poſtea per tres annos privatus exiſtat utraque voce. Si ſequutum fuerit vulnus per tres annos detrudatur in carcerẽ. Quòd ſi tale delictum cum duobus ſequentibus ſit contra Prælatum duplicetur pœna. 4. Si ſequuta fuerit deformatio, ſeù mutilatio per ſex annos. Si mors ſubſequuta fuerit in perpetuum, & omnes iſti jejunent ut ſupra, & priventur in perpetuum. 5. Eadem pœna puniatur, qui venenum propinaverit, morte ſimiliter ſequuta, quòd ſi mors ſubſequuta non fuerit puniatur pœna percuſſionis proditoriè, & ex inſidijs cum ferro non ſequuto vulnere, non ſequuta morte. 6.

Sub-

Subornatores in Electionibus, ſivè procurantes vota per ſe, ſivè pro alijs, pœna juxta Decreta Clem. VIII. ab Urbano VIII. confirmata puniatur, nempè privationis vocis Activæ, & paſſivæ, & officiorum quæ obtinent eò ipſo, & inhabilitatis ad futura quæcumque. 7. Qui intra ſepta Monaſterij temerè ſeptennio majores Mulieres introduxerit in pœnas, & cenſuras à Iure ſtatutas incurriſſe declaratur, nempè Privationis Officiorum, quæ obtinet, & inhabilitatis ad illa, & alia omnia, & ſuſpenſionis, & excommunicationis ipſo facto. Qui verò introduxerit Minores ſeptennio, majores autem ſexennio puniatur pœna arbitraria. Qua etiam pœna arbitraria puniantur introducentes mulieres abſque licentia Superioris ſaltem localis in Sacriſtiam, etiam ſi Sacriſtia non ſit ex illis, ad quas non patet ingreſſus, niſi per Clauſuram. Nunc verò extat Decretum Sac. Congregationis Epiſ. & Reg. emanatam *die* 1. *Junij* 1685., virtute cujus ſtatuit mulieres adultas cujuſcumque conditionis, & ætatis Sacriſtias, nec non Viridaria, Pomaria, Hortos, & Sylvas eiſdem continguas tàm apertas, quàm muris, & ſæpibus circundatas ingredientes, nec non Capuccinos illas introducentes, aut non impedientes pœnas contra violantes Clauſuram eò ipſo incurrere. Mulieres verò adhuc non adultæ ætatis dicta loca ingredientes ſubjacere debere pœnis arbitrio Ordinarii locorum imponendis. 8. Qui manum, vel ſigillum, vel litteras obedientiales Generalis falſificaverit per duos annos in carcerem detrudatur; qui Provincialis per annum carcere puniatur: qui verò Superioris localis prædictas falſificaverit, aut finxerit, ſexies faciat diſciplinam, & ſexies pane, & aqua flexis genibus jejunet in Refectorio. 9. Qui libellum famoſum ſub proprio, aut tacito, vel ementito nomine contra aliquem compoſuerit, ſcripſerit, vel publicaverit, detrudatur in carcerem per annum ter in pane, & aqua jejunans, & per triennium utraque voce privatus exiſtat; quòd ſi perſonas in dignitate conſtitutas libello prædicto offenderit, pœna duplicetur. 10. Qui falſum teſtimonium in Iudicio depoſuerit contra aliquem detrudatur in Carcerem per annum, qui verò ad defenſam per ſex menſes, niſi mitiori pœna reus ipſe, ſive principalis veniat puniendus, & tunc carcer in caparonem commutetur. Idem dicendum eſt de teſte, qui in ſecundo vel alio Iudicio contraria primo ſuo examini depoſuerit, ſive per fidem juramento firmatam niſi plenè docuerit de errore, ſuper quibus pœnis non poſſit diſpenſari, niſi per Capitulum Generale.

§. 6. In prædictis autem pœnis aſſignatis declarant noſtra Statuta *n. mihi* 68. liberos fore Provincialibus, ut eas augere vel minuere poſſint juxta aggravantes, & alleviantes circunſtantias, quòd ſanè intelligendum eſt: nam in pœnis ordinariis infligendis, in quibus nulla aut extenſionis, aut remiſſionis cauſa pœnarum ſuppetit, pœnam à lege vel à Statutis & Conſtitutionibus taxatam, Provinciales, & multò minus eorum Delegati neque augere, neque minuere poſſunt cùm pœna ordinaria ſit, quæ a lege, vel ſtatuto taxata eſt. Sed ſolùm id fieri licebit, quando accedent aggravantes, vel alleviantes circunſtantiæ, quòd non ad Ordinariam, ſed ad extraordinariam pœnam, ut infra dicemus, ſpectat: quo fit, ut in ordinaria pœna imponenda, ubi nullæ ſunt aggravantes, vel alleviantes circunſtantiæ, Iudex ab earum præſcripto recedere non poſſit ſub pena nullitatis, ut communiter docent Doctores, nemine diſcrepante. Erunt tamen ſemper augendæ, ut dicunt noſtra Statuta

tuta *ibid.* ubi delicta ejuſdem ſpeciei fuerint repetita. Nihilominùs ſi pœnæ à lege pro delicto taxatæ non fuerit Reus capax, Iudici procul dubio licebit, eam in aliud pœnæ genus commutare, quòd illi omnibus ritè conſideratis æquipolleat: ut omnium ferè Doctorum conſenſu receptum eſt. *Bald. in l. noverint. n. 5. c. intra certum tempus.* In quo caſu animadvertere debet Iudex, ut cùm pœnam à lege, vel ſtatuto taxatam auget, vel minuit, cauſam in ſententia exprimat: non quidem ſpecialem, ſed tantùm in genere, quæ ipſum ad legis moderationem permovit: ut communiori ſententia receptum eſt. *Felin. in c. ſi cum col. 10. Clar. q. 85. verſ. ulterius quæro. Bald. & plerique alij.* ità ut in ſententia id apponi ſufficiat: nempè: *Iuſtis, & rationabilibus de Cauſis animum noſtrum moventibus.*

§. 7. In extraordinariis autem pœnis inſligendis (quæ debent eſſe majores, vel minores pœna ordinaria) Iudicis prudentia, ac maturitas maximè elucere debent, nè vel debitos juſtitiæ limites puniendo excedat, vel minori pœna, quàm delicti gravitas ferat, Reum afficiat. Pœna enim ad hoc ut ſit juſta ex culpa, & delicto debet commenſurari *cap. Felicis §. Illud autem de pœnis in 6. Cravet. conſ. 45. n. 15.* Ubi dicit, quòd ſi delictum eſt parvum, pœna debet eſſe modica; quia Iuſtitia nihil aliud eſt, niſi æqualitas. *Cap. cum quidam Iurejur. in 6. Menoch. q. 90. n. 38. & q. 83. n. 2. Scacc. de Iudic. lib. 1. c. 58. n. 12. Tuſch. lit. P. concl. 211. n. 1.* Undè diligenter, & maturè conſiderare debet circunſtantias criminis aggravantes, vel minuentes, & ſecundùm illas Reum plectere pœna extraordinaria, ſcilicèt, majori, vel minori pœnæ ordinariæ: ut ſi delictum fuiſſet v.g. in multorum ſcandalum: Vel ſi quis de ſuſpecto conſortio convictus, Iudex malo ſaltem dolo caruiſſe deprehenderit, nam ſicuti hunc minori ſic illum majori, quàm ordinaria pœna affici æquum erit: quia Iudex, qui majorem, vel minorem pœnam, quàm à lege determinata eſt ſine juſta cauſa imponit, infamis efficitur, *ex l. Servos C. ad leg. Iul.* Et Iudex eadem pœna eſt puniendus, qua Reus *ex l. 3. in fin. C. ne Sanctum Baptiſ.* Sententiaque ab eo lata nulla ipſo Iure cenſetur, *ut ait Inciſa tract. 10. cap. 9.* niſi pœna ſit poſita in Iudicis arbitrio, aut crimina ſint tantùm ſemipſenè probata, aut Reus non poſſit torqueri *Clar. loc. cit. Farin. q. 17. n. 7. Barboſ. qui alios citat in cap. de cauſis num. 11. & 14. de offic. Deleg.* Benè poſſunt prælati majores, ut ſunt Generales Ordinum diſpenſare in taxatione pœnæ factæ in Iure proprio Ordinis non autem in Iure communi ſed tantùm poſſunt ipſum Ius commune cum juſta cauſa moderare in taxatione pœnarum. Prælati autem inferiores, & Iudices Ordinarii non poſſunt augere, vel minuere, vel commutare pœnam ſtatutam à Iure communi, vel particulari Religionis, niſi conſulto Superiore majore, & niſi cauſa ſit intrinſeca, & cohærens delicti. *Farin. q. 17. n. 67.*, nam à pœna ordinaria, ut ſupra diximus, non eſt recedendum, quando præcedit plena delicti probatio. In Reis tamen ſolitis delinquere poſſunt Iudices etiam inferiores ex aliqua juſta cauſa pœnam ordinariam augere. *Sanchez. ibid. n. 11. 12. Clar. q. 21. Farin. q. 23. n. 1.* Et ſufficit binus actus ad augendam pœnam. *Farin. ibid. nu. 16. Cartar. deciſ. 11. num. 13.*

§. 8. Et idem dicendum eſt de pœnis arbitrarijs, quæ vel propter attrocitatem criminum, vel per inſolitum peccandi genus, vel ob delicti pœnam arbitrio Iudicis

cis reſervatam, nullum in Iure, vel Statuto ſupplicij genus præſcriptum habent. Undè quantumvis in his pœnis decernendis Iudex poſſit eas ex arbitrio imponere, debet tamen, ut monet Innoc. *in c. qualiter, & quando, & q. 2. col. fin.* ità ſe ipſum legibus conformare, ut de ſimilibus ſimilia eliciat; & præcipuè attentè conſiderare debet, ac maturè perpendere in primo loco criminis naturam, gravitatem, atrocitatem, & circunſtantias; Deindè delinquentis perſonam, conditionem, & gradum; an, ſcilicèt, ſit ſolitus delinquere, an cum ſcandalo, an provocatus, vel ſpontè, aut ex libidine deliquerit. Et tandem loca, ac tempora patrati ſceleris diſcutiat; an videlicèt in loco ſacro, vel profano, an ſolus, vel cum ſocijs &c. Et quia Prælatura, ut inquit Paſſar. *de qualit. eligent. cap. 25. nu. 619.* divitijs comparatur, & eſt bonum ſublimioris ordinis, idcircò privatio Guardianatus, vel Prioratus, ſive vocis activæ, & paſſivæ, vel inhabilitas eſt pœna graviſſima, & duriſſima: undè per conſequens nullo modo competit, ſubdit idem Paſſar. *ibid.*, nec de Iure competere poteſt levibus defectibus, immò nec gravibus. Quare Iudices Regulares cautè procedere debent in tali pœna graviſſima infligenda. Quæ gravitas augetur ex eo, quòd regulariter, ut Suarez. fatetur *lib. 5. de legib. c. 7. & tom. 5. de cenſ. diſp. 3. ſect. 1.* non poteſt quis exequi hanc pœnam ſine propria infamia, dum talis privatio inhabilitat tàm ad ferenda, quàm ad conſequenda ſuffragia in quacumque electione, vel negotio, quod in Capitulis expediri ſolet, ut ex Navar. & alijs tradit P. Vecch. *de Novit. diſp. 12. dub. 5.* ex quo colligitur, quòd talis pœna non eſt purè privativa, ſed talis, cujus executio in actione conſiſtit, & quidem multum afflictiva humanæ infirmitatis, ſcilicèt, in actuali, & poſitiva ſpoliatione Prælaturæ jam collatæ. *Paſſar. loc. cit. nu. 617.* De Pœnis à Iure ſtatutis conſule P. Did. à Meſſan. *p. 7. c. 6.*

De diminutione, & extenſione Pœnarum.
Regula Quinta.

§. I. EXplicatis his, quæ ad pœnam ordinariam Statutariam ſpectant, ac indicatis illis, quæ à Iure communi, ſeù Canonico, & Civili ſunt comprehenſæ, & taxatæ, & quæ videri poſſunt in Patre Didaco à Meſſana Capuccino *loc. cit.* reſtat modò, ut videamus quando pœnæ ordinariæ poſſint augeri, vel diminui. Et primò poſſunt augeri ex circunſtantia ſcandali, quando, ſcilicèt, crimen publicè in conſpectu Sæcularium à Religioſo patratum fuit cum magno Religionis præjudicio. 2. Ex circunſtantia loci, ut ſi fornicatio, vel aliud crimen ſit commiſſum in loco Sacro. 3. Ex circunſtantia modi, nimirùm quando aliquis per vim cognovit mulierem, vel ſtuprum Virgini intulit. 4. Ex circunſtantia perſonæ, nempè, quando quis Superiorem vel illuſtrem virum interfecit, qui Religioni vel Reipublicæ maximè utilis erat. 5. Ex circunſtantia ſubverſionis, quando, ſcilicèt, unius delictum multorum ſubverſionis cauſa fuit, ut capita factionum, qui ſæpè ſuo delicto plures involvunt. His enim, ac ſimilibus pœnæ augentur juxta exceſſus menſuram, ut ex ipſo Iure conſtat *l. facta §. fin. ff. de pœnis.* Et multæ aliæ cauſæ addi

poſſunt, quæ apud Alphonſum de Caſtro *l. 1. de pot. leg. pœn. c. 6.* & Sebaſtianus Medices refert. *in cap. erit. diſt. 4. n. 83. & ſeqq.* copioſiùs habentur.

§. 2. Quæ verò ad pœnam diminuendam valent ſunt ſequentes, & Prima eſt defectus mali doli; quia cùm dolus ſit anima pœnæ, ut ait Boſs., hinc eſt, quòd crimen perpetratum non ex animi deliberatione, aut ex cogitato conſilio, ſed impetu quodam, ac mentis perturbatione, vel ex ira, vel ex dolore, vel ex alio repentino motu concepta, ſicut allevat culpam, ſic etiam minuit pœnam, & aliquando nulla pœna punitur, ut homicidium caſuale, quòd eximit Clericum quoque ab irregularitate. *Farin. q. 226. n. 57.* Secunda eſt delinquentis ætas, videlicèt, ſi puer, aut ſenex fuerit, ſi quidem in Iure, & apud Doctores receptum eſt, ut Iudex in his pœnam mitigare poſſit. *l. auxilium §. in delictis ff. de minor.* Et ſi eſt infans excuſatur in totum; quia caſualiter peccare dicitur *l. infans ff. de ſicar.* Infans autem dicitur ab ortu uſque ad ſeptennium completum. Impubes (idèſt puer maſculus) ab anno ſeptimo uſque ad decimum quartum annum incluſivè, poſt quem incipit vocari pubes; Fęmina verò dicitur impubes ab anno ſeptimo uſque ad duodecimum incluſivè poſt quem incipit vocari pubes, ſed proximus pubertati maſculus dicitur poſt decennium cum dimidio, fęmina poſt novennium cum dimidio. Pubertas in maſculis & fęminis durat uſque ad annum 25. non enim differunt in detinentia pubertatis. Et ſic minores 25. annorum mitiùs puniuntur de Iure communi. Tertia eſt, probitas anteactæ vitæ. Qui enim aliàs optimis moribus præditus fuit, & Reipub. aut Religioni aliquando utilis fuit, mitiùs etiam puniri debet, ſi in crimen aliquod incidat *l. non omnes ff. de re milit.*

§. 3. Quarta eſt Ebrietas, qui enim delictum eo tempore, quo ebrius erat, perpetravit, quamvis à culpa immunis non ſit, excuſatur tamen à dolo: & idcircò minori pœna quàm ordinaria plecti debet. Et idem dicitur de furioſo, qui ebrio æquiparatur. *Tuſc. lit. A. concl. 327. n. 2.* Et quia nihil vehementiùs furoris amore, ideò etiam amoris cauſa delinquens mitiùs eſt puniendus: & ſic attentans pudicitiam Virginis invitæ repentino motu cauſato ex amoris, & libidinis furore, non eſt puniendus pœna ordinaria, ſed extraordinaria Iudicis arbitrio. *Peguer dec. 7. n. 18.* Et ſi ebrietas eſſet prorſus inculpabilis, quæ non ſolum à dolo, ſed etiam à culpa immunis eſſet, tunc tali modo delinquens abſque pœna à crimine eſſet abſolvendus: ut ferè omnes Doctores affirmant. *D. Th. in 4. diſt. 17. q. 2. a. 2.* Quinta eſt in criminalibus lata culpa, quę à corporali pęna infligenda excuſat: in his enim Cauſis fallit dictum, quòd lata culpa ęquiparatur dolo, ut tradit Lex *in leg. ff. de Sicar. Men. de arbit. caſu 324. n. 11. Clar. q. 84.* quòd ea præſertim ratione firmatur, quòd in criminalibus cauſis, ubi dolus non præſumitur, nullus corporali pœna plecti valeat, ſed tantùm arbitraria pœna pro lata culpa.

§. 4. Confeſſio ſpontanea Rei eſt ſexta cauſa minuendi pœnam, quòd tamen intelligendum eſt, ut omnem torturam, & criminis negationem præceſſerit; quia tali pacto facta ſicut præſefert plenam delicti deteſtationem, ſic meretur pœnæ diminutionem. *Berus in c. Atſi Clerici de Iudic.* Septima eſt crudelitas. Nimirùm quando quis credit ſe juſtam cauſam habere aliquid agendi, quod legi, aut Statuto adverſatur, aut credit illud non eſſe delictum; quia tunc dolus abfuiſſe præſumitur.

tur, etiamſi juſta illius credulitatis cauſa non ſubeſſet: nam, vel dolus eſt de ſubſtantia delicti, ut in crimine falſi perjurii &c. vel delictum tantum committatur, ut in traſgreſſione alicujus legis. In primo caſu, quælibet cauſa ſive juſta, ſive injuſta à crimine excuſat, dummodo vera credulitas adſit, atque adeò à tota pœna liberet. In ſecundo verò caſu, ſi cauſa eſt juſta, ſicut à tota culpa excuſat, ſic à tota pęna liberat, ſi autem cauſa eſt injuſta à dolo quidem excuſat, ſed non à tota culpa liberat, ex quo provenit, ut puniri quidem pro culpa poſſit ſed mitius, quàm ſi dolus adfuiſſet, quæ eſt communis Doctorum ſententia. Ruſticitas, ſeù ſimplicitas eſt etiam cauſa minuendi pęnam; quia non præſumitur ex dolo peccare, ſed potiùs ex ſimplicitate, & ruſticitate, quàm ex animi pravitate. *Farin. q. 89. n. 46. & q. 98. n. 19.* Et idem dicitur de imprudentia, quæ excuſat delinquentem à pęna ordinaria. *Alex. conſ. 140. vol. 2. Dec. conſ. 60. & in l. inferreſſ. de reg. Iur.*

§. 5. Provocatus verbis injurioſis, ſeù facto aliquo excuſatur à pęna ordinaria, & mitiùs punitur; quia indulgendum eſt ei, qui provocatus ulciſcitur. *Abb. in c. 1. col. 1. verſ. puto tamen de injur. Alex. conſ. 544. vol. 2. Farin. conſ. 35. n. 12.* Auctor verò, ſeù inceptor rixæ ſemper dicitur eſſe in culpa. *Farin. q. 125. n. 7. & conſ. 35. nu. 13.* non tamen dicitur incipere, qui ira aliquid, ſed qui ad iram provocat, & ille dicitur princeps culpæ, à quo malitia incipit. *Bald. conſil. 145. lib. 1. Farin. ibid. n. 14.* Calore iracundiæ cauſato, quàm facto proprio, efficit ut injuria realis, vel verbalis mitiùs puniatur. *Roman. in l. cum mulier. n. 66.* Undè homicidium calore iracundiæ cauſatum pęna extraordinaria Iudicis arbitrio punitur *Clar. q. 60. verſ. etiam. Menoch. de arbitr. lib. 2. caſu 219. n. 33.* Et idem dicitur juſto dolore, quia homo juſto dolore permotus non eſt in plenitudine intellectus etiam quòd ex intervallo peccet. *Farin. conſ. 97. in addit. litt. A.* Hinc eſt quòd provocatus, ſi provocantem offendat, mitiùs punitur, etiam quòd inculpatæ tutelæ moderamen excedat; dato quoque quòd ira non proveniat ex facto adverſarii, ſed aliunde ex facto tertij. *Farin. q. 91. n. 7. 8. & n. 16. ubi alios citat.*

§. 6. Ignorantia Iuris, aut Statuti eſt ipſa quoque juſta cauſa minuendi, pęnam, dummodo non ſit affectata. Nam ſi quis legem, vel Statutum ignorans, quòd tamen habita diligentia ſcire poterat, ac debebat, tranſgreditur, quamvis non excuſetur à toto, excuſatur tamen à tanto, ac proinde tota pęna legis caſtigari non debet; ſed tantùm pęna extraordinaria arbitrio Iudicis taxanda juxta qualitatem perſonæ, & ignorantiæ, quæ in illa præſupponi poteſt. Conſuetudo loci, quæ eſt contra Ius poſitivum, dummodo ſit legitimè præſcripta, cùm deroget legi, ſicuti excuſat à culpa, ſic etiam eximit à pęna legis: Si verò eſt Ius contra naturale, vel Divinum cùm ſit illegitima, & nullius valoris per ſe, ſicut non excuſat à culpa, ità quoque non eximit à pęna à lege Divina, vel naturali introducta. Nobilitas delinquentis eſt & ipſa juſta cauſa minuendi pęnam. Nobiles enim, & digniores mitiùs puniuntur. *l. Pædius §. 1. ff. de incent. & l. Aut. damnum §. in miniſterium. cap. ſive de pœnis. Ubi Hoſt. Butr. Panormit. cap. paſtoralis de offic. Deleg. ubi Felin. & alij Doctores communiter.* Et ſicut qui aliàs optimis moribus præditus fuit, & Religioni aliquando utilis fuit, mitiùs puniri debet, ſi in crimen aliquod incidat; ità etiam deſumitur cauſa minuendi pęnam ex magnis meritis, & beneficijs in Religionem col-

Ff 2 latis

latis à delinquente, vel ab eius majoribus, & conjunctis *l.* 2. §. *cum Appius ff. de orig. Iur. & l. non omnes ff. de re milit. Clar. q.* 60. *n.* 23. Hoc tamen non verificatur in delictis attrociſſimis. *Baiar. ad Clar. q.* 60. *n.* 99. *Farin. q.* 97. *n.* 148.

§. 7. Præter has, dantur etiam aliæ cauſæ, quæ Iudices movere poſſunt, ut mitioré, extraordinariamq; pęnam Reis adhibeant, quas prudens Iudex deſumere poteſt ex loco, tempore, perſona, & aliis circunſtantiis; & duo præcipuè conſiderare debet; unum, quod in foro externo, ubi non eſt dolus, nec malitia regulariter pęna ordinaria delictorum non habet locum, & ideò, ut alibi diximus, defectu doli, & malitiæ eſt juſta ratio minuendi pęnam legis, etiam ſi delicta eſſent attrociſſima. *Clar. q.* 84. *Guaz. def.* 33. *c.* 18. *n.* 1. *Farin. q.* 87. *n.* 10. *& q.* 117. *nu.* 18. *& ſeqq.* Dolus autem ex D. Th. 2. 2. *q.* 51. *art.* 4. eſt executio aſtutiæ. Aſtutia verò ex eodem S. Doctore *q.* 53. *a.* 3. eſt quædam ſpecies prudentiæ falſæ, quæ conſiſtit in recognitione viæ non bonæ, nec veræ, ſed ſimulatæ ad aliquem finem obtinendum, & ſic eſt exercita machinatio, calliditas, & ſimulatio ad alterum decipiendum. Multipliciter autem diſtinguitur dolus, & primò in verum, & præſumptum. *Menoch. lib.* 5. *præſumpt.* 3. *Dec. p.* 3. *lib.* 1. *c.* 4. Dolus verus eſt machinatio ad fallendum adhibita, & ſic non probatur, niſi probato animo fallendi. *Farin. q.* 88. *n.* 5. *&* 7. Dolus præſumptus eſt, qui ſive in rei veritate ſit talis, ſive non, præſumptione tamen Iuris eſt talis. Vel eſt ille, qui non plenè probatur, ſed ſolùm ex conjecturis, & præſumptionibus colligitur. Secundò diſtinguitur in bonum, & malum. Dolus bonus idem eſt, quod ſolertia; & eſt ille de quo gloriatur Apoſtolus dicens *Cum eſſem aſtutus dolo vos cæpi.* 2. *Corint. c.* 12. Malus verò eſt macchinatio ad fallendum: undè dolus ſimpliciter dictus accipitur pro dolo malo. Diſtinguitur etiam à fraude, ut genus à ſpecie; quia dolus eſt machinatio ad fallendum ſive per facta, ſive per verba, ſed fraus, ſolùm per callidam, & ſimulatam loquutionem committittur. *D. Th.* 2. 2. *q.* 55. *a.* 5.

§. 8. Alterum, quod Prælati Regulares non poſſunt punire ſubditos delinquentes pœna gravi, & juridica mediante proceſſu pro delicto ſine dolo, vel ſaltem ſine culpa commiſſo. *Gloſ. in cap. Cognoſcentes. in verb. culpa de conſtit.* ubi dicitur, quòd pęna præſumit culpam. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 108. *art.* 4. *in ſolut. & cap.* 2. *q.* 87. *tit.* 7. *&* 8. *Sot. de Iuſtit. lib.* 1. *q.* 6. *a.* 5. *Aldrete de Relig. diſip. tuenda lib.* 2. *c.* 10. *n.* 8. *Surd. deciſ.* 277. *n.* 19. Nam ubi non eſt culpa, non poteſt eſſe delictum. *Barboſ. in collect. ad d. cap. Cognoſcentes n.* 14. & per conſequens nec pęna. *cap. cum voluntate de ſent. excommun. l. aliud fraus. ff. de verbor. ſignif. reg.* 23. *de regulis Iuris in* 6., & nec accuſatio procedit, nec Inquiſitio formari poteſt. *Bartol. & alij in l. Vbi pactum C. de tranſat. & in l. ſi Servus C. de ijs, qui ad Eccleſiam confugiunt. Farin. q.* 17. *n.* 1. *Scacc. de judicijs c.* 71. *n.* 3.

§. 9. Nec omne illicitum, & contra bonos mores eſt delictum gravi pęna, & judiciaria dignum. *l.* 3. §. *non perpetuo, verſ. Divus ff. ut ſi quia eum qui, & ibi Alex. & communiter Doctores. Bald. conſ.* 14. *vol.* 1. *Dec. conſ.* 90. *col.* 2. *&* 181. *col.* 4. *Natta conſ.* 595. *n.* 10. *&* 597. *n.* 108. Sed tantùm illud cenſetur delictum, quod in foro externo eſt dignum accuſatione, vel Inquiſitione, & pęna. *cap. Apoſtolus in fin.* 81. *Dec. tract. crim. lib.* 1. *c.* 9. *n.* 3. Et ſic patet, quòd licèt aliquod factum

ſit in

ſit in ſe illicitum, & grave, ſi in foro externo non reputatur delictum non eſt punibile judicialiter, nec propter hoc proceſſari debet tamquam delictum, cùm non omne illicitum reſpectu fori interni dicatur delictum in foro externo. Et de jure nemo eſt vexandus ex delicto, quod non poteſt deduci ad forum, nec ex eo puniri, ut in terminis de caſu non punibili in foro externo tenet *Novell. in tract. ad defenſ. tit. de excuſat. à Reo facienda. n. 1. & ſeqq. Cabal. caſu 256. n. 7. centur. 3. in ſuis reſol. crim.*, ubi docet, quòd caſus non punibilis in foro fori impedit litis ingreſſum, cum corruat Inquiſitio cum omnibus indè ſecutis. *Bertaz. conſ. 238. n. 2., & conſ. 123. n. 12. Idem Cabal. in ſuis quæſt. crim. caſ. 1. n. 12. Par. ſ. conſ. 171. n. 77.* Undè Megala in ſua practica criminali, dicit, quòd malè fecerunt aliqui Superiores, qui compilaverunt proceſſum contra Subditum, qui tres formas Caſei in Monaſterio rapuerit, quæ omnes vix attingebant pondus decem librarum. Et Cabal. ubi ſupra probat multis Iuribus, & Doctoribus, quòd non quælibet injuſta hominis actio ſapit delictum pęna dignum, ſed ea tantùm, quæ lex delictum eſſe voluit, & punienda ſtatuit expreſsè. Et licèt dolus præſumptus dicatur æquiparari dolo, non tamen æquiparatur in hoc, quod delictum puniri debeat in rigore pęna legis, ſed ubi dolus eſt ſolùm præſumptus delictum mitiùs puniri debet. *Dec. p. 1. lib. 1. c. 4. n. 17.* In dubio autem dolum non præſumi certum eſt, & ſumi debere omnem præſumptionem excludentem dolum, & adhiberi omnem interpretationem, quæ dolum, & culpam excludat, & potiùs præſumendum errorem, quam dolum pariter eſt indubitatum.

De Sententijs ferendis. Regula Sexta.

§. 1. QUamvis multas ſolemnitates Iuris in ſententijs ferendis neceſſariò ſervare debeant Iudices Sæculares in proprio foro, ſine quibus eorum ſententiæ eſſent nullæ, quales ſunt v. g., ut Iudex in ſententia ferenda pro tribunali ſedeat, ut eam proferat de die, & non de nocte, aut die non feriato, & alia hujuſmodi, quæ apud Regulares potiùs inter apices, quàm inter ſolemnitates Iuris connumeranda ſunt. Attamen apud ipſos Regulares, qui ſummariò tantùm modo procedunt, & ad apices Iuris non tenentur, abſque diſcrimine in eorum foro omitti poſſunt; quo fit, ut qualibet etiam die feriata, ac feſtiva à Iudice Regulari ſententia ferri poſſit: Benè tamen erit ſententiam non publicare in diebus ſolemnibus, & maximè Beatæ Virginis, & Domini noſtri ob reverentiam eiſdem diebus debitam. Subſtantialia tamen Iudicij ſervare debent & ipſi quoque Regulares, aliàs ſententia erit nulla. *cap. Vxor 17. q. 4.* Subſtantialia autem ſunt ſequentia.

§. 2. Primum eſt, quòd ſententia feratur ſecundùm Iuris diſpoſitiones, & non ex proprio judicio, ſed debet eſſe conformis Statutis particularibus propriæ Religionis, quibus deficientibus debet eſſe conformis Iuri Canonico, & iſto deficiente, recurrendum eſt ad pęnam legis Civilis, ſeù ad pęnam conſuetudinariam, dummodo non contradicat menti Canonum. Immò ſententia eſſet injuſta, ſi pęna excederet conſuetudinem loci, niſi hoc fieret ex cauſa. Nam ſicut ex cauſa poteſt recedi à pęna legis, ſic etiam à pęna conſuetudinaria. Ubi autem non eſt ſtatuta à Iure, vel

Con-

Conſuetudine, relinquitur arbitrio Iudicis, qui ſecundùm qualitatem delictorum poteſt extendi ad quamcumque pęnam citra mortem. Nam pęna mortis in arbitrarijs à Iudice eligi non poteſt, *ſecundùm Menoch. de arbitr. q. 86. n. 1. & 20. Ricc. p. 3. collect. 559. in fin.* Et ubi duas pęnas imponere poteſt, mitiorem tenetur eligere Iudex, *ut habetur ex Gloſſa in c. de cæteris de offic. Deleg. in v. certa.* Et eſt communis ſententia Doctorum, *& præcipuè Panor. in d. cap. Farin. Dec. & Menoch. ibid. q. 85. & 94.* Et non ſolùm in impoſitione pœnarum, ſed etiam in omnibus alijs non determinatis à Jure recurrendum eſt ad arbitrium Iudicis, ad quod probandum communiter allegatur dictum cap. *de Cæteris & habetur etiam in c. fin. de tranſact. & in l. 1. ff. de Iure deliber. Bald. in l. ne quidquam §. de plano in 2. col. ff. de offic. proconſ.*, aſſerens, quòd licèt per clauſulam illam *Summariè, & de plano.* Iudex ordinem Iuris ſervare non compellatur, debet tamen ſententiam ſecundùm Iuris diſpoſitionem proferre. *Aſin. in prax. §. 3. c. 27. n. 1. Bertaz. conſ. 164. n. 2.* Et Marta *clauſ. 160. n. 12.* dicit, quòd clauſula *Summariè, & de plano ſine ſtrepitu, & figura Iudicij* non operatur niſi quantum ad ordinem procedendi, non verò quoad exceptiones reſpicientes deciſionem. *Bart. in extravag. ad reprimendum verſ. Summariè n. 13. & ſeqq. verſ. quædam ſunt*, ubi limitat, quando agitur contra abſentem. Sententia enim debet eſſe æqualis delicto, & ſi Iudex imponeret pœnam majorem, vel graviorem, quàm delicti qualitas expoſtulat, erit nulla, & non exequenda, quamvis lata eſſet in contumaciam. *Plot. conſ. 72. n. 31. & ſeqq. tom. 2. crimin. in fol. Farin. q. 11. n. 62, & conſ. 28. n. 1. Bajard. q. 93. n. 11. & ſeqq. & q. 96. n. 10.* Et è contra ſi eſſet lata in minorem pœnam, quam ſit inflicta à Statuto, ſi non conſtat de aliqua cauſa minorationis pœnæ ſaltem in genere non valet, & eſt nulla veluti lata contra Ius. *Farin. q. 18. n. 62. & ſeqq. Scacc. de Iudic. lib. 1. c. 12. n. 96.*

§. 3. Secundum ſubſtantiale eſt, quòd ſententia priùs debet ſcribi, & poſteà legi, aliàs ſi priùs oretenus proferatur, & poſteà ſcribatur eſt ipſo Iure nulla *l. 2. & 3. de ſent. cap. fin. de re jud. in 6. Vantic. de nullit. defect. proceſſ. n. 69. Bajar. q. 93. num. 7.* Et debet publicari ea die, qua cadit citatio, aliàs ſi fuerit lata alia die, vel priùs, nulla erit. *Marant. in ſpec. p. 6. tit. de ſent. num. 88. & ſeqq.* & debet fieri ad Rei præſentiam, ac præſentibus teſtibus, ſi eius præſentia haberi poteſt, ut dicitur in noſtris Statutis *in 4. ſubſt. n. mihi 173.*, & poſt latam ſententiam adjungitur ipſo reo acceptante, & conſentiente ſi acceptat, ſi verò appellat, ſcribitur, ipſo præſente, & appellante ad talem Iudicem. At ſi Reus eſt abſens debet ipſi intimari, & debet proferri per verba de præſenti. *Muſcatel. in prax. part. 7.*, quòd totum verificatur etiam in cauſis ſummarijs. *Abbas. in cap. Albert. in 1. oppoſit.* Et non ſufficit dicere, quòd ſententia fuit lata, ſed debet dicere etiam quod fuit lecta, aliàs eſt ipſo Iure nulla. *Tuſch. lit. S. concluſ. 133. n. 18. Bart. in l. fin. C. de ſent. Franc. in cap. fin. n. 11. de re jud.* Tertium ſubſtantiale eſt, quòd ſententia ſit certa, aliàs non valet, *l. ſent. quæ ſine certa quantit.* cùm ex ſententia incerta Iudex non dicatur definire negotium, & hoc eſt de Iure naturali. Et certa dicitur illa, quæ declarat factum, quando lex, vel ſtatutum ſuper tali facto imponit certam pœnam. *Vant. de nullit. defect. Iuriſd. nu. 93.*, & quando refertur ad Acta, quæ certa ſunt. *Idem ibid. n. 103.*

Quar-

Quartum ſubſtantiale eſt, quòd conſtet de corpore delicti, maximè ſi eſt facti permanentis. Immò in criminali cauſa Iudex nunquam poteſt procedere ad aliquem Actum, niſi priùs conſtet delictum eſſe commiſſum. *Scacc. de Iud. lib.* 1. *c.* 83. *n.* 3. & ideò corpus delicti ante omnia eſt probandum, ut quis dicatur delinquere. *Farin. conſil.* 60. *n.* 3. Quo non probato, Iudex non poteſt devenire nec ad torturam, nec ad condemnationem, quamvis quis eſſet confeſſus crimen de quo imputatur. *Farin. q.* 23. *n.* 2. Nam confeſſio non poteſt facere delictum non delictum. *Cravet. conſ.* 29. *n.* 2. *& conſ.* 48. *n.* 7. *conſ.* 93. *n.* 1. *conſ.* 162. *n.* 4. *Bertaz. conſil.* 11. *n.* 2. *& conſ.* 266. *n.* 55.

§. 4. Quintum ſubſtantiale eſt citatio ad audiendam ſententiam, qua prætermiſſa, ſententia nullo modo poteſt ſuſtineri, neque in Cauſis Summarijs. *Alex. conſ.* 42. *n.* 3. *lib.* 4. *Tuſc. lit. S. concluſ.* 152. *n.* 48. *Aldret. de diſcip. relig. lib.* 1. *c.* 17. *n.* 1. *Ghisl. de Iud. regul. c.* 20. *n.* 9. *Felin. in cap. Eccleſiarum nu.* 66. Et non ſufficit citatio generalis ad Cauſam, vel ad audiendum Iudicem, ſed debet eſſe ad audiendam ſententiam nominatim. *Vant. tit. de nullit. defect. citat. n.* 56. *Rot. deciſ.* 17. *n.* 1. *de ſent. & re iud.*, & debet legi in faciem ipſius Rei, ſi eſt præſens, ut ſupra diximus. Et tandem de ſubſtantia proceſſus, & ſententiæ eſt, quòd proceſſus conficiatur à Notario coràm Iudice, cùm Iudex non poſſit proceſſum per ſe ipſum ſcribere, & ſi ſcriberetur ei non crederetur, nulluſque eſſet ipſo facto. *Rodriq. tom.* 2. *q.* 12. *a.* 2. *Barboſ. in cap. Quoniam* 11. *de probat. n.* 24. *Mirand. q.* 30. *nu.* 8. 9. Et apud nos dicitur Actuarius, & eſt perſona publica non minoris fidei, quàm ſit Notarius Sæcularis. *Navar. lucer. Reg. verb. Notarius ex Rodriq. tom.* 3. *q.* 8. *a.* 1. *Caſtelin. de elect. c.* 20. Et creari poteſt à Provinciali, & à Guardiano, vel Commiſſario pro Cauſis criminalibus intra Ordinem. *Aldret. loc. cit. c.* 8. *lib.* 1. *Novar. ibidem*. Adverte autem, quòd licèt de conſenſu partium ſolemnitates Iuris quæ ſunt introductæ in favorem tertii, remitti poſſint, *ut præter Gloſſam in c. de cæteris & in v. conſenſu volunt Mant. de Ord. Iud. p.* 2. *num.* 3. *& ſeqqu. Vant. de nullit. ex defect. proceſſ. n.* 73. Non tamen poſſunt remitti illę ſolemnitates Iudiciales, ſeù ſubſtantialia, quę reſpiciunt publicam utilitatem, inter quas enumerat eadem Gloſſa omnes, quæ ſunt de ſubſtantia Iudicii, ut libelli oblatio, litis conteſtatio, & quòd ſententia feratur in ſcriptis. Et nota benè hanc Gloſſam, quæ dum dicit, hæc tria ſolùm eſſe de ſubſtantia Iudicii, excludit alia. Si tamen cauſæ eſſent leves, poſſunt partes remittere, quòd ſententia non feratur in ſcriptis. Immò de neceſſitate non fert hodie etiam ſine conſenſu partium, *prout notat Butr. in d. c. de cæteris nu.* 32. Et univerſaliter ex pacto poſſunt partes remittere omnes ſolemnitates, idèſt, convenire, ut Iudex procedat abſque Ordine Iudiciario, in quo caſu dictum Iudicis non habebit cùm ſententiæ, ſed cujuſdam pacti, *ut dicitur in l.* 2. *C. commun. utriuſque Iud. & in c. ſignificaſti de for. compet.* Et ſic poſſunt partes à principio convenire, ut Iudex procedat ſine ordine Iudiciario. At ſi velint partes, ut dictum Iudicis haberet vim ſententiæ, tunc non poſſunt remittere ordinem ſubſtantialem à Iure inductum, *ut in c. uni de lit. conteſt.* Et ſic quotieſcumque ſententia deficit in ſupradictis ſubſtantialibus, vel in ſubſequentibus capitibus ſemper eſt nulla, & impugnari poteſt via nullitatis.

Primum

§. 5. Primum eſt, quando Inquiſitio eſſet illegitima, & inepta, nempè non præcedente infamia contra delinquentem, ut alibi diximus de Inquiſitione ſpeciali. Vel quando quis eſſent inquiſitus de aliquo delicto innominato, non addita qualitate, ex qua illud factum ſit delictum: Vel ſi quis fuiſſet inquiſitus, & condemnatus de furto non conſtando in proceſſu de tempore, aut loco, in quo commiſſum fuit: Vel quia eſſet lata ſententia ſine proceſſu. *Tuſch. litt. S. concluſ. 153. nu. 38. & 39.* Secundum eſt, quando ſententia non eſt lata infra inſtantiam Iuris communis, ſeù Statutarij eſt nulla. *Gloſ. in l. properandum de judic. Bald. tract. var. lib. 6. q. 2. n. 15.* Tertium eſt, quando Iudex ſe refert ad acta nulla, ſeù in Actis nihil conſtat. *Guaz. def. 35. c. 4. n. 3.* Quartum, ſi ex ſententia apparet manifeſtus dolus Iudicis. *Bald. conſ. 274. n. 2. Tuſc. loc. cit.* Et quando ſententia eſt nulla, nullum parit effectum, ſi eſt evidenter nulla. *Felin. in cap. ex tenore de reſcript. Pariſ. conſ. 171. vol. 4. Guaz. def. 35. c. 22. nu. 1.* Et advertendum eſt, quòd ſententia continens plura delicta, poteſt in una parte valere, & in alia non; quia non una cenſetur ſententia, ſed plures, juxta pluritatem delictorum in ea expreſſorum. *l. ampliorem. & ibi Gloſſ. in verb. Iudicare C. de appellat.* Et illa dicuntur delicta ſeparata, quæ nullum habent communem effectum, nec cauſam. *Roman. conſ. 195. in fine. & 281. n. 1. Tuſc. litt. S. concl. 165. n. 1. Guaz. def. 35. c. 13. n. 3.* Hinc eſt, quòd Iudex poteſt in uno capitulo abſolvere Reum, & in alio condemnare. *Tuſch. loc. cit. n. 7. Roman. conſ. 190. n. 69. & conſ. 281. n. 2. Guaz. ibid. n. 2.* Si verò delicta eſſent connexa, & inſeparabilia, tunc non poſſet in una parte valere, & in alia non; *l. in hoc 28. ff. famil. Cabal. caſ. 286. num. 33. Caſal. q. 960.* Et connexa ſunt, quæ ad invicem habent dependentiam, & ad eumdem effectum tendunt, ità ut unum factum cenſeatur. *Cabal. ibid. n. 31. Guaz. loc. cit. n. 2.*

§. 6. Et licèt nullitas ſententiæ principaliter in Iudicio intentata non impediat executionem ſententiæ, quando requirit altiorem indaginem, & liquidò probari non poteſt, nec quando executio eſt retractabilis; quando tamen eſt irretractabilis, etiamſi requirat altiorem indaginem, impedit executionem. *Boſſ. tit. de nullit. n. 4. Scacc. de appel. q. 19. remed. 1. concl. 4. n. 74. 75. Vant. tit. de nullit. tit. tot, quot, & quibus modis nullit. in Iud. n. 31.* Et eò fortiùs impedit executionem, quando proponitur æquè principaliter cum appellatione. *Vant. ibid. n. 34. & 35. Scac. loc. cit. n. 92. 95.* niſi cauſa eſſet inappellabilis, in quo caſu nullitas non ſuſpendit, ut nullitas in retractabilibus, ſed ratione appellationis: ſi verò nullitas eſſet notoria, impediret executionem, etiamſi eſſet retractabilis. *Scac. ibid. n. 75. & 86.* Et poteſt dici de nullitate, etiamſi appellatio eſſet prohibita. *Scac. q. 19. remed. 1. concl. 2. n. 1.* Et ſi copulatur cum appellatione proferendo v.g. *Dico ſententiam nullam, & ſi qua eſt appello*, deſerta cauſa appellationis, remanet cauſa nullitatis. *Bart. in l. ſi expreſſim. n. 10. ff. de appellat. Rot. deciſ. 37. nu. 6. p. 3. lib. 3. in noviſſ. Chart. dec. 62. n. 23. & 24.* Secùs ſi nullitas incidenter eſſet deducta ſub verbo Appello; quia tunc ſequitur naturam principalis. *Scac. loc. cit. Farin. deciſ. Rot. 512. p. 3. recent. & deciſ. 591. n. 8. & deciſ. 617. n. 3.* Et quando ſententia eſt evidenter nulla, nunquam tranſit in rem Iudicatam. *cap. extra de frig. & malef. Tuſc. lit. S. concl. 175. n. 3. & concl. 154. n. 6.* Et dicitur conſtare evidenter de nullitate, quando

quando conſtat ex actis. *Tuſc. ibid. n. 5. & 8. Farin. conſ. 53. Guaz. def. 35. c. 22. n. 7.* Quæ nullitas notoria ex actis non cenſetur prohibita, nullitate prohibita. *Rot. apud Farin. deciſ. 365. n. 8. p. 1. & deciſ. 97. lib. 2.*

§. 7. Et ſententia inter alia continere debet condemnationem, vel abſolutionem, aliàs non valeret. *Caſtr. conſ. 16. n. 7. lib. 1. Alex. conſ. 123. lib. 1. Tuſc. lit. S. concl. 132. n. 1.* Non requiritur tamen, ut Iudex exprimat cauſas, & rationes, ex quibus movetur ad ſententiandum. *cap. ſunt de re jud. Spec. tit. de ſent. prolat. §. qualiter, verſ. verum ſi rationes. Tuſc. lit. S. concl. 245. n. 6. Natt. conſ. 515. nu. 31, & ſeqq.* cùm ſufficiat ad eſſentiam ſententiæ, quòd in ea contineatur abſolutio, vel condemnatio, ſive æquivalens, tacendo cauſam, ne fortè erroneam exprimens, vitiet ſententiam, & calumnijs viam aperiret. Immò à multis fatuus dicitur Iudex, qui exprimit cauſam, cur ità judicavit, & ſi illam vult exprimere pro ſuo honore, & decore, ſufficit, ut dicat, ſe motum fuiſſe ex pluribus tàm ex Actis, quàm ex Iuribus reſultantibus, & maximè ex tali, & tali; quia tunc videtur non ſolùm ex cauſis expreſſis moveri, ſed etiam ex alijs, quæ tacentur. *Mod. Rom. q. 17. nu. 62. Cavalch. de brach. reg. p. 4. n. 102.* Si verò Iudex expreſſerit plures Cauſas, & una erit falſa, altera vera, ſententia ſuſtinetur ex illa vera. *Roman. conſ. 343. n. 8, Tuſc. d. concl. 145.* dummodo tamen dicta cauſa ſit apta, ut ait idem Tuſc. In criminalibus tamen magna eſt inter Doctores altercatio. Et quidquid de Iure dici poſſit. *Albéric. in l. proponendum §. illo n. 34. & ſeqq. C. de jud.* dicit, quod continuè ſervatur in facto, quòd cauſa inſeratur in ſententia criminali, ut firmat Clar. *q. 93. n. 2.*, videlicèt, ut dicatur, *quòd N. fuit accuſatus, vel denunciatus, vel Inquiſitus de tali delicto &c. & nobis conſtat per teſtes, vel per eius confeſſionem, quòd ipſe maleficium commiſit, & ideò illum condemnamus &c.* vel è converſò, *quia repertus fuit innocens, ideò illum abſolvimus.* In curia Romana ſic exprimitur cauſa. *Quia repertus fuit culpabilis, & de iure punibilis ſuper tali delicto, ideò illum fore, & eſſe condemnandum in tali pœna, prout condemnamus, & pro condemnato haberi volumus.* Vel è contra. *Quia non fuit repertus de Iure punibilis, abſolvimus illum. & liberamus &c.*

§. 8. Quando Reus probat delictum ſibi imputatum à ſe non eſſe commiſſum, debet deffinitivè abſolvi; & quando crimen non eſt probatum ſaltem, ut torqueri poſſit, debet abſolvi ab obſervatione Iudicij cum clauſulis *Rebus ſic ſtantibus &c.* Si verò eſt convictus, vel confeſſus ſententia debet continere condemnationẽ deffinitivam, quando tamen eſt condemnandus à Iudice. Sed ſi jam eſſet condemnatus à lege ipſa diſponente, ut pro tali delicto ſit condemnatus ipſo Iure in talem pœnam, tunc requiritur tantùm ſententia declaratoria delicti, cùm jam à lege ipſa ſit condemnatus. Nam non poteſt executio pœnæ afflictivæ, ſive privativæ, ſive excluſivæ fieri contra aliquem criminoſum, niſi præcedat Iudicis ſententia vel condemnatoria, vel declaratoria quando à Iure quis eſt condemnatus, vel privatus. *Farin. fragm. crim. lit. L. n. 155. Ricc. collect. 303.* Et ante declarationem pœna effectum non habet. *Afflict. deciſ. 97. n. 2. & 3. Barboſ. in cap. pro humani. n. 22. de homicid. & allegat. 44. n. 29. Farin. deciſ. 555. n. 8. p. 1. recent.* Et in hoc caſu verbum *Declaro* importat idem, quod *Condemno. Angel. conſ. 277. Caſtr. conſ. 308. lib. 1.*

lib. 1. Et hoc procedit etiam, quando lex, vel Statutum imponens pœnam ipſo Iure, ulteriùs procedat, dicendo abſque alia declaratione, vel condemnatione, vel abſque proceſſu; quia debet intelligi de declaratoria pœnæ, non autem de declaratoria delicti, ſeù facti; quia ſemper eſt neceſſarium, quòd illud delictum, ſeù factum, per quod pœna eſt impoſita, à Iudice declaretur fuiſſe commiſſum. *Covar. in 4. p. 2. c. 6. §. 8. n.* 10. *Graſ. deciſ. aur. lib. 2. c.* 11. *n.* 41. *Sanchez. in Decal. tom. 2. c. 21. num.* 19. Et ante declarationem pœna non habet locum etiam in foro conſcientiæ. *Gloſ. in cap. Frater* 12. *q.* 2. nec declaratio fieri poteſt, niſi parte citata ad dicendum cauſam, per quam non debeat declarari incidiſſe in talem pęnam legis. *Covar. in cap. Alma mater p.* 1. *§. 9. poſt n. 5. de ſent. excom. in 6. Clar. q. 31. verſ. idem adde. Tuſc. lit. C. concl. 268. num.* 41. Et ab hac declaratoria datur appellatio ſuſpenſiva. *Idem Tuſc. lit. D. concl. 98. n. 63. Felin. in cap. 2. de ſponſ. n.* 4. Undè condemnatus debet dicere appello ab hac interlocutoria, quia non ſum culpabilis, vel quia non fuit probatum me incidiſſe in talem pęnam, & requiruntur tres ſententiæ conformes. *Achil. de Graſ. deciſ. 370. n.* 7. Et hoc idem eſt, quando appellatur à pęna excommunicationis, vel alterius cenſuræ latæ ſententiæ à Iure, vel Statuto impoſitæ. *Felin. in cap. cùm ab homine n. 12. de Iudic. Dec. in cap. reprabenſibilis n. 21. de appellat. Rot. deciſ. 100. n. 30. & 31. in fine p. 1. in noviſſ. Farin. q. 101. nu.* 67. Et loquitur etiam de excommunicatione contenta in præcepto hominis. *Chartar. deciſ. 34. n. 21. Sanchez. opuſ. lib. 3. c. unico dub. 32. n.* 243. ubi, quòd interim in foro externo habetur pro non excommunicato, & non poſſunt affigi Ceduſones, & affixi ſunt amovendi. *Chart. ubi ſupra n.* 22. Et ſi probabili ignorantia exiſtimavit ſe non incurriſſe cenſuram, & confiſus de juſtitia ſuæ appellationis ſe ingeſſit in Divinis, & celebravit, non erit irregularis, etiamſi poſtea declaretur ſe malè fuiſſe appellatum; & ità fuiſſe reſolutum teſtatur Ricc. *deciſ. 214. p.* 2. Si quis verò in foro interiori ſciat contraveniſſe legi imponenti ipſo Iure excommunicationem, & nihilominùs celebret, etiam quòd in foro exteriori appellaſſet à ſententia declaratoria efficitur irregularis. *Ricc. in prax. aur. reſolut.* 270.

§. 9. Datur etiam alia ſpecies ſententiæ, quæ dicitur interlocutoria, & eſt illa, quæ declarat aliquod punctum ad Cauſam ſpectantem, non autem eſſentiale ipſius Cauſæ, ſeù cauſam ipſam: Vel quæ definit tantùm incidentia, & emergentia inter principium, & finem Cauſæ principalis, ut ſi teſtes ſint recipiendi, vel non; Si appellatio ſit admittenda, vel non, & ſimilia. *Ricc. deciſ. 212. n. 3. par.* 1. Ubi dicit, quòd ſententia per quam mandatur nihil eſſe innovandum eſt interlocutoria; Et differt à Definitiva primo, quia ab interlocutoria communiter non appellatur. *l. 2. ff. de appellat.* niſi contineat gravamen per difinitivam irreparabile. *Scacc. de ſent. gloſ. 14. q. 4. n.* 36. Aut ſi non poteſt ex toto reparari, aut parit præjudicium in negotio principali. *Ricc. deciſ. 5. par. 2. n. 4. & 5. cum alijs citatis in fine, & deciſ.* 212. *n.* 8. & etiam quando habet vim definitivæ, idèſt, quando definit unum articulum principale cauſæ ſubſtantiale, vel totum negotium perimit, quamvis per incidentiam. *cap. licet de except. Hoſtien. in ſumma tit. de ſent. n.* 2. Vel ſi eſſet lata ſuper recuſatione, ſeù incompetentia Iudicis. Et idem dicitur de Interlocutoria circa executionem ſententiæ, & de Interlocutoria per quam pronunciatur capitula

non

non eſſe admittenda, & ſic de ſimilibus in quibus datur appellatio ab Interlocutoria. *Ricc. deciſ.* 212. *n.* 5. 6. 9. Secundò differt, quia non eſt neceſſe, ut priùs præcedat ordo Iudicialis, ut in definitiva. *Gloſ.* 14. *q.* 4. *n.* 30. 31. Tertiò differt, quia, quæ per definitivam præcipiuntur non expirant, etiam ſi Iudex ſuum finierit officium, secùs in Interlocutoria ſine cauſæ cognitione. *Aldret. de diſcip. reg. lib.* 2. *c.* 27. §. 8. *n.* 27. 28. Quartò, quia in iſta, ſicut in definitiva, non requiritur litis conteſtatio. *Tuſc. lit. S. concl.* 113. *n.* 4. & 11. Quintò, quia per Interlocutoriam nunquam quis efficitur infamis. *Marant. in ſpec. p.* 6. Sextò, quia difinitiva non expectat poſt ſe aliam ſententiam, ſicut interlocutoria. *Tuſc. loc. cit. n.* 9. Septimò, quia difinitiva poteſt juſtificari, & impugnari in cauſa appellationis ex eiſdem, vel novis actis. Interlocutoria autem tantùm ex primis Actis revideri poteſt. *Tuſc. ibi. concl.* 116. *n.* 7. niſi quandò acta noviter orta ſunt, & reſpiciunt præteritum. Octavò, quia non tranſit in rem judicatam, & propterea poteſt revocari etiam ſine cauſa, & invitis, ac contradicentibus partibus. *Barboſ. in cap. cum ceſſante de appel. n.* 24. & 29. & etiam poſt interpoſitam appellationem, quòd non verificatur de ſententia definitiva, quæ cùm tranſeat in rem judicatam poſtquam eſt lata, lecta, & publicata numquam poteſt revocari. *l. poſt ſent. ff. de re jud. cap.* 1. *eodem tit. in* 6. Quatuor tamen requiruntur ad hoc ut ſententia definitiva dicatur tranſire in rem judicatam. Primò, ut ſit valida; Secundò, ut non ſit ab ea infra decem dies appellatum. Tertiò, ut non ſit contumacialis. Quartò, ut non ſit lata ex præſumptionibus, aut ſuper relatione Medicorum, vel ad conſilium ſapientis. Quandò tamen Interlocutoria ipſa habet vim definitivæ, aut quando per eam finitur officium Iudicis, dicitur tranſire in rem judicatam, & ſic non habet locum revocatio. *Capic. deciſ.* 144. *Ricc. deciſ.* 179. Sciendum tamen eſt, quòd nullitas ſententiæ etiam difinitivæ poteſt proponi coram eodem Iudice Ordinario, qui eam tulit, & poteſt eã reformare, ſeù de novo pronunciare, non autem coràm Delegato. *Vant. de nullit. tit. coram quo n.* 9. Et de ea poteſt dici uſque ad triginta annos. *Idem Vant. de nullit. tit. totjes, & infra quot tempus n.* 8. *Farin. deciſ.* 512. *nu.* 3. & *deciſ.* 591. *num.* 8. Clauſula de Iure ponenda in ſententijs, tunc eſt exprimenda, quando à Iure talis pœna ſtatuitur pro aliquo delicto: ſi autem non eſt à Iure talis pœna, non eſt ponenda. Quando quis deliquit in una Provincia, & poſteà aliam adivit. Si à Miniſtro Provinciali illius Provinciæ, in qua crimen perpetratum fuit inchoatus fuerit proceſſus, ab illius Iuriſdictione ob Provinciæ mutationem non eximitur, quapropter eo petente ad ſuum forum remitti debet, ut tamquam proprius Iudex illius cauſam cognoſcat, & terminet. Si verò ante illius mutationem nullus proceſſus inchoatus fuit, cauſa ad alterum Provincialem, cui tunc Subditus eſt devolvitur, à quo etiam judicari debet; vel Generali Miniſtro traſferenda eſt, qui tanquam communis Iudex, & ratione delicti loci, & perſonæ poterit ad pœnam contra Reum procedere.

De termino Defenſsionis dando poſt confeſsionem. Praxis prima.

QUando Reus in primo conſtituto ſpontè, liberè, & integraliter confeſſus eſt delictum, non eſt opus uti ſecundo conſtituto, niſi forſan ad habendos complices, vel ad alium juſtum finem ſecundùm Iudicis prudentiam, & arbitrium. Undè habita confeſſione, debet Iudex aſſignare Reo terminum ad ſe defendendum, formando Decretum prout infra.

§. 1. Volens P. Commiſſarius &c. vel Iudex in hac cauſa, & cauſis ad ulteriora procedere decrevit pro ut præſenti Decreto decernit f. N. * dare terminum trium dierum ad ſuas defenſiones faciendas abſque præjudicio tamen ulterioris proceſſus, & examinis ſi opus fuerit, prout de facto aſſignavit dictum ſpatium trium dierum cum proteſtatione illum ampliandi, & etiam coarctandi. Ac inſuper illi tradita fuit copia repertorum, una ſimul cum oblatione Conſiliarii ad ſui electionem intra Provinciam tamen, quē ſibi elegit P. N. de N. noſtri Ordinis Concionatorem. In quorum fidem &c. Datum in Conventu &c. die &c.

Ità eſt f. N. Iudex &c. Ego f. N. Actuarius.

Et licèt in Regulari foro non ſit neceſſaria clauſula. Habitis priùs teſtibus pro ritè, & rectè examinatis. *cùm apud ipſos vigeat conſuetudo non repetendi teſtes parte citata, ut probant Bover. in direct. prax. 1. & Bordon. in prax. crim. c. 49. num. 19. Si tamen Iudex ad majorem cautelam vult uti dicta clauſula, ut etiam de Iure communi probent; poteſt addere in ſupradicto Decreto ad illa verba* decernit f. N. * *ſequentia*. præſenti, & habenti teſtes pro ritè, & rectè examinatos. *Et in hoc caſu Reus poteſt acceptare tale Decretum cum proteſtatione*. Salvis exceptionibus contra perſonas, & dicta teſtium, & ſalva repetitione cum interrogatoriis, & præter mortuos, & abſentes; *ut docet P. Did. à Meſſan. p. 5. cap. 8. nu. 26. Et quamvis Reus præſens eſſet ad extenſionem antedicti Decreti, debet tamen etiam ipſi intimari per Actuarium, ut infra*.

Cùm per me Actuarium, prædictum Decretum intimatum fuiſſet f. N. Reo, acceptavit terminum defenſionis faciendæ, una ſimul cum copia repertorum, & oblatione Conſiliarii ab ipſo nominati. Et in fidem ſe ſubſcripſit hac die &c. In Conventu &c.

Ego f. N. acceptavi, ut ſupra. Ego f. N. Actuarius &c.

Et quia de Iure naturæ, Canonico, Civili, & Gentium eſt, ut Reo ante condemnationem dictus terminus ſtatuatur, in quo defenſiones ſuas agere, & objecta crimina, vel criminum indicia diluere valeat: Si renunciat tali termino, non ſtatim debet Iudex acceptare talem renunciationem, ſed debet expectare, quòd terminus aſſignatus dilabatur; & ſi petit prorogationem termini aſſignati, eſt illi concedenda, & forma talis prorogationis, erit facienda ut infra, ſi ore tenus petatur.

§. 2. Die &c. In Conventu &c. & coram eodem P. N. Iudice &c. comparuit perſonaliter P. N. &c. Conſiliarius f. N. Rei prætenſi, & petiit prorogari terminum datum

tum ad dicti Rei defenſiones faciendas, quas hucuſque perficere non potuit. Et P. Iudex admiſſa petitione ſi, & in quantum prorogavit conceſſum terminum ad alios tres dies. In quorum fidem &c.

Ità eſt f. N. Iudex &c. Ego f. N. Actuarius.

Si petit talem prorogationem in ſcriptis, forma erit ſequentis tenoris.

§. 3. Coram P. N. Iudice &c. comparet P. N. Conſiliarius f. N. Rei prætenſi, & petit ſibi prorogari terminum ad ipſius Rei defenſiones faciendas, qua propter ſupplicat iſto, & omni meliori modo. Datum in Conventu &c die.

Ego f. N. Conſiliarius &c.

Deindè Actuarius ſcribat in libello petitionis, hæc verba.

Præſentata fuit per ipſum P. N. Conſiliarium ſupradicta petitio hac die &c.

Ego f. N. Actuarius &c.

Poſtea Iudex formet Decretum prorogationis ſequenti modo.

Perpenſa rationabili petitione P. N. Conſiliarii f. N. Rei prætenſi; Præfatus P. Iudex &c. ipſam admittens, prorogavit terminum jam conceſſum ad alios tres dies ſequentes, ac interim mandavit dictam petitionem inſeri in Actis, prout inſerta fuit per me Actuarium infraſcriptum. Datum in Conventu &c. hac die &c.

Ità eſt f. N. Iudex &c. Ego f. N. Actuarius &c.

Alia ſimilis forma petitionis.

DIe &c. In Conventu &c. & coram eodem P. Iudice comparuit P.N. Conſiliarius f.N. Rei prætenſi, ac ipſius nomine petiit prorogari terminum datum ad ſuas defenſiones faciendas, cùm conceſſus, fuerit brevis. Sicque petit non ſolùm hoc, ſed & omni meliori modo.

Ego f. N. Conſiliarius &c.

Tunc idem P. Iudex admiſſa petitione P. N. Conſiliarii &c. ſi, & in quantum prorogavit conceſſum terminum ad alios tres dies ſequentes. Datum in Conventu &c. die &c.

Ità eſt f. N. Iudex &c. Ego f. N. Actuarius &c.

Alia ſimilis forma petitionis cum integra copia proceſſus habebis ſupra in præparatoria ad torturam prax. 8. §. 3. & in ſequentibus §. ibidem invenies etiam formulas petitionis pro repetitione Teſtium cum interrogatoriјs, et cæterarum rerum, quæ ad officium Conſiliarij ſpectant, non minùs quàm Iudicis. Si Reus renunciat defenſionibus, formula erit ut infra.

§. 4. Cùm per me Actuarium intimatus fuiſſet ſupradictus terminus f. N. Reo prætenſo, ſciens ſe carere omni ſpe defenſionis liberè, & ſpontè tali termino ſibi ſtatuto, ac de Iure ſibi competenti renunciavit tàm in forma Iuris communis, quàm Statutarii, ac ſe remittit pietate, & clementiæ P. N. Iudicis, & in fidem ſe ſubſcripſit, hac die . . . . &c.

Ego f. N. &c. renuntio ut ſupra &c. Ego f.N. Actuarius &c.

Alia ſimilis forma.

Cùm per me Actuarium intimatus fuiſſet ſupradictus terminus f. N. Reo prætenſo; Ipſe Reus ſpontè, & ex certa ſcientia ſciens, ſe nullam habere defenſionem, gratias agens dixit ſe renunciare omnibus ſibi ſpectantibus, & competentibus defenſionibus, & ſe remittit pietati, ac Clementiæ P. N. Iudicis, & in fidem ſe ſubſcripſit hac die . . . . &c.

Ego f. N. renuncio ut ſupra &c. Ego f. N. Actuarius.

Si Reus acceptavit terminum, & defenſiones, et poſteà ipſis renunciavit, ſic erit ſcribendum.

§. 5. Coram P. N. Iudice &c. comparuit f. N. de N. Reus prætenſus in cauſa, & cauſis de quibus ſupra ac liberè, & ſpontè dixit, & declaravit nole ampliùs facere, neque deducere defenſiones aliquas neque per ſe, neque per eius Conſiliarium, & ideò renunciat etiam cuicumque termino probatorio, & inſtat pro expeditione Cauſæ in omnibus ſe remittens miſericordiæ, pietati, ac clementiæ P. Iudicis. Ità dixit, declaravit, renunciavit, & inſtitit non ſolùm hoc, ſed & omni meliori modo. Datum in Conventu &c. hac die . . . . &c.

Ego f. N. renuncio, & inſto ut ſupra.
Ego f. N. Actuarius.

Advertat tamen Iudex, quòd non obſtante dicta renunciatione, aſſignet Reo terminum, vel aſſignatum expectet, ut decurrat, antequam ad ſententiam deveniat, cùm regulariter niſi in certis caſibus poſſit Reus ſuis renunciare defenſionibus. Undè ſic erit decretandum.

Non obſtante ſupradicta renunciatione, volens P. N. Iudex ritè, ac rectè in hac Cauſa, ſeù Cauſis prout de Iure procedere, pro nunc non acceptavit talem renunciationem, niſi ſi, & in quantum, ſed ſupraſedere decrevit uſque ad lapſum temporis aſſignati ad ſuas defenſiones faciendas: ac interim mandavit ipſi reo, ut benè recogitet, ac maturè reſolvat ſupra talem renunciationem factam, & elapſo termino pro ſuis defenſionibus aſſignato, iterum in Iudicium compareat, vel prò ratificatione talis renunciationis, vel pro reaſſumptione ſuarum defenſionum. Sicque decrevit non ſolùm hoc, ſed & omni meliori modo &c. Datum in Conventu &c.

Ità eſt f. N. Iudex &c. Ego f. N. Actuarius.

Si Reus in facta renunciatione perſiſtit, ſic erit ſcribendum.

Die &c. In Conventu &c. Et coram eodem P. Iudice perſonaliter comparuit f. N. Reus prætenſus, & dixit ſe non ſolùm ratificare renunciationem factam die . . , ſed etiam de novo renunciare ſuis defenſionibus, & cuicumque termino ſibi de Iure competenti, ac inſtitit pro expeditione Cauſæ, volens ſe in omnibus, & per omnia remittere pietati, & clementiæ P. N. Iudicis. Et in fidem ſe ſubſcripſit.

Ego f. N. ratifico, & renuncio ut ſupra &c. Ego f. N. Actuarius &c.

Poſtea Iudex debet citare Reum, ac eius Conſiliarium ad audiendam ſententiam, ut infra ſuo loco dicemus. Et ſi ipſemet Reus, vel eius Conſiliarius poſt talem renunciationem, vel etiam poſt datos articulos, ante ſententiam tamen comparuerint,

rint, vel pro reaſſumptione defenſionum, vel ad aliquid aliud voce, vel ſcripto in favorem ipſius allegandum, à Iudice benignè ſunt audiendi & allegationes eius ad verbum perlegendæ, ac de contentis in ipſis illa ratio habenda erit, quæ de Iure habenda eſt: & ipſæ allegationes in ipſo proceſſu inſerantur, etiam poſt citationem ad ſententiam.

Forma redigendi in ſcriptis Defenſiones Reorum. Praxis ſecunda.

§. 1. ADm. R. Pater. Quoniam totiùs corporis injuriæ adſcribitur uniuſcujuſ-is membri contracta ex adverſo malignitas, ad ſui oculatum tutamen qui ſtare contemnet? Id verò, ſi vel temporum injuria, vel facti malignitate, vel debitæ reparationis incuria contigerit, nè infectio partis in totum ſubrepat, debitum deficientis naturæ remedium Ars provida præſtolatur. Quantò igitur magis, id præſtandum eſſe ad Seraphicæ noſtræ Religionis manutentionem, arbitrabimur? Formoſum eius compoſitum intuens, integram ejuſdem corporis ſoliditatem contemplari ſpes adhuc extaret, niſi malæ olentis qualitatis odor, vel potiùs fætor nares invaderet. Illum delicatus omnium ſenſus pertingit, huncque præſagus ulterioris pernicici animus præſentit, in boni nominis vulnere illato f. N. de N., cujus immeritæ offenſioni, in offenſivo proceſſu delatæ, dum me metipſum objicio, ad totiùs Religionis defenſionem jure meritò ſuſcipiendam, accedo. Faveat igitur P. V. Adm R. correlativa ope condebitæ miſerationis, & quòd Iubet confoveri conſuetæ miſericordiæ, oleum adaptare non renuat. Quòd, ut ad unguem eveniat, ſic ego manum appono, & contra proceſſum oppono primo. *hîc explicentur omnes oppoſitiones tàm contra proceſſum, quàm contra perſonam Iudicis, & teſtium &c. & in fine.* Ideo ego f. N. Conſiliarius dicti f. N. de N. nomine ipſius, & meo inſto, & inſtantiſſime poſtulo non ſolùm non ampliùs moleſtari, ſed innocentem declarari, & eum ab omni pœna liberari, quòd ſpero, tùm quia hoc abſolutè debetur pro juſtitia, tùm quia ſumma benignitas, & moderatio P. V. Adm. R. non poterit denegare, quòd tàm juſtè poſtulat f. N. de N. Conſiliarius f. N. de N. &c.

Si erunt exhibenda interrogatoria Iudici, conſule ſupra Præparatoria ad torturam in prax. 8. §. 5. Porrò Iudex hujuſmodi allegationum articulos, qui à Conſiliario Rei offeruntur benignè accipiat, ac accuratè perlegat, & ſi quæ in eis infamatoria, vel apertè falſa, vel libellum famoſum præſeferentia, vel in aliorum præjudicium redundantia offenderit, ijs obliteratis, reliqua in actis ab Actuario inſeri jubeat, hoc modo.

Præſentati fuerunt præſentes articuli per P.N.de N. Conſiliarium f.N.de N.Rei prætenſi hac die . . &c. Deindè formet Decretum, ut infra.

§. 2. Cùm Conſiliarius f. N. de N. Rei prætenſi comparuiſſet coram Adm. R. P. N. Iudice rogans ipſos articulos probatorios admitti, & ſuper illos examinari teſtes ibidem nominatos. Viſum fuit, Ipſi P. Iudici eoſdem admittere ſi, & in quantum prout præſenti Decreto admittit. Et inſuper mandavit inſeri in actis, prout de

facto inſerti fuerunt per me Actuarium infraſcriptum. Datum in Conventu &c. hac die &c.

Ità eſt f. N. Iudex &c. Ego f. N. Actuarius.

Alia forma ſimilis.

§. 3. ADmodum R. Pater. Proprio honori, & bonæ ipſius famæ indemnitati conſulere, ità humanæ naturæ conſentaneum eſt, ut ſæpè ac ſæpiùs ad huuc finem homines ad manifeſtum mortis periculum propriam exponant vitam. Et non ſolùm humana ratio hoc indicat, ſed & Divinum Oraculum id ſuadet, dum ex Sacris Scripturis unicuique inſinuatur, quòd, meliùs eſt bonum nomen, quàm divitiæ multæ. *Prov. 22. 1.* Undè in eiſdem Proverb. *cap. 5. litt. E.* Spiritus Sanctus ſic conſulit hominem. Nè des alienis honorem tuum. & alibi. *Eccleſiaſt. 41. 15.* Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri prætioſi, & magni. Hinc eſt, quòd ſicut omnia Iura Reum ſe defēdere jubent, ſic ex communi Doctorum ſententia graviſſimi peccati culpam, & infamiæ notam non effugit ille Advocatus, vel Conſiliarius, qui in Defenſionibus Reorum ſuo muneri non ſatisfacit. Undè nè moleſtè ferat P.V. Adm. R., ſi in patrocinio mei principalis, (ut eius indemnitati, & meæ conſcientiæ conſulam) omnem diligentiam præſtabo, nè mea vel incuria, vel imperitia, vel pectoris ignavia rationes dicti f. N. Rei prætenſi taceantur vel opprimantur. Ad hoc igitur, ut apertè dignoſcatur eius innocentia, & indè prout convenit ad ulteriora contra ipſum non procedatur, ſed tamquam innocens liberetur, cum proteſtatione alias exceptiones, capitula, & rationes, ſemper, & quandocumque Iura permittunt, præſtandi. Quibus proteſtationibus ſemper ſalvis, & non aliter, nec alio modo pro ſua defenſione probare intendo. hoc, & hoc &c. *Vide ſupra in Forma redigendi in ſcriptis Defenſiones ante torturam in prax. 8. §. 8.*

Forma Decreti pro admiſſione.

§. 4. DIe &c. In Conventu &c. & coram eodem P. N. Iudice etc. comparuit P. N. &c. Conſiliarius f. N. Rei prætenſi, ac ipſo præſente, eiuſque nomine defenſiones exhibuit, quæ incipiunt, etc. et deſinunt etc. et inſtitit pro earum admiſſione, cauſæque expeditione; et præfatus Pater Iudex admiſit ſi, et in quantum, juſſitque eaſdem defenſiones inſeri in Actis, pro ut de facto inſertæ fuerunt per me Actuarium infraſcriptum. Sicque decrevit non ſolùm hoc, ſed et omni meliori modo etc.

Ità eſt f. N. etc. Ego f. N. Actuarius.

Si Conſiliarius exhibuit interrogatoria, vel articula ad defenſam ac ſuper ipſa inſtitit repeti teſtes. vel alios examinari, poſt talem repetitionem, vel examen debet petere copiam proceſſus defenſivi. Forma autem talis petitionis, & alia ad eius officium ſpectantia fuerunt ſuperiùs tradita in prax. 8. §. 7. 6. 5. &c. quando egimus de defenſionibus ante torturam.

Si

Si Iudex antequam procedat ad ſententiam, vult conſulere peritos ad effectum habendi eorum votum, Decretum erit ſequentis tenoris.

§. 5. Cùm elapſus fuiſſet terminus dierum . . . aſſignatus P. N. de N. Conſiliario f. N. de N. Rei prætenſi ad conſulendum an velit in Iudicio aliud deducere in favorem ſui principalis, & advertiſſet P. Iudex nihil aliud fuiſſe productum pro parte dicti f. N. Rei prætenſi; volens maturè, ac prudenter ad ulteriora procedere in hac Cauſa, ſeù Cauſis; ac pro earum expeditione ad ſententiam devenire, decrevit exhibere totum proceſſum tàm offenſivum, quàm defenſivum hucuſque formatum R. R. P. P. N. & N. in Iure peritis, rogans eos, ut dignentur illum perpendere, ac diligenter perluſtrare, & poſteà ſuum votum, ac conſilium in ſcriptis tradere. Quapropter cum effectu fuit per me Actuarium infraſcriptum talis proceſſus traditus dictis P. P. N. & N. hac die . . . Et in fidem me ſubſcribo.

Ego f. N. Actuarius.

Reſtitutio proceſſus cum voto conſultivo.

§. 6. DIe &c. In Conventu &c. R. R. P. P. N. & N. acceſſerunt ad P. N. Iudicem, ac illi reſtituerunt proceſſum ſibi ipſis conſignatum, cum voto manu ipſorum deſcripto, & ſubſcripto, & habitis multis colloquijs cum præfato P. N. Iudice ſuper meritis totiùs cauſæ, tandem mihi Actuario juſſit idem P. Iudex dictum votum in Actis inſerere, quod incipit &c. & deſinit &c. ſicuti de facto inſertum fuit, Et in fidem me ſubſcribo.

Ego f. N. Actuarius.

Forma deſcribendi Votum à peritis.

§. 7. VIſis videndis, conſideratiſque conſiderandis, ac inſuper habita matura deliberatione, nec non colloquio cum Adm. R. P. N. Iudice &c. ſuper Cauſam, & Cauſas f. N. de N. Rei prætenſi, ac diligenter perluſtrato toto proceſſu tàm offenſivo, quàm defenſivo, nobis infraſcriptis viſum fuit eſſe non leviter ſuſpectum de tali crimine *(explicetur)* propter hoc, & hoc *(hîc pariter explicentur indicia contra Reum ex proceſſu reſultantia)* ac propterea poſſe condemnari in talem, & talem pœnam &c. *vel* poſſe abſolvi, *ſi non adſunt indicia ſufficientia*. Et hoc eſt noſtrum votum. Salvo ſemper &c. Datum &c.

Ego f. N. Conc. N. Ego f. N. Conc. &c.

§. 8. Decretum Judicis adhærendi dicto voto.

NOs f. N. de N. Iudex &c. inhærentes ſupradicto voto P. P. N. & N. utpotè Iuri communi, ac Statutario, non minùs quàm Charitati conformi, decrevimus f. N. de N. Reum prætenſum condemnare in pœnam extraordinariam juxta modum, & formam in voto dictorum P. P. expreſſam, prout præſenti decreto decernimus. Datum &c. Ità eſt f. N. Iudex &c. Ego f. N. Actuarius.

Poſteà Iudex procedat ad citationem Rei, ac eius Conſiliarij ad audiendam ſententiam ut infra.

§. 9. Viſis, & conſideratis omnibus deductis pro parte f. N. &c. Rei prætenſi in ſui defenſionem, & omnibus alijs in proceſſu productis, ac probatis; & inſuper habito voto peritorum *(ſi adhibuit)* Viſum fuit præfato P. N. Iudici mandare ut citetur dictus Reus prætenſus, ac eius Conſiliarius ad audiendam ſententiam definitivam promulgandam in hoc Conventu N. &c. die &c. prout præſenti decreto citantur. Datum in Conventu &c.

Ità eſt f. N. Iudex &c. Ego f. N. Actuarius &c.

Deindè per Actuarium intimetur Reo, & eius conſiliario, et poſteà. Per me Actuarium infraſcriptum de mandato &c. præſentata fuit, vel intimata ſupraſcripta citatio perſonaliter f. N. Reo, necnon P. N. eius Conſiliario hac die &c. Et in fide me ſubſcribo.

Ego f. N. Actuarius.

Si Reus renunciavit defenſionibus, Decretum citationis erit ut infra.

Viſis, & conſideratis omnibus, & ſingulis in proceſſu contra f. N. &c. deductis, & probatis; nec non elapſo termino eidem aſſignato pro defenſionibus non obſtante facta renunciatione, & inſuper habito voto peritorum. Viſum fuit &c. ut ſupra.

Si Reus fugam arripuit ante citationem perſonalem, debet citari modo quo ſupra deſcripto in prax. 2. de forma citan. Reum abſentem.

Forma diverſarum ſententiarum. Praxis Tertia.

PEractis omnibus ad proceſſum offenſivum, & defenſivum ſpectantibus, ac præmiſſa citatione Rei, & eius Conſiliarij ad audiendam ſententiam, ad ipſam procedet juxta tenorem formularum hîc infra exaratarum.

Forma ſententiæ abſolutoriæ ex capite Innocentiæ in primo capite.

§. 1. IN nomine Sanctiſſimæ, & Individuæ Trinitatis Patris, Filij, & Spiritus Sancti, Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, ac Seraphici P. Franciſci. Amen. Nos f. N. de N. Provincialis &c. vel &c. Viſis, ac diligenter diſcuſſis omnibus, & ſingulis, quæ habentur in proceſſu coram Nobis actitato contra P. N. de N. noſtræ Religionis Sacerdotem Inquiſitum, *vel* Denunciatum, de tali crimine *(explica)* Viſis etiam ac maturè perpenſis omnibus & ſingulis adductis ad ſui defenſionem per P. N. de N. ſuum Conſiliarium, conſideratiſque alijs omnibus conſiderandis, habito conſilio peritorum, pro Tribunali ſedentes, & Deum ſolum præ oculis habentes, ut de illius vultu noſtrum Iudicium prodeat, & oculi noſtri videant æquitatem, per hanc noſtram diffinitivam ſententiam. Chriſti nomine invocato, dicimus, ſententiamus, declaramus, ac diffinitivè ſententiamus dictum P. N. de N. non fuiſſe repertum culpabilem, nec de Iure punibilem, ſed prorsùs Innocentem à prædicto

dicto crimine, de quo fuit indiciatus, *vel* Denunciatus. Ideò tanquam de tali crimine Innocentem abſolvimus, & liberamus, ac pro abſoluto, & liberato haberi volumus: & quatenùs opus ſit ad priſtinum ſtatum, gradum, honoreſque ac dignitates in omnibus, & per omnia reſtituimus, & redintegramus, & pro integrato, & reſtituto haberi volumus, hoc & omni meliori modo &c. In quorum &c.

F. N. de N. Iudex &c. Ego f. N. Actuarius.

Lata, lecta, ac publicata fuit ſupradicta ſententia die . . . &c. in Conventu N. &c. præſentibus infraſcriptis teſtibus ad hoc ſpecialiter vocatis, & prædicto P. N. de N. audiente, & acceptante.

Ego f. N. de N. accepto ſupradictam ſententiam cum gratiarum actione.
Ego f. N. Conſiliarius fui præſens.
Ego f. N. de N. Concionator N. fui præſens.
Ego f. N. de N, Sacerdos N fui præſens.
Ego f. N. Actuarius.

Alia ſimilis forma ex capite Innocentiæ in ſecundo Capite.

§. 2. IN nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti, eiuſque Genetricis S. S. Mariæ, ac Seraphici Patris noſtri Sancti Franciſci.

Nos f. N. de N. Commiſſarius Delegatus &c. Viſis videndis, ac diligenter conſideratis, conſiderandis omnibus, & ſingulis in Cauſa tali (*explica*) inchoata per P. N. de N. Commiſſarium; & Nobis poſtea decidenda, ac debito fine terminanda à Reverendiſs. P. Generali commiſſa, actitatis tàm coram eodem P. N. Commiſſario, quàm coram nobis contra P. N. de N. noſtri Ordinis Concionatorem. Viſis quoque & maturè diſcuſſis, ac æquâ lance libratis defenſionibus eiuſdem P.N. per ſuum Conſiliarium in Iudicio productis, pro Tribunali ſedentes, & Deum ſolum præ oculis habentes, de cujus vultu noſtrum Iudicium prodeat, per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam in his ſcriptis ſcrimus. Chriſti nomine repetito, dicimus, ſententiamus, declaramus, & pronunciamus dictum P. N. repertum fuiſſe de prædicto delicto ſibi imputato non culpabilem; Ideò tamquam de tali crimine innocentem tenore præſentis ſententiæ ipſum diffinitivè abſolvimus, & abſolutum habere volumus, hoc, & omni meliori modo. In quorum fidem &c.

Subſcriptiones ut ſupra.

Lata, lecta, & publicata fuit hac die . . . menſis . . . Anni . . . . In Conventu N., & in cella ſolitæ reſidentiæ ipſo P. N. præſente cum ſuo Conſiliario, audiente, & accipiente, ac ſubſcribente coràm Teſtibus infraſcriptis ad hoc ſpecialiter vocatis &c.

Subſcriptiones ut ſupra.

Forma Sententiæ abſolutoriæ ab obſervatione Judicij.

§. 3. IN nomine Sanctiſſimæ, ac Individuæ Trinitatis Patris &c. Chriſti nomine invocato. Nos f. N. de N. &c. Commiſſarius Generalis ex ordine Eminentiſs. Cardinalis noſtri Protectoris à Reverendiſs. P. N. Miniſtro Generali inſtitutus, & delegatus. Viſis ac diligenter conſideratis, maturèque diſcuſſis, ac æqua lance libratis omnibus & ſingulis, quæ habentur in proceſſu coram Nobis actitato contra f. N. de N. noſtri Ordinis Laicum Denunciatum, vel Inquiſitum de tali crimine, (*explica*) & maturè perpenſis Teſtium depoſitionibus; nec non perluſtrato, ac perdiligenter conſiderato proceſſu ex Commiſſione Adm. R. P. N. Provinciæ N. Provincialis per P. N. de N. fabricato. Viſis etiam, & benè ponderatis defenſionibus eiuſdem f. N. de prædicto delicto in proceſſibus ſupradictis indiciati, pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, de cujus vultu noſtrum Iudicium prodeat; Chriſti nomine repetito, dicimus, ſententiamus, & declaramus dictum f. N. ex hactenus deductis in proceſſibus, de quibus ſupra non fuiſſe repertum culpabilem, nec de Iure punibilem de dicto delicto, de quo fuit Denunciatus, vel Inquiſitus: Quare illum tamquam non repertum culpabilem nec punibilem à præſenti Iudicio, & inſtantia pro nunc abſolvimus, & liberamus, abſolutumque, & liberatum declaramus. In quorum fidem &c.

Subſcriptiones, & reliqua ut ſupra &c.

Forma Sententiæ condemnatoriæ contra Reum ſemiplenè convictum.

§. 4. IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, eiuſque Immaculatæ Matris Mariæ, ac Sancti Patris noſtri Franciſci.

Nos f. N. de N. &c. Viſis, ac perdiligenter perpenſis omnibus, & ſingulis coràm Nobis actitatis in, & ſuper tali delicto (*explica*) f. N. de N. noſtri Ordinis Laico imputatis, receptiſque ſuis defenſionibus per P. N. de N. ſuum Conſiliarium oblatis, ac in Iudicio deductis. His ergo omnibus accuratiſſimè conſideratis, & ad plenum cognitis meritis cauſæ, & æqua Iuſtitiæ lance diſcuſſis, & inſuper habito conſilio P. P. diſcretorum, pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, ut de illius vultu noſtrum judicium prodeat. Chriſti nomine repetito, dicimus, declaramus, ſententiamus, ac diffinimus ipſum f. N. licèt non confeſſum, nec plenè convictum, nihilominùs verè repertum fuiſſe culpabilem, & de Iure punibilem & propterеà in pœnam arbitrariam, ſeù extraordinariam incurriſſe. Quare juſtis de cauſis animum noſtrum moventibus condemnandum fore, et eſſe ad talem, et talem pœnam (*explica*) decernimus, pro ut illum Nos condemnamus, et ſententiamus ex hactenus deductis, noviſque indicijs non ſupervenientibus ad dictam

dictam

ctam pœnam exequendam. Et id non ſolùm hoc, ſed et omni etc.

Subſcriptiones, ut ſupra.

Lata, lecta, et publicata fuit hæc ſententia in Conventu N. die . . . . . etc. ipſo Reo præſente, audiente, et acceptante (*ſi acceptat*) ac ſubſcribente coràm Teſtibus infraſcriptis etc.

Subſcriptiones, ut ſupra.

Forma ſententiæ condemnatoriæ contra Convictum.

§. 5. IN nomine Sanctiſsimæ, et Individuæ Trinitatis etc. Chriſti nomine etc. Nos f. N. de N. Commiſſarius delegatus ab Eminentiſs. et Reverendiſsimo D. Cardinali N. noſtræ Relig. apud Sanctam Sedem Protectore Vigilantiſſimo ex facultate ſibi impartita à Sac. Cong. Epiſ. et Regul. præpoſita. Viſis, ac maturè perpenſis omnibus et ſingulis in Cauſa, et Cauſis coram nobis actitatis contra f. N. de N. noſtri Ord. Laicum profeſſum de tali delicto (*explica*) imputato, et maturè conſideratis teſtium depoſitionibus contra ipſum de prædicto delicto teſtificantibus, ipſoque citato, interrogato, et ſufficienter audito in omnibus ſuis defenſionibus per P. N. de N. ſuum Conſiliarium in judicio productis. Et inſuper habito ſuper hoc P. P. Diſcretorum, ac peritorum conſilio et voto, pro Tribunali ſedentes, et ſolum Deum præ oculis habentes, ut de illius vultu noſtrum Iudicium prodeat, ac oculi noſtri videant æquitatem, per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam in his ſcriptis ferimus; Dicimus, declaramus, pronunciamus, ac diffinitivè ſententiamus dictum f. N. culpabilem, et tamquam convictum punibilem repertum fuiſſe, et eſſe, ac in pœnam in noſtris Statutis taxatam incurriſſe, prout illum ad ipſam peragendam, et exequendam condemnamus, et ſententiamus, nimirùm ut etc. *hîc ſpecificetur pœna, ſecundùm uniuſcujuſque* R*eligionis Conſtitutiones, vel Statuta.* Et id non ſolùm hoc, etc. R*eliqua ut ſupra.*

Alia ſimilis forma cum augmentatione vel diminutione pœnarum.

§. 6. IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac eius Immaculatæ Genitricis, ac ſemper Virginis Mariæ, nec non Seraphici P. N. S. Franciſci.

Nos f. N. de N. Provincialis etc. Viſis, ac diligenter perluſtratis omnibus et ſingulis in Cauſa, et Cauſis coram Nobis actitatis contra f. N. de N. Relig. noſtræ Laicum de tali delicto (*explica*) Denunciatum, *vel* Inquiſitum. Ipſoque Reo citato, interrogato, ac ad ſaturitatem audito in termino dato ad ſe defendendum, nec non examinatis omnibus et ſingulis in proceſſu contentis, ac maturè, diligenterque diſcuſſo negotio cum P. P. Deffinitoribus, habitoque eorum conſilio, et voto, pro Tribunali ſedentes, et ſolum Deum præ oculis habentes, ut de illius vultu noſtrum

Iudi-

Iudicium prodeat, per hanc noſtram diffinitivam ſententiam. Chriſti nomine repetito. Dicimus, ſententiamus, declaramus, pronunciamus, ac diffinimus ipſum f. N. fuiſſe culpabilem, et convictum de dicto crimine. Pœnam tamen pro eodem crimine in noſtris Statutis taxatam, propter juſtas cauſas animum noſtrum dignè moventes, augendam eſſe, vel minuendam judicavimus, *(ſi ad ſi cauſa augendi, vel diminuendi).* Quapropter fore, et eſſe puniendum decernimus, ſicuti vigore præſentis ſententiæ punimus in talem, et talem pœnam, *(explica).* Non ſolùm hoc, ſed et omni meliori modo etc. *Reliqua ut ſupra.*

Forma Sententiæ condemnatoriæ abſque expreſſione Cauſæ.

§. 7. IN nomine Sanctiſſimæ, & individuæ Trinitatis Patris etc. Chriſti nomine invocato.

Nos f. N. de N. etc. Viſis videndis, ac accuratiſſimè perpenſis omnibus et ſingulis, quæ ad plenam cognitionem Cauſæ, ſeù Cauſarum coram nobis contra f. N. de N. etc. actitatis, pertinent, nec non æqua juſtitiæ lance diſcuſsis eius defenſionibus per P. N. de N. ſuum Conſiliarium in judicio productis, ac inſuper habito voto, e conſilio P. P. Deffinitorum, pro Tribunali ſedentes, et ſolum Deum præ oculis habentes, ut de illius vultu noſtrum judicium prodeat, per hanc noſtram diffinitivam ſententiam Chriſti nomine repetito; dicimus, ſententiamus, declaramus, pronunciamus, atque diffinimus, dictum f. N culpabilem, et de Iure punibilem repertum fuiſſe, in pœnaſque gravioris culpæ, incidiſſe, et proptereà ad dictam pœnam condemnandum fore, et eſſe, prout illum condemnamus, et ſententiamus ad eam peragendam; nimirùm etc *(explica).* Reſervantes nihilominùs Reverendiſs. P. Generali pro tempore exiſtenti, ut dictam pœnam liberè mitigare, relaxare, aut minuere valeat ſi, et quando ſibi viſum fuerit expedire. Et id non ſolùm hoc, ſed &c. *Reliqua ut ſupra &c.*

Forma Sententiæ in Cauſa Accuſationis abſolutoriæ pro reperto innocente, & condemnatoriæ contra Calumniatorem.

§. 8. IN nomine Domini Ieſu Chriſti, eiuſque Genitricis S.S. Mariæ, ac &c.

Nos f. N. de N. Provincialis etc. Viſis videndis, conſideratiſque conſiderandis, ac maturè perpenſis omnibus & ſingulis, quæ continentur in proceſſu à Nobis fabricato in Cauſa, & Cauſis coram Nobis vertentibus inter P.N. de N. Sacerdotem Accuſatum de tal delicto, *(explica)* ex una, & f.N. de N. Laicum Accuſatorem ex altera; receptiſque ex utraque parte probationibus oblatis, & in judicio deductis, ac illis accuratiſſimè diſcuſſis, & æqua lance libratis: habito inſuper conſilio, & voto P. P. Deffinitorum, partibuſque citatis ad audiendam ſententiam pro Tribunali

ſedentes

ſedentes & Deum ſolum præ oculis &c. per hanc noſtram diffinitivam ſententiam Chriſti nomine repetito dicimus, pronunciamus, decernimus, & diffinitivè ſententiamus in præfato proceſſu à nobis fabricato nihil extare, quòd dictum P. N. Accuſatum gravet, immò potiùs à delicto ſibi imputato ab Accuſatore fuiſſe, & eſſe inculpabilem, & de Iure impunibilem repertum. Quapropter eumdem P.N. tamquā innocentem abſolvimus, & liberamus, ac pro abſoluto, & liberato haberi volumus, & quatenùs opus ſit ad priſtinum ſtatum, gradum, honores, & dignitates in omnibus, & per omnia reſtituimus, & redintegramus, ac pro integrato, & reſtituto haberi volumus. Ipſumque f. N. Accuſatorem ad hoc citatum, & auditum in termino ſibi dato ad deducendum, & producendum quare non debeat tamquam repertum calumniatorem puniri. Eodem Chriſti nomine repetito, illum detractorem, iniquum delatorem, & calumniatorem per hanc noſtram diffinitivam ſententiam declaramus, & in infamiam, ac talionis Pœnam incidiſſe decernimus nimirùm &c. (*explica*) ad quas pœnas ſubeundas, & exequendas teneri ſententiamus, non ſolùm hoc, ſed & &c. *Reliqua ut ſupra &c.*

Forma Sententiæ abſolutoriæ ſuppoſiti Rei, & condemnatoriæ Teſtium.

§. 9. IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac eius glorioſiſſimæ Matris &c. Nos f. N. de N. &c. Viſis, ac maturè diſcuſſis omnibus, & ſingulis in Cauſa, & Cauſis coram nobis actitatis de, & ſuper delicto (*explica*) P. N. de N. &c. imputatò, de quo fuit & coram nobis Denunciatus. Ipſe verò è contra, adverſus f. N. et f. N. Teſtes ad id à Denunciatore productos exceperit, quòd falſum depoſuerint, idque nobis conſtare fecerit per Teſtes idoneos, & omni exceptione majores: & citatis Teſtibus ipſis, qui falſum depoſuerunt, ac auditis in ſuis defenſionibus per P.N. de N. &c. eorum Conſiliarium in Iudicio productis, quare nòn debeant declarari falſarii. Inſtante ipſo P. N. Denunciato, ut juſtitiam ſuper hoc faciamus, idcircò ſtante falſitate plenè in actis probata, nec in defenſionibus productis evacuata, pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum &c., Chriſti nomine repetito; dicimus, pronunciamus, & diffinitivè ſententiamus, ſupradictos teſtes non ſolùm repellendos eſſe à teſtimonio ferendo, ſed tamquam falſarios puniendos eſſe pœna in noſtris ſtatutis taxata, nimirùm &c. & P. N. de N. denunciatum propter eorum teſtimonium minimè fatigandum eſſe. Sicque dicimus, declaramus, & ſententiamus non ſolùm hoc &c. *ut ſupra*.

Forma Sententiæ abſolutoriæ pro torto qui ſe purgavit.

§. 10. IN nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii &c. Chriſti nomine invocato. Nos f. N. de N. &c. Viſis, videndis et conſi-

conſideratis, conſiderandis, maturèque diſcuſſis omnibus, & ſingulis coram nobis actitatis de, & ſuper tale delictum &c. *(explica)* f. N. de N. &c. imputatum; & quia contra ſe habebat plurima, & urgentia indicia ad pluſquam ſemiplenam probationem pertingentia, fuit hac de cauſa tortus, in qua tortura cùm ſe expurgaſſet, nec in ſpatio triginta dierum, in quibus fuit in carceribus detentus, ad videndum an nova alia indicia ſupervenirent, nec ſupervenerint, pro Tribunali ſedentes, et ſolum Deum etc. per hanc noſtram diffinitivam ſententiam. Chriſti nomine repetito, ſupradictum f. N. à præfato crimine ſuper quo fuit tortus pro nunc abſolvimus, et liberamus, et rebus ſic ſtantibus pro abſoluto, et liberato haberi volumus, non ſolùm hoc, ſed etc. *Reliqua ut ſupra.*

Alia ſimilis forma, in parte tamen condemnatoria.

§. 11. IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac eius glorioſiſſimę etc.

Nos f. N. de N. etc. Viſis, et diligenter conſideratis, maturèque diſcuſſis, ac æqua lance libratis omnibus, et ſingulis in Cauſa, et Cauſis coram nobis actitatis contra f. N. de N. Laicum etc. Accuſatum *vel* Denunciatum, *vel* Inquiſitum v. g. ad adulterio cum Berta, eò quòd viſi fuerunt ſimul à pluribus teſtibus in tempore, et loco ſuſpectis, nec non viſa fuerunt aliqua indicia vehementis ſuſpicionis, et omnia concludenter probata, ex quibus remanet, convictus de ſuſpecto conſortio cum dicta Berta; et quia eſt fœmina malæ vitæ, et famæ fuit quoque idcircò graviter indiciatus de adulterio cum ipſa: Undè fuit ſufficienter tortus ad habendam veritatem ſuper dicto adulterio cum clauſula citra præjudicium convicti criminis quoad ipſum ſuſpectum conſortium, et cùm eſſet negativus, et per torturam ſe purgaſſet à crimine Adulterii, pro Tribunali ſedentes, et ſolum Deum præ oculis etc. per hanc noſtram diffinitivam ſententiam: Chriſti nomine repetito, Dicimus, pronunciamus, et diffinitivè ſententiamus dictum f. N. ab objecto crimine adulterii pro nunc abſolvendum, et liberandum fore, prout de facto rebus ſic ſtantibus abſolvimus, et liberamus: Quo verò ad ſuſpectum conſortium, de quo eſt convictus condemnandum fore, et eſſe in pœnam à noſtris Statutis inflictam, nimirùm etc. prout virtute præſentis ſententiæ condemnamus, et pro condemnato haberi volumus, non ſolùm hoc etc. *ut ſupra.*

Forma Sententiæ partim abſolutoriæ, & partim condemnatoriæ abſque tortura.

§. 12. IN nomine Sanctiſſimæ, et Individuæ Trinitatis Patris, et Filii etc. Chriſti nomine invocato.

Nos f. N. de N. Viſis, ac diligenter diſcuſſis omnibus, et ſingulis hucuſque coram nobis actitatis in proceſſu formato contra f. N. de N. Denunciatum de quadam comminatione, et percuſſione cum baculo in perſonam P. N. de N. etc. nec non de verbis injurioſis, et contumelioſis contra eumdem P. prolatis, ac lite conteſtata,

rece-

receptiſque ex utraque parte probationibus oblatis, ac in judicio deductis. Quibus omnibus bene conſideratis, et accuratè perpenſis, ac æqua Iuſtitiæ lance libratis, citatis partibus ad audiendam ſententiam pro Tribunali ſedentes, et ſolum Deum præ oculis habentes, ut etc. Dicimus, declaramus, pronunciamus, ac diffinitivè ſententiamus dictum f. N. abſolvendum fore, et eſſe ab objecto ſibi crimine comminationis, et percuſſionis, * prout de facto rebus ſic ſtantibus abſolvimus, et liberamus, *Vel (ſi eſt innocens)* * tamquam innocentem, et ab inſtantia Iudicii, et quoad hoc reſtituendum fore priſtino eiuſdem Statui, prout abſolvimus, et reſtituimus. Pro verbis tamen contumelioſis, et injurioſis ipſum condemnamus in pœnam à noſtris Statutis determinatam, nimirùm etc. *(explica)*. Sicque pro una parte abſolvimus, et liberamus, et pro altera condemnamus, non ſolùm hoc etc.

Reliqua ut ſupra.

Forma Sententiæ abſolutoriæ pro reperto innocente in Cauſa per viam articulorum, ità ut non fuerit conſtitutus.

§. 13. IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac eius Glorioſiſsimæ etc. Nos f. N. de N. Commiſſarius Generalis, ex ordine Eminentiſs. Cardinalis noſtri Protectoris à Reverendiſsimo P.N. miniſtro Generali inſtitutus. Viſis videndis, ac diligenter conſideratis, maturèque diſcuſſis omnibus, et ſingulis in Cauſa, et Cauſis coram nobis actitatis de, ac ſuper articulis *(explica)* notam tangentibus P. N. de N. Provinciæ N. Concionatori etc. imputatis, et accuratè perpenſis Teſtium depoſitionibus, et eorum, ut dicitur Articulis Iuratis contra d. P. N., ac inſuper habito conſilio, et voto P.P. diſcretorum, pro Tribunali ſedentes, et ſolum Deum præ oculis habentes, ut etc. per hanc noſtram diffinitivam ſententiam. Chriſti nomine repetito. Dicimus, pronunciamus, et declaramus in præfato proceſſu à Nobis fabricato nihil extare, quòd dictum Patrem gravet, immò potiùs à prædictis articulis ſibi indebitè affricatis immunem eſſe. Undè ipſum tamquam innocentem abſolvimus, et liberamus, et pro abſoluto, et liberato haberi volumus. Mandantes inſuper R. P. N. Provinciali etc. quòd hoc noſtrum Decretum in publico Refectorio Conventus N. Patribus congregatis promulgetur, et publicetur. Sicque dicimus, pronunciamus, et ſententiamus non ſolùm hoc etc. *Reliqua ut ſupra &c.*

Forma Sententiæ condemnatoriæ in ſimili Cauſa.

§. 14. IN nomine Domini Ieſu Chriſti, ac eius glorioſiſsimæ etc. Nos f. N. de N. Provincialis etc. Cùm in generali Viſitatione Conventus N. Nobis porrecti fuerint nonnulli articuli Iurati contra f. N. de N. etc. *(explica)* nempè etc. habitis ſuper his legitimis, et claris informationibus, ac cognita veritate medio Iuramento ſeù præcepto Sanctæ obedientiæ ſecundùm morem noſtræ Re-

ligionis vocatus fuit idem f. N., & ſufficienter ac benignè auditus ſuper ipſos articulos, et tradita illi copia articulorum ut meliùs ſe à culpis defendere poſſet, et receptis defenſionibus voce, et ſcriptis factis, et porrectis per P. N. etc. ſuum Conſiliarium, et à nobis receptis, ac conſideratis, maturèque diſcuſſis omnibus & ſingulis, quæ pro, & contra in hac Cauſa, ſeu Cauſis ponderanda, & diſcutienda erant invenimus ipſum culpabilem, & de facto punibilem. Quapropter ſaluti ipſius fratris providere volentes, & nè de cœtero talia committere audeat, neque in aliorum exemplum impunita remaneant, ipſum f.N. virtute præſentis Decreti extraordinaria, ac Regulari pœnitentia punire decrevimus. Idcircò Iuſtis de Cauſis animum noſtrum moventibus ad infraſcriptam pœnitentiam condemnamus, videlicèt, *explica &c.* Idque non ſolùm hoc, ſed &c. Datum in Conventu &c. die . . . &c.

Ita eſt f. N. Provincialis. Ego f. N. Actuarius.

Latum, lectum, & publicatum fuit hoc præſens Decretum die, & loco quibus ſupra ipſo f. N. Articulato præſente, & acceptante, ac ſubſcribente coràm infraſcriptis teſtibus ad hoc ſpecialiter vocatis &c.

Subſcriptiones ut ſupra.

Alia ſimilis forma Sententiæ.

§. 15. IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac eius Glorioſiſſimæ &c.

Nos f. N. de N. Provincialis, &c. Cùm ex actis hucuſque actitatis per viam articulorum Iuratorum contra f. N. de N. &c. porrectis, habita ſuper ipſis veritate medio præcepto S. obedientiæ, *vel* medio juramento in quibus arguebatur de tali crimine (*explica*) & ſuper quibus fuerunt à nobis vocati, & interrogati teſtes de, & ſuper ipſis modo, quo proceditur in noſtra Religione in ſimilibus Cauſis; quibus habitis. Vocatus etiam fuit idem Articulatus, & ſuper ipſis articulis examinatus (*ſi fuit examinatus*) *Vel* ſufficienter, & benignè auditus in ſuis defenſionibus voce, & ſcriptis in Iudicio porrectis, quæ incipiunt &c. & deſinunt &c. Quibus omnibus, & ſingulis benè diſcuſſis, ponderatis, & perpenſis invenimus ipſum convictum, ac etiam licèt non in totum, ſed in parte confeſſum. Cùmque de ſimilibus nobis conſtet aliàs fuiſſe correptum, vel punitum. Idcircò ſaluti ipſius fratri providere volentes, & nè de cœtero talia peccata in ſui, & aliorum perniciem committere audeat, & nè in præjudicium Religionis delicta etiam ſi parva ſint, impunita remaneant, ipſum f. N. virtute præſentis Decreti ſalutari, & regulari pœnitentia puni re decrevimus, & juſtis de Cauſis animum noſtrum moventibus ad infraſcriptam pœnitentiam condemnamus, videlicèt &c. (*explica*). Comminantes inſuper, quòd ſi in poſterum talia perpetraſſe compertus fuerit tota pœna ordinaria talibus defectibus debita punietur. Sicque dicimus, declaramus, comminamus, & decernimus non ſolùm hoc &c. *Reliqua ut ſupra.*

Forma

Forma Sententiæ in Delicto Notorio.

§. 16. IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac eius Glorioſiſſimæ &c. Nos f. N. de N. &c. viſis videndis, ac diligenter perpenſis, maturèque diſcuſſis omnibus, & ſingulis coram Nobis actitatis in proceſſu formato contra f. N. de N. &c. pro tali delicto, (*ex lica*). Notoriè coràm majori parte Conventus N., prout in eodem proceſſu clarè conſtat. Cùmque nulla rationabili Cauſa ſuſtinere, aut tergiverſari poſſit, conſiderataque nimia audacia delinquentis, ad eam reprimendam, & nè in cęterorum ſcandalo talia publica delicta impunita remaneant, pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præoculis habentes, ut &c. per hanc noſtram diffinitivam ſententiam. Chriſti nomine repetito. Dicimus, ſententiamus, declaramus, atque definimus dictum f. N. &c. pro prædicto notoriè commiſſo delicto repertum eſſe culpabilem, & de Iure punibilem, (*ſi in Iure, vel Statuto tali delicto erit pœna aſſignata, dicendum erit*). Ideò te in talem penam(*explica*)* à legibus, *vel* à Statuto taxatam per hanc noſtram diffinitivam ſententiam condemnamus. (*Si autem pœna non erit aſſignata, & per conſequens arbitraria, poſt explicationem pœnæ ſic erit ſubjungendum*)* ab hac die incipiendam per hanc noſtram diffinitivam ſententiam condemnamus; non ſolùm hoc, ſed et etc. *Reliqua ut ſupra &c.*

Forma Sententiæ contra Contumacem habetur ſupra in praxi de citatione Rei abſentis. §. 5.

Forma Sententiæ declaratoriæ pro incurſione pœnarum.

§. 17. IN nomine Sanctiſſimæ et Individuæ Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus etc. Chriſti nomine invocato.

Nos f. N. de N. etc. Volentes Deo dante expedire, et fine debito terminare Cauſam, et cauſas coràm Nobis vertentes contra f. N. denunciatum de, et ſuper allocutione v. g. cum Monialibus; *vel* ſuper introductione mulierum in Monaſterium noſtrum N. etc. Viſis omnibus videndis, et conſideratis, ac maturè diſcuſſis ſingulis tàm pro, quàm contra ipſum in Iudicio productis, pro Tribunali ſedentes, et ſolum Deum præ oculis habentes per hanc noſtram ſententiam. Chriſti nomine repetito. Dicimus, pronunciamus, et declaramus dictum f. N. fuiſſe, et eſſe culpabilem ob talem allocutionem cum Monialibus, *vel* ob introductionem mulierum in dictum Monaſterium N., ac propterea incidiſſe, et incurriſſe in excommunicationem, et aliàs pœnas taxatas, et fulminatas in Bulla f. r. Urbani VIII contra Religioſos alloquentes cum Monialibus, *vel* B. Pij V. et Greg. XIII. contra Religioſos introducentes, vel permittentes introductionem mulierum in eorum Monaſteria.

Illumque tamquam excommunicatum ab omnibus Chriſti fidelibus evitandum fore, et eſſe, ſicuti de facto evitari mandamus. Et ità dicimus, et declaramus non ſolùm hoc etc. *ut ſupra.*

Et eadem forma etiam utitur in abſolutione mutatis mutandis, & declarando non incurriſſe in pœnas.

Forma Sententiæ Exceptoriæ.

§. 18. IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac eius Glorioſiſſimæ etc. Nos f. N. de N. etc. Viſis ac diligenter perpenſis, maturèque diſcuſſis omnibus, et ſingulis in Cauſa, et Cauſis coram Nobis actitatis de, et ſuper exceptionibus contra P. N. de N. in Iudicio propoſitis à f. N. de N. etc. de quibus in proceſſu, habitoque ſuper his P. P. Deffinitorum conſilio, et voto pro Tribunali ſedentes, et ſolum Deum præ oculis habentes, ut etc. per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam his ſcriptis ferimus. Chriſti nomine repetito. Dicimus, pronunciamus, et declaramus dictum P. N. de criminibus in hujuſmodi exceptionibus contra illum propoſitis fuiſſe convictum: ac propterea inhabilem fore, et eſſe ad quaſcumque dignitates obtinendas, prout de facto illum inhabilem ad eaſdem obtinendas declaramus, et ſententiamus, adeò ut ad eas eligi, et electus confirmari non poſſit. Et id non ſolùm etc.

Si verò ſit abſolvendus, præmiſſa forma ordinaria, ſic erit dicendum.

Chriſti nomine repetito. Dicimus, ſententiamus, et diffinimus dictum P. N. à criminibus in hujuſmodi exceptionibus contra illum propoſitis, immunem eſſe, illumque veluti innocentem, ad quaſcumque dignitates, gradus, et officia in hac parte habilem declarandum fore, et eſſe, prout illum pronunciamus, et declaramus habilem eſſe in hac parte, et ad quaſcumque dignitates gradus, et officia eligi, et electum confirmari poſſe, non ſolùm hoc etc. *Reliqua ut ſupra &c.*

Forma Sententiæ Interlocutoriæ.

§. 19. IN nomine Domini. Nos f. N. de N. Miniſter Provincialis &c. Viſa, & attenta exceptione data per P. N de N. contra f. N. Accuſatorem ſuum, *vel* contra Teſtem ab Accuſatore productum, excipiens illum velut illegitimum ad Accuſandum, *vel* teſtificandum, & tamquam talem illum ab accuſando, vel teſtificando repellendum fore inſtiterit, eo quòd infamis ſit, vel inimicus &c. ob talem, & talem Cauſam (*explica*). Nos attendentes exceptiones propoſitas eſſe veras, & ſufficienter probatas: de noſtrorum P. P. Diffinitorum conſilio, pariter & aſſenſu, dictum f. N. velut infamem, vel inimicum ab accuſatione, *vel* à teſtimonio ferendo eſſe repellendum, ut accuſatorem, vel teſtem illegitimum judicamus, prout præſenti Decreto repellimus, & reijcimus ab Accuſatione, ſeù Teſtificatione, & conſequenter dictum P. N propter illius Accuſationem, *vel* Teſtimonium non eſſe moleſtandum. Et id non ſolùm hoc, ſed etc. Datum in Conventu N. hac die...&c.

Ita eſt f. N. Provincialis. Ego f. N. Actuarius.

Poſt

Poſt publicationem prædictarum Sententiarum; ſi in aliquo caſu, ut ſæpè, ac ſæpius evenit, deſumenda eſſent ab ipſis Originalibus aliqua exemplaria, Actuarius uti poterit ſequenti forma.

§. 20. Eodem die Adm. R. P. N. &c. ſupradictus pronunciavit, prout in ſchedula tenoris ſupraſcripti, et poſt vocalem ejuſdem pronunciationem dedit mihi Actuario infraſcripto in mandatis, ut ea redigerem in Actis, et unum, vel plura, juxta occaſiones, conficerem inſtrumenta præſentibus P. P. N. et N. ad hoc ſpecialiter vocatis, et ſubſcriptis. In quorum fidem etc.

Ità eſt f. N. etc. **Ego f. N. Actuarius.**

Ego f. N. fui præſens. **Ego f. N. fui præſens etc.**

DE APPELLATIONE
TRACTATUS SEXTUS.

Quid ſit Appellatio, quomodo, & coram quibus ſit interponenda. Regula prima.

§. 1. APpellatio cùm nihil aliud ſit, quàm Cauſæ provocatio à minori Iudice ad majorem ratione gravaminis illati, vel inferendi, hinc eſt, quòd nemini licet appellare à ſupremo Iudice, nempè à Principe, vel à Pontifice ad quemcumque alium inferiorem; quòd ità appellationi eſſentiale, & intrinſecum eſt, ut ad minorem, vel æqualem Iudicem illam ſine pœna nullitatis interponi minimè poſſit. Et quamvis hoc apud omnes ſit in confeſſo. Nihilominùs benè poſſet quis, quando à ſententia Principis ſe gravatum crederet, uti ſupplicatione, ut ipſo Iure ſtatutum eſt, qua mediante peteret ſuam Cauſam ab ipſomet Iudice ſupremo iterùm judicari, ac ſuæ indemnitati provideri, ac etiam poteſt petere recurſum allegando propriam ignorantiam, & errorem, ac Adverſarij circunventionem. *Afflict. ſuper conſt. Regul. in prælud. qu.* 10. *nu.* 4. *& ſeqq. Moſcatel. in pract. de appellat. gloſ. appellari memb.* 18. *& Scac. de appel. q.* 19. *remed.* 3. *n.* 3. Et talis recurſus, vel ſupplicatio regulatur ſecundùm terminos Cauſæ appellationis, nempè, intra decem dies poſt datam ſententiam *Cabal. caſ.* 109. *n.* 2. *& ſeqq.* & poſt alios quos allegat, tenet, ut ſit ad inſtar appellationis non ſolùm quoad effectum devolutivum, ſed etiam ſuſpenſivum, licèt nonnulli alij quos ibi allegat, contrarium ſentire videntur. *latè Scac. de appel. ibid. n.* 14. Hanc autem ſupplicationem non ſolùm Principi, aut ſupremo Iudici à quo appellari non poteſt, ſed etiam Iudici inferiori offerre cuique liberum eſt, ſi ab eo appellare prohibeatur. Iudex verò, ubi hujuſmodi ſupplicationem intra dictos decem dies poſt diffinitivam ſententiam in ſcriptis oblatam acceperit, à ſententiæ executione abſtinere debet, donec perluſtrato iterùm proceſſu, ac diligentius examinata Cauſa ſententiam aut confirmaverit, aut modificaverit, vel etiam revocaverit.

§. 2. Ad juſtæ igitur Appellationis modum, & formam ſubſtantialem ſpectat, ut in ea exprimantur Primò, nomen Appellantis, Secundò nomen Iudicis à quo appellatur, & ſufficit continere nomen dignitatis. 3. nomen Iudicis ad Quem, quando Iudex non eſt certus, idèſt, quando ad plures Iudices immediatos quis appellare poteſt, nam tunc debet declarare Iudicem intra ſpatium decem dierum: ſed quando Iudex immediatus eſt certus expreſſio nominis non eſt neceſſaria; quia in

tali caſu intelligitur facta ad Iudicem immediatum. 4. debet continere ſententiam à qua appellatur, ſeù exprimere rem ſuper qua lata eſt ſententia; vel diem latæ ſententiæ dicendo. *Appello à ſententia lata per vos tali die.. &c.* ſeù exprimere, & demonſtrare identitatem ſententiæ à qua appellatur, & ſi exprimatur res, & error fieret in die, valida erit appellatio; quia ſufficit, ut ſit certa per expreſſionem rei. 5. debet continere petitionem Apoſtolorum inſtanter, & inſtantiſſimè. 6. In ea debet eſſe expreſſus dies, ut appareat, appellatum fuiſſe infra tempus à lege præfixum, & ſi facta eſt in ultimo die, debet continere horam, quia terminus decem dierum ad appellandum conceſſus currit ab hora ſententiæ latæ de momento in momentum, ut in regula ſequenti fuſiùs dicemus.

§. 3. Prætereà ad eandem formam ſubſtantialem appellationis ſpectat quoque, ut proponatur coram Iudice à quo. *cap. ut debitus extra de appel. Rot. apud Farin. deciſ. 594. n. 2. p. 2. recent.* Et coram ipſo debent etiam proponi Cauſæ gravaminis, maximè ſi appellatio foret ab Interlocutoria. *Lancell. de attent. par. 2. cap. 12. Scacc. de appell. qu. 6.* Nec ſufficit cauſam gravaminis generaliter exprimere, ut ſi quis de omni gravamine, quod in ea cauſa illi obvenire poſſit, appellet: vaga enim & generalis hujuſmodi appellatio à Iure reijcitur; ſed certa, & determinata appellationis cauſa exprimenda eſt, ut de Iure ſtatutum eſt. Si tamen cauſa appellationis, vel recuſationis, ut alibi diximus, adverſus perſonam immediatam ipſiuſmet Iudicis, qui recuſatur, vel à quo appellatur militaret, in tali caſu appellans, vel recuſans non tenetur exprimere cauſam in particulari, ſed ſatis eſt, ut illam exprimat in generali, ſcilicèt, ob graviſſimas cauſas loco, & tempore, & coram Iudice competente exponendas. Nec valet appellatio in abſentia Iudicis, licèt poſteà ipſi intimetur. *Sanchez lib. 3. cap. unico. dub. 32. num.* 127. ſed debet interponi coram eo, aliàs eſt nulla, & nullum effectum operatur. *Soccin. conſ. 45. n. 1. lib. 1. Gram. deciſ. 36. n. 77. Farin. deciſ. Rotæ recent. 396. p. 2. n. 3.* excepto caſu neceſſitatis, ſcilicèt, vel propter metum, vel ob Iudicis abſentiam. *cap. Iuſta, de appel. cap. fin. & ibi gloſ.* Et appellatio non debet fieri per ſaltum, aut omiſſo medio, ſed gradatim, præterquam ad Romanam Sedem, ad quam omiſſo medio unicuique immediatè appellare licet. Ordo verò appellationis à Sac. Congr. præſcriptus, erat rite, ut a Guardiano ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, à Generali ad Eminentiſs. Protectorem, à Protectore ad præfatam Sac. Congr. tum demum ad Summum Pontificem, quando quis gravatus ſe crederet, appellet.

§. 4. At hodie attenta nova Bulla S. D. N. Innoc. XII. publicata dum typis depromebatur (nos opus) ex una parte reſtrectiva, ſeù moderatoria facultatum Protectorum Ordinum Regularium, quæ incipit. *Chriſti fidelium, qui ſpretis &c.* & ex altera innovatoria, confirmatoria, ac extenſiva ad omnes alias Religiones tàm virorum, quàm mulierum Conſtitutionum Greg. XI. Sixti IV. ac Iulij II. ſupra relatarum *in tract. gener. de poteſt. Iud. Reg. reg. 1. §. 4.* non datur amplius appellatio ad Eminentiſs. Protectorem, ſed immediatè poſt P. Generalem ad Sacram Congr. ad cujus effectum derogat Pontifex omnibus & ſingulis Indultis, privilegijs, aut Conſtitutionibus Apoſtolicis, Regulis, Statutis, Ordinationibus, Declarationibus, ac Decretis Sac. Cong. necnon uſibus, & conſuetudinibus quorumcumque

Ordi-

Ordinum ipſis Cardinalibus Protectoribus concedentibus cognitionem, vel definitionem Cauſarum, ſeù litium, vel negotiorum in aliqua inſtantia, ſeù gradu cujuſcumque appellationis. Vultque, ac mandat utrumque, ſeù duplicem appellationis effectum, quòd prius ad dictos Eminentiſs. Protectores ſpectabat ſucceſſivè, vel reſpectivè omiſſo omninò medio ad Sac. Cong. Epiſcop. & Reg. devolvi, ac ad unum tantùm cognitionis, ſeù appellationis gradum reduci; ita quòd ipſi Eminen. Protectores per ſe ſeparatim, ac ſeorſum ab eademmet Sac. Cong. non poſſunt amplius eſſe Iudices Appellationum, ſed ſolummodo quando in ea, tanquam ex ea inſimul cum alijs eiuſdem Sac. Cong. Cardinalibus conveniunt, tale munus exercere valent.

§. 5. Et ſicut ex tenore præfatæ Bullæ derogatur, ut dixi, omnibus, & ſingulis Regulis, Statutis, uſibus, & Conſuetudinibus quorumcumque Ordinum, necnon Declarationibus, & Decretis memoratæ Cong., ſic quoque derogatur in hac parte ijs, quæ ſupra adnotavimus *in* §. *3. d. reg.* nempè, quòd Eminentiſs. Protector ſit primus Iudex Appellationis extra Ordinem, & ſimiliter *in* §. *5. eiuſd. reg.* videlicèt, quòd in ſecundo gradu appellationis ſubintrat Sac. Congr., quia cùm Pontifex in hac ſua recentiori Bulla annectet, uniat, ad unumque reducat iſtos duos gradus appellationum, hodie dicendum eſt extra Ordinem unum tantùm eſſe Iudicem Appellationis, ſcilicèt, Sac. Cong.

§. 6. In ſua igitur viridi obſervantia manentibus cæteris omnibus, quæ in prædictarum Greg. XI. Sixti IV. & Iul. II. Conſtitutionum decernuntur circa facultatem Cardinalis Protectoris, & de quibus ſupra *in d. tract. gen.* & §. §. *3.4. eiuſd. reg.* quaſque omnes, ut una eademque, & pariformis, hujuſmodi Protectionum ſit, & perpetuò eſſe debeat regula, & diſciplina, poſtquam ad quorumcumque Regularium Ordines, Religiones, & Congregationes tàm virorum, quàm mulierum erectos, reformatos, ſeù exiſtentes, ac erigendos, reformandos, ſeù futuros, & quomodolibet nuncupatos extendi mandavit, poſteà motu proprio, ex certa ſcientia, ac de plenitudine poteſtatis idem Innoc. XII. prohibet, atque decernit, ne Protectores dictorum Regularium Ordinum in negotijs, cauſis, ſeù rebus, quæ univerſum Ordinem, ſeù totum corpus Religionis non concernunt, ex quacumque cauſa, occaſione, titulo, ſeù prætextu ſeſe quoquomodo intromittant, ſeù ingerant: Itaut memorati Protectores etiam à cognitione, & definitione Cauſarum, ſeù litiũ, vel negotiorum dictos Regulares, vel eorum bona, jura, domos aliaque particularitèr concernentium paritèr, ſeù magis abſtinere debeant.

§. 7. Et quia ſæpè ſæpiùs contingit, ut in Cauſis, ſeù negotijs, quæ in memoratis Cardinalium Congregationibus proponuntur, exquiratur ſuper expreſſis informatio, ac quandoque etiam votum, ſeù delegetur reſolutorum exequutio, eandem proportionem, ſeù diſtinctionem etiam in hac parte ſervari mandat Sanctitas ſua, ut nimirùm in reſpicientibus totum Ordinem Protectorum Curæ commiſſis, ſeù relictis, ijſdem Protectoribus pro informatione, aut etiam Voto, ſeù exequutione remittantur. In cæteris verò cauſis, & negotijs Superiori Generali, ſeù Procuratori Generali vel ſoli, vel inſimul etiam nonnullis alijs eiuſdem Ordinis Superioribus, ſeù Prælatis quomodocumque nuncupatis juxta rerum, locorum, & perſonarum

ſonarum qualitates, & circumſtantias reſpectivè informatio, & votum, necnon exequutio hujuſmodi ſervata quoad ſingulos Ordines forma propriæ Regulæ Statutorum, ſeù Inſtituti, delegetur, ſeù committatur.

§. 8. Sicuti etiam non ſolùm in omnibus electionibus, quæ in Comitijs generalibus, in quibus ijdem Cardinales Protectores pro tempore præſidere, ſeù reſpectivè intereſſe contigerit, in virtute Sanctæ Obedientiæ ipſis diſtrictè præcipit, ut prorsùs ſe abſtineant, ſeù deſiſtant ab omnibus vexationibus, commendationibus, machinationibus, humaniſque finibus eliminatis, & exploſis, adeò ut pro optima, & canonica electione, integra, illibata, intacta, & libera Vocalibus remaneat eligendi facultas tàm Superioris Generalis, quàm aliorum reſpectivè Prælatorum &c. ſed inſuper ab omnibus alijs electionibus, ſeù deputationibus nonnullorum Prælatorum, Superiorum, vel aliorum in aliquibus Ordinibus eligendorum, ſeù deputandorum, ad cujus effectum quaſcumque facultates, ſeù auctoritates ipſis Cardinalibus Protectoribus attributas, vel quomodolibet ſpecialiter, aut generaliter conceſſas nonnulla gerendi, committendi, mandandi, demandandi, ſeù ordinandi penitùs adimit, ac ipſas reducit ad formam prædictarum Conſtitutionum Greg. XI. Sixti IV. & Iul. II., de quibus ſupra dictum eſt. Quibus addi poteſt, ut nec minus poſſunt alicui Fratri locum, cameram, cellam, libros, vel alias res dicti Ordinis concedere, vel eius uſui deputare.

§. 9. Et ut præmiſſa, & ſingula eò magis debitum ſortiantur effectum, & exequutioni demandentur, ac ad majorem cautelam, ſeù declarationem omnia, quæcumque, & ſingula, qua in præmiſſis, ac extenſis Conſtitutionibus Greg. & Sixti, ac in ſua Bulla ſunt quoquo modo explicitè, vel implicitè prædictis Protectoribus interdicta, in poſterum. Idem Innoc. XII. annullat, caſſat, & irritat, ſeù potiùs nulla, caſſa, inania, irrita nulliuſque roboris & momenti ipſo Iure, & facto omni meliori modo declarat, atque decernit. Mandatque ijſdem nunc, & pro tempore in futurum exiſtentibus Protectoribus, nè cuncta, vel ſingula præmiſſa, & in Conſtitutionibus Greg. Sixti, & Iul. contenta, & expreſſa, ſeù prohibita injungant, faciant, mandent, committant, permittant, ſive tolerent; necnon quibuſcumque Regularibus utriuſque ſexus, tùm Superioribus etiam Generalibus, tùm Subditis, nè ijſdem omnibus, & ſingulis, ut præfertur præmiſſis pareant, obediant, morem gerant, adhæreant, ſeù illa tolerent, vel permittant.

§. 10.Ættereà omnes, quaſcumque & ſingulas facultates, auctoritates, & juriſdictiones quomodocumque, qualitercumque, & quomodocumque tàm in genere, quàm in ſpecie omnibus, & ſingulis ante hac, ſive nunc exiſtentibus Protectoribus hujuſmodi, & tàm eorum perſonis, quàm gradui, muneri, vel Officio conceſſas, & attributas etiam ſpeciali, & individua mentione, moderatione, ſeù revocatione dignas eorumdem omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti eſſent pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes in omnibus, & ſingulis, quæ præmiſſis adverſantur, moderat, reformat, & ad limites, modum, formam, ac tenorem ſuæ Bullæ reducit, & pro ſic moderatis, reformatis, & reductis haberi, cenſeri, & intelligi vult, & decernit. Ac tandem mandat præfatæ Congregationi Epiſc. & Regul. nec non Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori,

 qua-

quatenùs omnibus, & ſingulis præmiſſis ſemper ſalvis, & in ſuo robore permanentibus in ea parte, quæ prædictam moderationem, ſeù limitationem facultatum Protectorum hujuſmodi, ac in contrarium deſuper ab iiſdem Protectoribus gerendorum, nullitatem, ſeù irritationem duntaxàt concernunt, ubi, & quando opus fuerit, quoties pro parte quorumcumque deſuper intereſſe habentium fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque deſuper efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant ſupradicta omnia una ſimul cum expreſſis in Conſtitutionibus Greg. XI. Sixti IV, ac Iul. II. auctoritate Apoſtolica obſervari &c. non permittentes eos quomodolibet moleſtari, contradictores eadem Auctoritate Apoſtolica appellatione poſtpoſita compenſendo. Sic Pontifex Innoc. XII. in citata ſua Bulla poſt impreſſionem primi folii hujus Operis promulgata, obidque hîc, & non ibidem inſerta, ſtatuit, ordinavit, ac inviolabiliter, & inconcuſsè ab omnibus cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis obſervari, attendi, & exequi mandavit.

§. 11. Ordinatè igitur, ut ad noſtrum inſtitutum redeamus, appellandum eſt juxta ſuperius tradita, nempè à Provinciali ad Generalem, à Generali ad Sac. Congregationem, aliàs non valeret appellatio nec intra, nec extra Religionem; quia appellatio, quæ fit prætermiſſo medio non eſt legitima *tex. in cap. Dilecti 3. de appell.* Et illi, qui talem ordinem infringunt ſine juxta, & rationabili Cauſa, quæ debet eſſe ut aliter ſublevari, ac juſtificari non poſſint, excommunicati ſunt ex Bullis Leo. X. & Pauli III. Appellatio ad Nuncios Apoſtolicos eſt prohibita tùm ex Bulla Urbani VIII. anno 1624. edita pro Relig. S. Benedicti in Hiſpania, quàm ex aliis Bullis Leo. X. dummodo Nuncii non habeant à Sanctitate ſua ſpecialem facultatem ſuper recentia privilegia, & debent illam oſtendere Regularibus. Extat tamen de recenti quædam reſponſio Sacræ Congregationis, nempè Nuncios poſſe de Cauſis Regularium cognoſcere. An autem Sac. Congregatio habeat facultatem ſupra Bullas Pontificum cum clauſulis ex certa ſcientia, & motu proprio, ac munitas cum aliis ſtrictioribus Clauſulis, uti apparet in ſupracitatis Bullis Urbani VIII. & Leo. X. Tu lector maturè conſidera.

§. 12. Et quando quis appellat à Provinciali ad Generalem & ſi plures ſunt Iudices coram omnibus interponenda eſt appellatio, vel ſaltim coram majori parte, & ſi non inveniantur ſimul, interponi poteſt ſeparatim, & ſi duo tantùm eſſent Iudices coram omnibus eſt interponenda. Et quando quem à ſubdelegato appellare contingerit, non ad Delegatum, ſed ad Delegantem appellatio fieri debet, præſertim ſi tota Cauſa ſit delegata, non autem ſi ſit tantùm pars Cauſæ: tunc enim appellatio ad ſecundum Delegantem ſpectat. Et ſi Iudicis à quo preſentia haberi non poſſit, tunc ſufficit appellare coram Iudice ad quem, ſi eſt præſens. Si verò & ipſe eſt abſens, tunc ſatis eſt appellare coram honeſtis viris. *Bald. in L. Apertiſſimi ſubſt. n. 3. Cod. de Iud. Barboſ. in collect. ad cap. ut Debitus. n. 5. de appellat., ubi alios citat.* Et ſi condemnatus ob juſtum timorem, vel probabilem metum non audet appellare à diffinitiva ſententia viva voce, ſtatim lata ſententia coram Iudice à quo ſufficit, ut dicat ipſi Iudici, Paternitas veſtra in hoc, & hoc me gravat, adducendo, & explicando gravamina talia, à quibus licet appellare, & hoc ſufficiens reputatur pro legitima

gitima appellatione, ſtante juſto timore appellandi. *cap. ultimo, & ibi Gloſſ. in verb. excuſat, & ibi etiam Innoc. de appel.* Et ſi ob juſtum timorem, vel metum timeat quoque facere dictam proteſtationem coram Iudice à quo, proteſtatio habetur pro facta, & tunc ſtante juſto timore, licèt adſit Iudex, gravatus poteſt appellare in ſcriptis coram honeſtis viris. *Scac. de appel. q. 6. n. 11. Barboſ. in cap. Si juſtus n. 19.* præmiſſa tamen dicta proteſtatione, quòd non audet appellare coràm Iudice à quo. *Gloſ. in d. cap. ult. in fin. in figurat. caſus.* Vel debet proteſtari coram duobus teſtibus, quòd non poteſt appellare coram eo, quia timet, vel quia eſt abſens, & hoc ſat eſt, ac ſi appellatio eſſet interpoſita coram eo. *Scac. ibid. num. 9.* Metus autem juſtus quot modis inducatur conſulendus eſt Barb. *in d. cap. ult mo num. 4. & ſeqqu.* Et Iudicis ad quem arbitrio hoc relinquitur. *Scacc. loco citato numero 14.*

§. 13. Multa autem requiruntur ad hoc, ut quis ſuam appellationem coram honeſtis viris interponere poſſit; & primò. Quòd prædicta proteſtatio tempore congruo ſit facta, idèſt, intra ſpatium decem dierum, niſi propter metum non potuiſſet infra dictum tempus appellare neque coram honeſtis viris; quia tunc non currit tempus decem dierum ad appellandum præfixus. *Franch. in d. cap. ultimo. nu. 32. Scac. q. 6. num. 39.*, Secundò, quòd non contineat Cauſas Cauſæ, niſi poſtea in proſecutione Cauſæ, & ſufficit expreſſio Cauſæ in genere, v. g. *Iniqua ſententia eſt lata contra me, nec audeo appellare, & hoc proteſtor coràm vobis &c. Scac. ibid. in gloſſ. fin. c. fin.* Et quòd pars juſtè timens de Iudice poſſit appellare coram probis viris, etiam Iudice in loco præſente, præter prædictos auctores affirmat quoque Surd. *deciſ. 28. nu. 15.* Et hoc procedit etiam ſi ipſe, cui opus eſt appellare, fuerit cauſa ipſius metus, & ſui culpa inciderit in metum. *Scacc. ibidem num. 15. poſt Franch. loc. citato.* Et quando non conſtat de metu, vel abſentia Iudicis à quo, appellatio coram honeſtis viris non valet. *Grat. diſcept. forenſ. 101.* Et quando poteſt appellare coram honeſtis viris, ſat erit appellare coram uno honeſto viro e. g. Sacerdote, & teſtibus. *Abb. in dicto cap. ultimo. numero 3. de appellat. Barboſ. in collat. ad dicto cap. ultim. numero. 21.* Tertiò, quòd talis proteſtatio, ſeù appellatio intimetur Iudici, & parti, quæ intimatio non requiritur pro validitate appellationis, ſed quoad effectum attentatorum. *Franch. loc. cit. num. 47. Surd. conſ. 228. n. 17. in fine. Rot. deciſ. 38. de appell. in nov ſſ.* quòd etiam procedit in appellatione extrajudiciali. *Rot. deciſ. 38. aliàs 309. de appell. Scac. ibid. nu. 33.* aliàs non operatur remedium ſuſpenſivum, nec cauſat attentata, nec dicitur Cauſa appellationis pendere, niſi priùs fuerit intimata, & valerent geſta per Iudicem poſt appellationem ante intimationem: *Anchar. conſ. 158. n. 31. Franch. in d. cap. ultimo n. 42. & 50.* Si tamen Iudex haberet aliqualem notitiam de tali appellatione, tunc obtineret effectum ſuſpenſivum; quia ſufficit, quòd veniat qualitercumque ad ejus notitiam. Immò nec erit neceſſaria intimatio, quando deſiſtit ab Appellatione ob juſtum metum; quia ſicut iſte excuſat ab appellatione facienda, ità etiam eximit ab intimatione appellationis. *Scac. q. 6. n. 36.* Nec eſt neceſſaria intimatio, ſi Appellans dum vult Iudici intimare appellationem, noluit ipſe audire. *Scac. ibid. in 3. reſtrict. poſt Franch. & Lancell.* Sicut etiam in Cauſa appellabili, appellatio

 inter-

interpoſita, licèt rejecta à Iudice à quo, benè valet, & ſuſpendit, ac devolvit, ità ut contra eum geſta ſint habenda, ut attentata. *cap. non ſolum de appel. in 6. Rota deciſ. 32. n. 2. parte 1. & deciſ. 488. n. 5. p. 3. & deciſ. 613. p. 4. recent.* Quartò, quòd iſtæ honeſtæ perſonæ non faciant Decreta, quæ ſpectant ad Iudices, prout ſunt admittere appellationem, litteras citatorias, vel inhibitorias committere &c. *Barboſ. in d. cap. ultimo n. 20. de appel.* Et quando appellatio eſt extrajudicialis facta à Iudice extrajudicialiter procedente, valet coram honeſtis viris ſine cauſa. *cap. ut circa de elect. in 6. Tuſch. lit. A. concl. 351. n. 6.*

Appellatio quando ſit interponenda, & admittenda. Regula ſecunda.

§. 1. CErtum eſt, & apud omnes indubitatum, quòd Ius appellandi ex ipſo Iure naturali unicuique prætenſo Reo in caſu gravaminis eſt ità inſitum, & connaturale, ut nulli neque Principi Supremo illud violare liceat. Et quantumvis dari poſſit aliquis caſus, in quo Iudex Supremus, cauſa id poſtulante, jubeat, ut omni remota appellationi ab inferiori Iudice procedatur, hoc tamen eſt intelligendum de appellationibus frivolis, cum per dictam clauſulam non auferatur à Reo omnis appellatio, ſed tantùm frivola. *Gloſſ. in cap. ut debitus in verb. ante ſent. de appellat. Menoch. de arbit. caſ. 197. n. 2. Farin. in frag. crim. parte 2. verb. Iudex.* Et idem dicitur de illis aliis appellationibus, quæ à Iure ſunt expreſsè prohibitæ, vel à Iure conceſſæ non reperiuntur, ut in delictis ità notoriè perpetratis, ut nulla tergiverſatione celari poſſint, in his enim caſibus appellationes cadunt ſub illa clauſula. *Omni appellatione remota:* quia potiùs interpoſitæ videntur ad evitandas criminum pœnas, quàm ad innocentiam tuendam, & id circò à Iure interdictæ ſunt, cùm appellationis remedium non fuerit ad defenſionem iniquitatis, ſed ad præſidium innocentiæ inſtitutũ, ut inquit *Fagnan. in 1. p. 3. Dec. c. Veſtra. de cohabitat. Cler. & mulier.*

§. 2. Suppoſito igitur gravamine, (quod ſemper requiritur in appellationibus, alioquin non licet appellare ſecundùm Inno. & Hoſt. *n. 3. in verſ. appellandi;* quia ubi non eſt gravamen, appellatio dicitur frivola, & ſic illi non eſt deferendum) quotieſcumque Reus prætenſus ſe gravatum credit, non tàm naturali, quàm ex ipſo poſitivo Iure permiſſum eſt illi appellare; quo fit, ut in ipſis quoque Regularium Cauſis appellatio, quæ ſecundùm Eccleſiaſticas leges juſta, & legitima cenſetur Reis denegari non poſſit. Cauti tamen ſint Regulares, nè ad Iudicium effugiendum à Iuſta Iudicis ſententia (cùm de juſtitia illius conſtat) ad Iudicem Superiorem appellent; quia licèt de Iure Canonico pœna contra temerè appellantes receſſerit ab Aula *teſt. Menoch. caſ. 455.*, attamen vigore noſtrorum Statutorum *in 4. ſubſt. n. mihi 125.* pœna eſt illis duplicanda, præterquam quòd non poteſt effugere culpam læthalem, dum facit contra juſtitiam, & Religionis detrimentum, ut aiunt eadem Ordinis Statuta *n. mihi 126.* citantes Sotum *de Iuſt. & Iure lib. 5. q. 3. a. 2.* Quòd præcipuè verificatur, quando Prælatus non Iudiciali, ſed paterno tantùm pœna-

rum

rum modo procedit, quæ ut plurimum leves eſſe ſolent, & per modum potiùs correptionis, quam punitionis: & idcircò ab hujuſmodi correptionibus regularibus, à mortificationibus, pœnitentijsque ſalutaribus, quibus fama non læditur, & de quibus proceſſus non formatur, correptus non poteſt appellare, ſed debet ſe ſubmittere Superiori juxta Bullam Bonif. VIII. confirmatam à Leone X. obſervandam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, quòd tamen intelligendum eſt ſano modo, nempè, niſi ubi notabiliter modus in mortificationibus excederetur; quia ſi excederet, tunc non à pœna legis, ſed à Iudice pœnam applicante, benè appellare licèt quoad utrumque effectum tàm ſuſpenſivum, quàm devolutivum; & ità procedit textus *in cap. de priore. in cap. ſuper quæſtionem §. nos autem de offic. Deleg.* Ex quibus infertur, quòd ſi Prælatus in cauſa Viſitationis, ſeù correptionis procedit ſervata tela Iudiciaria, licet appellare etiam ad effectum ſuſpenſivum ſi in pœna excedat, ut colligitur *ex cap. Irrefragabili in principio.* Et hanc ſententiam aliàs approbavit Sac. Cong. Conc. teſte Fagnan. *in 2. Decret. de appellat. cap. ſuper eo il 2. num.* 14. Et etiam poteſt Regularis in manifeſta injuria, quotieſcumque agitur de bono nomine in re gravi appellare.

§. 3. Et licèt appellatio à futuro gravamine non ſit ſuſpenſiva, ut deducitur *ex cap. inter cætera, & ex cap. Conſulvit de appellat.* quoniam vaga, ac proindè nulla, & nullius effectus. Attamen hæc exceptio duas patitur reſtrictiones. Prima eſt, quando fit de futuro gravamine à certo Iudice in cauſa particulari, & ſubeſt juſtus timor de re præſenti, appellatio in tali caſu facta tenet, & eſt ſuſpenſiva, ut docet *Tuſch. cum Abb. & Gandulf. ab eo citatis concl.* 361., & probatur expreſsè *ex cap. Conſulvit,* in quo ſic habetur. Si generaliter quis petitionem interponeret ab omni gravamine, quòd ſibi poſſet contingere, hujuſmodi appellatio tenere non debet. Si verò ab aliquo Iudice ſuper omni gravamine, quod in una Cauſa ſibi poſſit inferri, quamvis appellatio generalis ſit, appellationi tamen eius eſt ab eodem Iudice deferendum. Sicut etiam, ſi quis ante motum Iudicium à futuro gravamine appellationem interponit, quæ appellatur appellatio extrajudicialis, ſuſpendit Iuriſdictionem, ut docet Gloſ. *in cap. Sicut de appellat. in 6. verſ. a futuro.* Item licèt appellatio in ſpectantibus ad Viſitationem non ſuſpendat Iuriſdictionem; Attamen appellatio cum ſuſpenſivo effectu interponitur, quando in Viſitatione judicialiter, & cum Cauſæ cognitione procedit, ut conſtat ex declaratione Sac. Cong. Epiſc. & Regul. quam refert Zerola *in prax. Epiſ. p 2. cap. 4. n. 6.* Et idem dicitur de Cauſis, quæ celerem expeditionem requirunt, & eſſet periculum in mora, in iſtis enim appellatio non habet ſuſpenſivum effectum.

§. 4. Quando igitur prohibitum eſt appellare, aut de Iure communi, aut vigore Statutorum, ſemper intelligi debet ſi Reus ore proprio confeſſus legitimè, aut legitimis, & à Iure approbatis probationibus convictus, aut in fragranti crimine repertus; ſecùs ſi non fuerit plenè convictus, aut in fragranti crimine repertus, neque legitimè confeſſus; quia tunc omninò erit admittenda appellatio, in qua optimum ſemper erit aliquam cauſam iniuſtæ ſententiæ inſerere, ad hoc ut ſuſtineatur. Sicuti etiam quis appellare poteſt non obſtantibus quibuſcumque privilegijs in contrarium, quando in ſententijs non ſervatur forma ſubſtantialis, quoniam

niam illa privilegia non derogant Iuri communi, & naturali, quo quiſque poteſt ſe tueri contra violentiam. Poteſtque Regularis Reus arripere iter abſque licentia Prælati Iudicis vexantis, ſi timeat adhuc vexari ſi peteret, aut ſi crederet ſe non obtenturum; nec poteſt Epiſcopus illum retinere ſine obedientia ſic tranſeuntem, dummodo probet vexationem. Et huic ſententiæ non adverſatur Tridentinum *ſeſſ.* 25. *c.* 4 *de Regul.* quoniam non prohibet exitum à Conventu niſi factum prætextu, non autem factum cauſa legitima, ut v. g. nimis ſævien e Superiore. Et ſic tenet Sanctarel. *de Apoſt. c.* 3. *d.* 1. *n.* 11. *cum Navar. comment.* 2. *de Regul. n.* 61. *comment.* 3. *n.* 51. *Azor. tom.* 1. *lib.* 12. *c.* 11. *q.* 7. *Sayr in Clau. lib.* 12. *c.* 17. *nu.* 40. *Roder. tom.* 1. *q.* 29. *a.* 2. *q.* 30. *art.* 4. *& alij citati à P. Brun. Caſſan. de privil. Regul. tract.* 2. *c.* 4. *propoſ.* 5. Caveant tamen Religioſi appellantes, nè abſque Superiorum ſuorum ad quos ſpectat licentia iter ad Iudices appellationum arripiant, vel ſub quovis quæſito colore recurſus ad Sac.Cong., vel ad Summum Pontificem adverſus eorum Superiores, ſine P. Generalis, aut Eminentiſs. Protectoris (ſi ad ipſum appellavit) facultate ad Romanam Urbem accedant. Id enim Sac. Cong. ſuper negot. Epiſ. & Regul. præpoſitæ Decreto, ac Clem. VIII. conſtitutione ſub graviſſimis pœnis interdictum fuit. Et ſi Reus aliquis non expectata ſententia, vel appellatione interpoſita; vel ea interpoſita, non expectatis litteris obedientialibus ad Superiores ipſos adierit, ad Iudicem à quo appellavit, vel diſceſſit, remittendus eſt ab ipſo judicandus, atque Apoſtatarum pœna plectendus.

§. 5. Et tandem ſciendum eſt, quòd dato etiam, quòd in aliquibus caſibus prohibitum eſſet appellare, numquam tamen prohibitum eſt etiam in ſententiis juſtis dicere de nullitate *Clar. q.* 94. *num.* 10., ubi facit concluſionem, ut pendente cauſa nullitatis ſententia criminalis non ſit executioni demandanda, licèt cognitio nullitatis requiret altiorem indaginem. *Boſſ. de nullit. n.* 4. *Moder. Roman. q.* 101. *n.* 111. *Dec. in tract. crim. lib.* 8. *c.* 9. *n.* 15. *tom.* 2. & maximè ſi proveniat ex defectu Iuriſdictionis *Dec. conſ.* 8. *n.* 7. *Vant. de nullit. tit. quis poſſit dicere. n.* 37. Et ſimiliter poteſt in ſententia juſtè lata per modum querelæ ad majores prælatos recurrere, ſicut Greg. XIII. in Bulla, quæ incipit. *Quoniam noſtro poſt prohibitum ad Sæcularia Tribunalia recurſum*, declaravit ad favorem Minoritarum verbis ſequentibus. *Sed ſi à Prælatis ſuis ſe gravari prætendant ad Generalem Miniſtrum ipſius Ordinis, ſeù illius Protectorem, vel ad nos, ſive Romanum Pontificem ſucceſſorum noſtrum Supremum in Eccleſiæ Dei Iudicem recurſum habeant, undè illis brevi manu juſtitia miniſtrabitur*. Sic Pontifex. *Idem P. Brun. Caſſan. loc. cit.*

§. 6. Qui igitur appellare volunt ex Iure Canonico ſtatutum eſt illis ut intra decem dies poſt publicationem ſententiæ appellent, niſi abſentes fuerint; quia tunc decem dierum terminus ab ea die inchoari debet, quo latæ ſententiæ notitiam habuerint. Et dies latæ ſententiæ computatur in termino decem dierum. cùm tempus currere incipiat de momento in momentum. *Tuſch. lit. A. concluſ.* 354. *n.* 13. *& ſequ.* & ſufficit ut appellatio in tali caſu interponatur ante lapſum horæ ultimi diei corriſpondentis horæ latæ ſententiæ. *Felin. in cap. quoad conſil. nu.* 26. *de re jud.* Et appellanti incumbit probare ſe appellaſſe intra dictum tempus decem dierum. *Surd. conſ.* 5. *n.* 36. Undè quando appellatur ultima die termini, cautiùs

erit

erit in appellatione ponere horam, ut conſtet fuiſſe interpoſitam intra tempus debitum, aliàs reputaretur illegitima, & ſententia faceret tranſitum in Iudicatum, etiam non ſecuta aliqua declaratione Iudicis ſuper re Iudicata, & deſertione, & ideò non auditur volens appellare poſt decem dies. *Rota apud Farin. deciſ.* 81. *p.* 1. *recent.* cùm res Iudicata propriè dicatur illa à qua appellari non poteſt. *Gloſſ. in cap. non ſolum in verb. innovata. in c. Dilecti in fi. de elect., & in c. cum inter de re jud. & in l. poſt rem ff. de re jud. Dec. in cap. Factturus de appellat. n.* 1. Et ſi ultima dies fuerit feriata adhuc dicta die poteſt interponi appellatio. *Guaz. def.* 26. *c.* 1. *n.* 2. Et qui prætextu impedimenti ſe vult juvare non appellando intra ſpatium decem dierum, debet probare, quòd impedimentum fuerit tale, ut illud removere non potuerit. *Cravet. conſ.* 270. *n.* 1. *Socc. conſ.* 76. *n.* 79. *vol.* 1. Et quòd impedimentum allegatum fuit cauſa immediata non appellandi. Si verò non conſtaret qua hora fuerit data ſententia, tunc erit tenendum, quòd lata fuerit in ultima hora diei, cùm ſemper præſumatur pro validitate actus. *Guaz. def.* 26.

§. 7. Et quando appellatur in continenti à diffinitiva, ſcilicèt, tempore ſententiæ, & in præſentia Iudicis ſedentis pro Tribunali, ſufficit appellare viva voce, & dicere, *Appello*, ſine Cauſæ expreſſione, & dicendo appello, ſubintelligitur, appello à te, à ſententia, quam protuliſti contra me. *Ricc. in prax for. Eccl. reſ.* 407. *in* 2. *edit. Scac. de app. q.* 3. *n.* 15. cum aliis ab eo citatis; tamen ſi appelletur ex intervallo proponenda eſt in ſcriptis. *L.* 1. *§. fin. cum l. ſeqq. ff. de appel.* Sicuti etiam in ſcriptis proponenda eſt appellatio à diffinitiva, quando non eſt facta in preſentia Iudicis, quamvis ſit facta in continenti. Et quando appellatio eſt prohibita, appellans habet contra ſe Iuris præſumptionem, undè Iudex non tenetur ejus appellationi deferre, niſi alleget cauſam. *Maran. in ſpec.* 76. *a.* 2. *de app. n.* 143. Et quòd dictum eſt de diffinitiva, intelligi etiam debet de Interlocutoria habente vim diffinitivæ. *Nata conſ.* 92. *num.* 3. *in fin.* Et ideò ſi quis appellaret à diffinitiva, vel ab habente vim diffinitivæ viva voce in continenti, & poſtea appellaret in ſcriptis infra decem dies, tunc prima appellatio valeret, & fatalia incipient currere non à die ſcripturæ, ſed à die appellationis viva voce in continenti; quòd etiam procedit, ſi in appellatione viva voce facta in continenti reſervavit appellare in ſcriptis, & in ſcriptis poſtea appellavit, & inſtantia deſeritur à tempore primæ, non à tempore ſecundæ. *Bald. conſil.* 425. *n.* 4. *lib.* 3. *Tuſch. lit. A. concl.* 365. *nu.* 5., qui in 6. cum Baldo reſtringit, niſi in ſecunda appellatione in ſcriptis facta, prima appellatio eſſet reformata; quia in tali caſu attenditur ſecunda corrigens primam, & quoties inter ponantur plures appellationes, ſemper attenditur prima ſi eſt valida, & ſic inſtantia currit à prima die. *Bald. loc. cit. n.* 3. Si verò prima non eſſet valida, & ſecunda valida, hæc, & non illa attenditur. Nec ſatis eſt viva voce appellare, & poſtea cauſam gravaminis in ſcriptis proponere, aut è contra appellare in ſcriptis, & cauſam gravaminis viva voce proponere, ſed copulativè debent in ſcriptis proponi, aliàs appellatio eſſet nulla, ità judicatum refert Graveus *conſil.* 119. *n.* 56. Benè poteſt appellare in ſcriptis, & poſtea intra decem dies proponere cauſam gravaminis in ſcriptis; nam tunc illa prima appellatio efficitur efficax per ſecundam ſcripturam proponentem cauſam gravaminis; & ab illa incipiunt currere fatalia. Et quando cauſa eſt ſummaria poteſt

teſt fieri ſine ſcriptis, & ſine expreſſione Cauſæ. *Tuſch. lit. A. concl. 360.*

§. 8. Si nullitas copulatur cum appellatione; ut ſi quis proferat *Dico ſententiam nullam, & ſi qua eſt appello &c.* deſerta cauſa appellationis, remanet cauſa nullitatis, quæ impedit executionem, præcipuè quando executio eſt irretractabilis, ut alibi diximus. Secùs ſi nullitas incidenter eſſet deducta ſub verbo appello; quia tunc ſequitur naturam principalis. Et licèt quis non poſſit appellare poſt lapſum decem dierum, poteſt tamen agere uſque ad triginta annos per viam nullitatis, & querelæ, & poteſt etiam implorare officium Iudicis, & petere reſtitutionem in integrum *Scac. q. 12. n. 173.* & etiam in ſententia excommunicationis; quia excommunicatus quotidie gravatur, & ideò ſemper poteſt petere revocationem dictæ ſententiæ, & quamdiù non revocatur, poterit appellare etiam elapſis decem diebus poſt petitionem revocationis. *Scac. q. 12. n. 151. ex Franch. cap. cum ceſſ. n. 6. de appellat.* Et idem dicitur de quocumque gravamine continuo, quo durante, poteſt ſemper gravatus interponere appellationem etiam poſt decem dies. *Marſil. in tit. de queſt. n. 34. Gomez. de delict. c. 9. n. 10.* Et etiam in comminationibus poteſt appellari poſt decem dies. *Franch. cap. ceſſan. n. 6. in fine.* & præcipuè in comminatione Carceris, aut in carceratione effectiva, niſi fuerit pronunciatum ſuper carceratione, quia tunc debet appellari infra decem dies dictæ ſententiæ. *Guaz. def. 26. c. 1. in fine.* Et ratio eſt, quia gravamen illatum cohæret perſonæ, & per conſequens reparari non poteſt. Carcer enim dicitur mala manſio; *ut eſt textus cum gloſ. in l. ſi hominem ff. depoſiti; & in l. apud Labeonem §. quæſtionis ff. de injur.*

Appellatio quando ſit reijcienda. Reg. Tertia.

§. 1. Quia recuſare Iudicem, & ab illo appellare non minus concernit Reos, in quorum innocentiæ præſidium appellatio conceditur, quàm ipſos Iudices à quibus provocatur: ideò ſicut in antecedenti regula demonſtravimus, quando ſit ab illis interponenda, & ab iſtis admittenda appellatio, ſic in præſenti videbimus, quando ſit reijcienda. Pro cujus intelligentia ſciendum eſt, quòd in omnibus caſibus, in quibus regulariter minimè licet appellare ſemper licet reijcere appellationem. Undè appellationes frivolæ omninò ſunt reijciendæ. Eæ autem ſunt Primo cùm appellat Reus confeſſus, & convictus, niſi probare vellet confeſſionem factam per vim metum vel errorem *l. 2. Cod. quorum appellatio non recipiuntur. Carar. pract. crim. c. 1. par. §. 3. caſus cap. Romanis c. prævenit de appell.* vel niſi eſſet exceſſum in pœna inflicta. *Moder. Roman. q. 101. n. 110.* His exceptis, non admittitur appellatio, & Iudex poteſt exequi ſuam ſententiam non obſtante appellatione. *Scacc. de appell. q. 17. lim. 4. n. 4.* quæ opinio procedit tàm de Iure Can. quàm Civili. An autem convictus tantùm, vel confeſſus tantùm poſſint appellare, controvertitur inter Doctores. Nos dicimus cum Farin. *q. 101. n. 131.* qui teſtatur de communi, quòd convictus tantùm benè poteſt appellare, præterquam in aliquibus criminibus graviſſimis expreſſis per Scac. *de appel. q. 17. lim. 4. n. 76. & ſeqq:* niſi forſitan exprimeret cauſam rationabilem appellationis, in quo caſu etiam admittenda eſſet in dictis criminibus appellatio. De confeſſo autem tantum,

Clar.

Clar. *q. 94. in principio* atteſtans de communi, & magis communi, dicit quòd non appellat. Alij verò apud Guaz. *def. 36. c. 13. ſub n.* 1. ſuſtinent, quòd confeſſus tantum benè poteſt appellare, cùm in cauſa appellationis poſſit ſuam confeſſionem revocare, & de illius errore docere: & tunc debet inſerere in ipſa appellatione cauſas appellationis; quia nempè confeſſus fuit per errorem quem vult probare, & ſic non obſtante confeſſione ſuſpendit executionem, & Cauſam devolvit ad Iudicem ad quem, aliàs ſine cauſa non ſuſpenderetur executio per ipſam appellationem. Quòd magis procedit in confeſſo per torturam, cui de Iure communi non tollitur appellatio. *Guaz. ibid. n. 7.* dummodo tamen dicta confeſſio non fuerit poſt torturam ſponte ratificata.

§. 2. Secundo, cùm appellatur à delicto notoriè commiſſo, quod nulla valeat tergiverſione celari. *cap. cum ſpeciali §. porrò, extra de appel.*, niſi à Iudice declarante notorietatem appellaretur. *Navar. lib. 5. conſil. 20. n. 5. de ſent. excom.* Intellige in notorio per evidentiam facti, non autem Iuris, pro quo ſciendum eſt, quòd notorium diſtinguitur in triplici ſpecie. Prima, ſcilicet, quoad Iudicem, & alios, ſecunda quoad alios, & non quoad Iudicem. Tertia quoad Iudicem, & non quoad alios. In prima ſpecie, quod eſt facti evidentis reijcitur appellatio, in alijs autem duobus ſpeciebus reſpicientibus notorium Iuris, admittitur. *Guaz. def. 36. c. 9. n. 2.* Et idem dicitur, quando notorium poteſt aliquo modo offuſcari, & tunc habet appellatio utrumque effectum ſuſpenſivum, & devolutivum. Tertiò, ſi ſententiam acceptavit, & propria manu ſubſcripſit, vel ſuo nomine ſubſcribere fecit, in tali caſu per appellationem ab illa ampliùs declinare non poteſt. Quartò, ſi Iudici interroganti reſpondere, vel citatus comparere noluit; ex quo tamquam confeſſus, & contumax fuit condemnatus; ſic noviſſime declaravit Sac. Congreg. Epiſ. & Regul. apud Bertum *in prax. tit. 27. de appel. c. 3.*

§. 3. Quintò, ſi poſt trinam appellationem, quartam addere vellet, non eſt admittenda; Poteſt enim Reus in eadem Cauſa, apud diverſos Iudices, bis, vel ad ſummum ter appellare; ulteriùs non poteſt. *cap. direct. cap. tua nobis de appel.*, nè Cauſæ longiùs, quàm par eſt protrahantur. Sextò, ſi quis appellat ex fraude, & malitia, talis appellatio nullatenùs eſt admittenda. *Gloſ. in cap. Suggeſtum de appel.* Et idem dicitur de illo, qui non gravatus nullam juſtam appellationis cauſam adducit; *cap. quicumque* 2., quia, ut ait D. Bernardus ad Eugenium, qui non gravatus appellat, manifeſtè liquet, quòd aut gravare intendit, aut tempus redimere. Sicut, nec recipitur appellatio à definitiva ſententia contra verum contumacem, nec inhibitio, nec alia quævis proviſio, quamdiù in pertinacia perſtiterit. *Barboſ. in collect. Bull. verb. Appellantes.* Septimò, à ſententia Iudicis arbitri, cùm partes in ipſum conſenſerint, nulli fas eſt appellare, niſi Iudices inter ſe eſſent diſcordes, in quo caſu eligitur tertius, à cujus ſententia appellare non licet. Nec à pœna legis, quando per ſententiam à Iudice infligitur. Cùm enim lex juſta pœnam decernat, nullum ex ea Reo gravamen inferri poteſt, propter quod appellare queat. Quin etiam Iudex, qui adverſum legem hujuſmodi appellationi deferret, legis corrector, non cuſtos evinceretur: & admiſſa tali appellatione, (& idem dic de omnibus alijs caſibus prohibitis appellare) vel per ignorantiam Iudicis, vel ex alia cau-

ſa, tenet, & eſt valida, ità quòd tota cauſa devolvitur ad Iudicem ad quem. *Gomez. tit. de delictis cap.* 13. *num.* 32. ubi alios adducit, & dicit eſſe notabile, & menti tenendum. *Farin. conſ.* 17. *n.* 7. ubi reddit rationes, & teſtatur de communi.

§. 4. Poſtremò ab Interlocutoria ſententia poſt Conc. Tridentinum *ſeſſ.* 13. *c.* 1. *ſeſſ.* 22. *c.* 1. *ſeſſ.* 24. *c.* 10. *&* 20. *de refor.* non licet appellare, niſi damnum, & gravamen contineat, quòd per definitivam reparari minimè poſſit, ut accidit in carceratione indebita, in tortura, in excommunicatione etiam comminata ſuſpenſione, interdicto (quæ ſunt damna irreparabilia) vel Interlocutoria vim definitivę haberet; tunc appellationem acceptare Iudex tenetur, & cauſa appellationis debet inſeri in dicta appellatione ad differentiam appellationis à definitiva ſententia, in qua non eſt neceſſe exprimere cauſam. *Bald. conſ.* 41. *n.* 1. *lib.* 1. *& conſ.* 146. *n.* 1. *lib.* 3. Et hoc etiam procedit ſi gravamen reparari non poſſit ex toto, vel cum magna difficultate. *Surd. deciſ.* 39. *num.* 14. Aut quando articulus Interlocutoriæ eſſet præjudicialis negotio principali, vel ingerit difficultatem circa Cauſæ deciſionem. *Ricc. reſol.* 2. *n.* 4. Et eſt hîc advertendum, quòd ſi quis appellat ab Interlocutoria continente gravamen irreparabile, & Iudex non admittit appellationem, debet appellans ab ipſa non admiſſione etiam appellare, aliàs appellatio cenſetur deſerta. *Cardin. in Clem. de dolo, & contum. cap.* 4. *Marant. p.* 6. *tit. & quandoque appel. n.* 421.

§. 5. Quandò autem Interlocutoria contineat gravamen irreparabile, vel quando habeat vim definitivæ deducitur primo, quando non expectat aliam ſententiam poſt ſe; ſecundo, quando per Interlocutoriam finitur officium Iudicis. Tertio, quando definit unum articulum ſubſtantialem cauſæ principalis; quarto, quando continet aliquid dari, ſeù fieri à parte, in quatuor iſtis caſibus ſemper dicitur habere vim definitivæ, & eſt appellabilis. Dantur etiam alij caſus, in quibus Interlocutoria poteſt habere vim definitivæ, ſeù damnum irreparabile continere, ſicque ab ea appellari poteſt. Et primo cum ab iniuſta articulorum admiſſione, aut à denegata juſta admiſſione datur appellatio, tunc admittenda eſt. Secundo, à rejectione Teſtium, an, ſcilicèt, ſint, vel non ſint admittendi, quòd maximè procedit, quando quis gravatur in non admiſſione teſtium, ſcripturarum, & aliarum probationum. Tertio, quando datur dilatio ad probandum adeò brevis, ut ex brevitate poſſit deficere facultas probandi. Quarto, à denegata copia actorum. Quinto, à ſententia lata ſuper revocatione attentatorum. Sexto, à ſententia, quæ perimit appellationem. Septimo, à ſententia, qua Iudex pronunciat inſtantiam, aut appellationem à definitiva eſſe deſertam, aut non eſſe deſertam. Octavo, quando quis vult probare exceptionem contra teſtem ex adverſo examinandum, & Iudex recuſat. Nono, quando Iudex pronunciat non eſſe deferendum appellationi, à qua Pronunciatione ſi appellans acquieſcit, & non appellat, cenſetur convenire cum Iudice, quòd talis appellatio ſit frivola. Decimo, ab Interlocutoria, quòd probationes non admittendæ, ſint admittendæ. Undecimo, à rejectione exceptionis expreſſæ, ſeù tacitæ procedendo ad ulteriora. Duodecimo, à rejectione appellationis, quandò in continenti Iudex reijcit appellationem cauſa non cognita, & parte non citata. Secùs ſi rejectio appellationis facta eſſet cum Cauſæ cognitione; quia tunc non valet ap-

appellatio. Decimotertio, ab impoſitione perpetui ſilentij. Decimoquarto, quando Iudex ſe pronunciat competentem. Decimoquinto, à Decreto tàm Carceris, quàm torturæ; quia utraque affert damnum irreparabile; ſed de conſuetudine in his duobus caſibus non admittitur appellatio, quando omnia ritè, & rectè proceſſerunt, & atteſtationes datæ fuerunt, & repulſa conceſſa, cùm eſſet petita, & publicatus proceſſus, & auditus Reus in omnibus ſuis Iuribus cum eius Advocato, ſeù Conſiliario, & indicia non ſunt evacuata per defenſiones. Et de hac conſuetudine in toto ſtatu Eccleſiaſtico teſtatur Scacc. *de Iud.* Decimoſexto, à ſententia excommunicationis per Decretum Interlocutorium prolata, conceditur appellatio, quia damnum continet irreparabile. Et tandem ab omni inhibitione conceditur appellatio. Alij caſus dantur, ſupra quibus conſule Scacc. *de appel. q. 17. lim. 47. n. 150.*

§. 6. Proceſſus factus à Iudice à quo pendente termino Apoſtolorum eſt validus in appellatione ab Interlocutoria. *Rot. quam citat, & ſequitur Lancell. de attent. p. 2. c. 13. tit. de attent. pendent. termin. appel. lim. 2. ſub n. 32.* Secùs in appellatione à definitiva; in qua geſta à quocumque Iudice tempore recipiendorum Apoſtolorum ſunt nulla, & attentata; & ratio eſt, quia in iſta ſuſpenditur Iuriſdictio Iudicis à quo, & ligantur eius manus, itàut ſi aliquid poſt appellationem faciat, revocari poteſt per viam attentati. In Interlocutoria autem non ſuſpenditur Iuriſdictio, & poteſt dictam ſententiam exequi, niſi ſit inhibitum, & geſta ante inhibitionem non ſunt revocanda, donec probetur vera cauſa appellandi. Et hæc eſt una ex differentiis inter appellationem ab Interlocutoria, & definitiva. Secunda eſt, quia appellatio à definitiva juſtificatur tàm ex deductis, quàm ex noviter deducendis, ſed appellatio ab Interlocutoria ex ſolis deductis, & probatis juſtificatur. *Bald. conſ. 149. Rot. diverſ. deciſ. 386. n. 1. p. 3.*

§. 7. Iudex Ordinarius, & multò minus Delegatus poſt datam ſententiam non poteſt illam retractare: benè tamen Iudicibus Ordinariis conceditur declarare poſſe mentem, & ſententiam ſuam dubiam. *tex. in leg. in prætorijs ff. de prætor. Stipul. Alex. in addit. cap. Olim cap. ex parte de verbor. ſignif.* A qua declaratione Doctores affirmant poſſe appellari. *Tuſch. concl. 123. n. 3.* Quòd procedit dummodo ex ipſa declaratione non alteretur, & non addatur, neque minuatur, quia poſt datam ſententiam, non poteſt ampliùs Iudex minuere vel augere pœnas, cum jam functus fuerit officio ſuo. Nec minus poteſt Iudex poſt prolationem ſententiæ eam retractare, quamvis per errorem aliquem condemnaverit, quem abſolvere volebat, ſed recurrendum eſt ad Superiorem, ut de opportuno remedio provideat, & interim ſuperſedendum eſt ab executione. *Farin. conſ. 30. ſub n. 59.* ubi alios allegat; *& in q. 11. n. 13.* concordantes adducit. Delegatus ad Univerſitatem Cauſarum poteſt iterùm Iudicare circa eandem cauſam jam terminatam, dummodo cauſa ſit rationabilis, non autem ad unam Cauſam tantùm, ſed recurrendum eſt ad Delegantem, qui declaret.

De Appellatione Judiciali, & Extrajudiciali.
Regula Quarta.

§. 1. Cùm Ius appellandi competat ſolùm indebitè, & contra juſtitiam aggravatis, ut alibi diximus, hinc liquidò patet, quòd ſemper in appellationibus requiritur gravamen. Quo ſuppoſito admittitur appellatio, quæ eſt in duplici differentia, Iudicialis, ſcilicèt, una Extrajudicialis altera. Illa eſt, quæ fit in Iudicio cauſa jam cœpta; Iſta verò eſt, quæ præſens, aut imminens damnum ab Inferiori Iudice ſine proceſſu inferendum ad Superiorem Iudicem per modum gravaminis extrajudicium defertur, ut impediat. Et hæc poteſt fieri non ſolùm ob gravamen proprium, ſed etiam commune, v. g. propter electionem nondum factam, ac etiam faciendam. Propter electionem factam, interponi poteſt appellatio ſi legitima non fuerit. *cap. Eccleſ. extra de elect.* aut de idonea non facta. Et in tali caſu dici poteſt principaliter de nullitate, & cumulari cum remedio appellationis hoc modo, nempè *Dico talem electionem nullam, irritam, & caſſam eò quòd non fuit ritè celebrata*, vel *non vocatis omnibus, qui debebant vocari*, vel *non concurrentibus omnibus ad electionem Scrutatorum*, vel *quia fuit celebrata in loco, ubi non debebat celebrari ob talem, & talem cauſam &c. & quatenùs aliqua apparuerit, dico, quòd debet irritari, reſcindi, & caſſari &c.* Propter electionem faciendam, interponi poteſt nè fiat indebitè, & ſi appellans eſt de corpore Capituli, nè ſine eo ad electionem procedatur, aut nè electio fiat certo loco, ſeù certa die, quia timetur de oppreſſione, vel metu &c. Si non obſtante tali appellatione Capitulum fecit electionem in dicto loco, & in dicta die, quamvis nulla oppreſſio facta fuerit, & nullus metus interceſſerit, hujuſmodi electio erit irritanda, dummodo probetur, quòd veriſimiliter timebatur de oppreſſione, vel metu. *Franc. in cap. bonæ 4. de appel. n. 44.*

§. 2. Adverte tamen, quòd ſi talis appellatio, vel alia ſimilis interponitur, quando omnes Vocales ſunt in Capitulo congregati ad certum diem pro faciendis electionibus, tunc appellatio non ſuſpendit, ſed poteſt fieri electio ea non obſtante, habet tamen effectum devolutivum ad Superiorem *l. fin. de appell. recipiend. & alii* apud P. Brun. à Caſſan. *de privil. regul. tract. 2. cap. 8. propoſ. 2.* Et cauſa, quæ proponitur debet eſſe veriſimilis, & probabilis, debetque intimari Præſidi Capituli, ne inferatur nocumentum particulari, vel toti Communitati, & electio tali pacto facta, ſubſecuto gravamine, vel probata vera cauſa appellandi, ut attentata, & innovata caſſari debet. *cap. conſideravimus eod. tit. in 6.* Et ſic in hac appellatione extrajudiciali ex futuro eventu, licèt non anteà, omnia revocantur. *Covar. pract. qq. c. 124. n. 25.*

§. 3. Ex quo infertur, quòd Appellatio Extrajudicialis, differt à Iudiciali in hoc, quòd ad juſtificationem illius, ſufficit probare cauſam gravaminis propoſitam veriſimilem, & probabilem fuiſſe, licèt quoad revocationem attentatorum, requiratur, ut probetur veritas Cauſæ. In appellatione autem Iudiciali gravamen

debet

debet eſſe præteritum, ſeù præſens ex vera, & legitima cauſa. *Abb. in cap. Bonæ in 7. de appel. difer. 7.* aut irreparabile, ut in cenſuris, & carcere. *cap. inter cætera 2. de appel.* Differunt etiam quoad probationem; nam appellatio Iudicialis poteſt juſtificari per ſolam oblationem probationis *juxta cap. interpoſita de appellat.* Ubi ſtatuitur, quòd in appellatione Iudiciali appellans offert cauſam gravaminis probare coram Iudice à quo, iſte debet probationem recipere, & ſi ab eo rejicitur, tunc ſufficit appellanti probare apud Iudicem ad quem ſupradictam oblationem, & rejectionem probationis facta ab ipſo Iudice à quo, & appellatio remanet ſufficienter juſtificata, ſed extra dictum caſum non ſufficit, ſed debet veritatem gravaminis probare coram Iudice Appellationis. Extrajudicialis autem appellatio non juſtificatur per oblationem probationis, quia Iudex à quo non tenetur recipere probationem appellantis extrajudicialiter, ſed ſemper coram Iudice ad quem debet cauſa in ea expreſſa verificari, & verè probari. *Abb. loc. cit. nu. 8. de appel. difer. 3.*

§. 4. Extant aliæ differentiæ, quæ brevitatis gratia ommittuntur, & alteram tantùm adducam, nempè, quòd omnia geſta, & attentata à Iudice à quo pendente appellatione Iudiciali à definitiva, ante omnia revocantur, & in priſtinum ſtatum reponuntur, quamvis directè non ſint contra appellationem; quia hujuſmodi appellatio etiam in uno capitulo ſuſpendit Iuriſdictionem Iudicis à quo in tota Cauſa. *cap. ſi à Iudice à quo de appel. in 6.* In appellatione autem extrajudiciali geſta poſt appellationem, & pendente termino ad appellandum valent, & non ſunt nulla, & attentata, nec revocantur præterita, nec futura conſecutiva ad actum de præterito, ſed tantùm ea, quæ ſunt geſta contra ipſam appellationem, & poſt ipſam appellationem. *Rot. deciſ. 4. n. 1. de appel. in noviſſ.*, nec revocantur ante omnia ſicut in appellatione Iudiciali, ſed pendent ex futuro eventu; quia revocantur cùm probata fuerit vera cauſa appellandi. *cap. non ſolum de appel. in 6.*

§. 5. Conveniunt tamen in multis ſupradictæ appellationes. Et primò, quia utraque interponi debet intra terminum decem dierum. Secundò, quia intra annum, vel ex juſta Cauſa biennium terminari debent. *cap. Concert. de appel. in 6. & Clem. ſicut de appel.* Tertiò quod debent Iudici à quo intimari, ut operentur effectum ſuſpenſivum, & cauſent attentata, ut de appellatione Iudiciali facta coram honeſtis viris in Iudicis abſentia dicit Franch. *in cap. ſi Iuſtus n. 42. & 50. de appel.* Et de appellatione extrajudiciali, quòd geſta ante intimationem non revocentur teſtatur Rot. *deciſ. 38. aliàs 309. de appel. in noviſs.* Quartò in petitione Apoſtolorum, nam in utraque ſunt petendi. *Scacc. de appel. q. 13. n. 30. 31. 32.* Et ſi Apoſtoli non fuerint petiti, Iudex non tenetur tradere. *Idem Scac. loc. cit. a. 3. nu. 24.* Et ſi appellans non petierit ſibi reſponderi de Apoſtolis infra terminum Iuris, idèſt, triginta dierum, præſumitur renunciare appellationi, quæ præſumptio eſt Iuris, & de Iure, ut non poſſit probari contrarium. *cap. ab eo de appel.* Et appellatio efficitur deſerta, & illius effectus expirat; & cenſetur non appellaſſe.

De effectibus Appellationis. Regula Quinta.

§. 1. EFfectus Appellationis Iudicialis à definitiva ſunt in quadruplici differentia. Primus dicitur devolutivus, quia totam Cauſam, & negotium principale una ſimul cum acceſſorio ad Iudicem ad quem devolvit. *Scacc. de appell. q. 3. n. 13.* dummodo ſit ex juſta cauſa interpoſita; & appellans debet probare tria coram Iudice ad Quem primo ſcilicet, ſe appellaſſe, ſecundo ex legitima cauſa, & tertio quòd appellatio fuit interpoſita infra decem dies. *Franch. in cap. Cum Eccleſia nu. 3. de appell,*; & iſte effectus poteſt ſeparari ab effectu ſuſpenſivo, ſicut ſeparatur, quando appellatio non eſt permiſſa, & non ligat manus Iudicis, ut in ſententia à Cenſuris, in qua non admittitur appellatio ſuſpenſiva, ſed tantùm devolutiva, ſicut de excommunicatione, & ſuſpenſione loquitur textus *in cap. is cui de ſent. excom. in 6.* & de Interdicto loquitur textus *in cap. quoniam de appel.* & ratio eſt, quia iſti ſunt actus ſpirituales clavium, qui magis procedunt ex poteſtate clavium, quàm ex juſtitia Cauſæ, undè non obſtante appellatione, poteſt Iudex privare excommunicatum fructibus beneficii, & diſtributionibus quotidianis donec abſolvatur. *Sanchez. dub. 32. & 240. n. 244.*

§. 2. Adverte tamen, quòd ſi appellatio interponitur ante ſententiam, obtinet quoque effectum ſuſpenſivum ità quòd ligantur manus Iudicis, ut non poſſit procedere ad ulteriora, & Cenſuræ latæ poſt talem appellationem ſunt nullæ, ac nullius momenti. *cap. 1. de appel. cum alus Iuribus allegatis, & ponderatis per Sayr. lib. 1. c. 16. n. 14.* adeò ut Sacerdos, qui poſt appellationem celebret, non incurrit irregularitatem. Debet tamen excommunicatus probare appellationem præceſſiſſe ſententiam excommunicationis, vel cenſuræ. *Bellar. deciſ. 91. Sayr. lib. 1. c. 16. n. 30.*, quia in dubio, præſumitur excommunicationem præceſſiſſe. *Bonac. diſp. 1. de cenſur. diſp. 2. p. 2. §. 1. n. 5.* Et ſi eadem die lata ſit ſententia cenſuræ, & interpoſita quoque appellatio, & in appellatione non ſit appoſita hora, qua mediante cognoſcatur præceſſiſſe appellationem, ſupponendum eſt pro excommunicatione. *Alter. lib. 3. diſp. 5. c. 5. verſ. quod ſi appellatio.* Ubi ſubdit, hunc talem debere abſolvi ad cautelam: immò ſi eodem momento ſimul concurrant excommunicatio, & appellatio, præſumitur in foro exteriori pro excommunicatione. *Scacc. de appel. q. 17. lim. 22. n. 52. & n. 58.* exemplificat in quodam caſu, in quo dum pars appellabat, Iudex excommunicabat, & citat ad hoc Farin. & Gemin. Quæ ſententia cenſuræ lata poſt appellationem eſt nulla, etiam ſi eſſet juſta. *Lancell. p. 2. c. 6. n. 65.* Ac etiam poteſt appellari in præcepto facto ſub pœna excommunicationis; quia ab hujuſmodi præcepto poteſt appellari Iudicialiter, & extrajudicialiter, & appellatio ſuſpendit. Et ſi Iudex poſt appellationem excommunicaret, excommunicatio eſſet nulla. *Barboſ. in cap. Paſtoralis §. verum. n. 5.*

§. 3. Et idem dicitur de declaratoria Iudicis lata ſuper dicta excommunicatione, à qua benè poteſt appellari, quando, ſcilicèt, pronunciat, & declarat, quem incidiſſe in excommunicationem. *Farin. q. 101. n. 67.* Niſi forſan in utroque caſu, nempè, præcepti, & declarationis factum eſſet notorium; quia tunc neque à præcepto,

cepto, neque à declaratione daretur appellatio, neque quoad effectum ſuſpenſivum, neque devolutivum. Ità communiter Doctores de præcepto tractantes in *cap. cùm ſit Romana §. prætereà de appell.* De declaratione verò *in cap. prævenit de appell.* Et tandem ſciendum eſt, quòd ſententia excommunicationis numquam tranſit in Iudicatum; unde benè poteſt retractari etiam poſt mille annos; & idem dicitur de qualibet ſententia cenſuræ, ut in ſuſpenſione, & interdicto. Et in quacumque cauſa quando effectus devolutivus eſt ſeparatus à ſuſpenſivo, ſemper eximit appellantem à Iuriſdictione Iudicis quoad cognitionem illius Cauſæ, & transfert ad Iuriſdictionem Iudicis ad Quem. *cap. Dilectus &c. ad audient. de appell.*

§. 4. Secundus effectus dicitur ſuſpenſivus, quia æquè ſuſpendit Iuriſdictionem Iudicis à quo, & eximit appellantem ab illius poteſtate quoad illam Cauſam, non minus quàm à gravamine ſibi illato uſque ad ejuſdem Cauſæ perfectam cognitionem per Iudicem ad quem diſcutiendam *l. præcipimus §. 3. C. de appel.* Ac uterque hic effectus tàm ſuſpenſivus, quàm devolutivus adeò eſt ipſi appellationi intrinſecus, & ſubſtantialis, ut horum altero, vel utroque ſublato, ipſum appellationis nomen, ac rem corruere neceſſe ſit. Cùm enim appellatio naturæ legibus inſtituta, & iure civili, ac Canonico ea ratione confirmata fuerit, ut qui injuſtè interdum à Iudicibus opprimuntur juſta ad Superiores: Iudices appellatione ab iniqua eorum vexatione ſe ipſos redimant, & eximant; Quomodo ſe eximerent, & redimerent, ſi ab ipſa appellatione tolleretur effectus ſuſpenſivus? Si Appellatio à Sacris Canonibus conceditur Reis ad levamen gravaminis, & præſidium innocentiæ *cap. cum ſpeciali §. porrò de appel. cap. cum inter, & cap. ſignificaverunt eod. tit.*, quo pacto tolleretur tale gravamen dempto ab appellatione ſuſpenſivo effectu, & præcipuè quando gravamen eſt irreparabile, & tolli non poteſt per ſubſequentem ſententiam? quod ab effectibus demonſtrari poteſt exemplo ſequenti. Nam v. g. publica flagellatione per ſententiam inflicta (& idem dic de alijs ſimilibus pœnis, quæ per ſubſequentem ſententiam tolli non poſſunt) quænam damni illius reparatio per ſolum devolutivum effectum eidem præſtari poteſt? Nulla utique Quo fit, ut ſublato ab appellatione ſuſpenſivo effectu, Cauſæ devolutio fruſtatoria, & inanis cenſeri debeat; quia conceſſa executione ſententiæ gravamen ex eadem ſententia illatum per ſolam Cauſæ devolutionem numquam reparari poteſt: & ſic corruit finis principalis Appellationis, qui ex Conc. Tridentino ac Summorum Pontificum reſcriptis tamquam ad finem proprium introductus, & ordinatus fuit ad tuendam innocentiam, & gravamen propulſandum.

§. 5. Cùm igitur ubique tàm in Sæculari, quàm in Regulari foro, atque adeò in tota Eccleſia Civili, & Canonico Iure ſtatutum & univerſali uſu receptum ſit, ut appellatio interpoſita ſententiæ executionem ſuſpendat, concludendum ſanè mihi videtur, id etiam velut Appellationis ſubſtantiale, ſacrum, & inviolabile ubique & in quacumque Religione firmiter ſervandum eſſe non obſtantibus noſtris Statutis in contrarium decernentibus *in 4. ſubſt. n. mihi* 128. ubi ſtatuitur, quòd, *Sententia à Provinciali cum definitoribus nemine eorum diſcrepante, aut ex quacumque cauſa abſente lata fuerit, qualiſcumque illa ſit executioni mandetur: neque appellatio executionem ſuſpendat, ſed cauſam tantùm deferat ad P. Generalem &c.*

Quæ

Quæ verba Statuti, cùm ſimus in odioſis, & pœnalibus ſunt reſtringenda, & ſtrictiſſime intelligenda, ut minus quàm poſſibile ſit derogent Iuri naturali, Civili, Canonico & communi; ut alibi diximus. *Surd. conſ.* 182. *Alex. conſ.* 19. *n.* 9. *Afflict. dec.* 21. *Grat. conſil.* 88. *n.* 7. *vol.* 1. *Roland. conſ.* 79. *n.* 23. *vol.* 2. *Honded. conſ.* 95. *n.* 81. *lib.* 1. *n.* 12. *vol.* 2. Et magis in terminis. *Remin. Iunior. conſ.* 290. *n.* 16. *lib.* 3. *Chart. de inter. Reor. lib.* 4. *c.* 1. *n.* 105. *ubi concordantes cumulat.* Et ſic, ubi per Conſtitutionem, vel Statutum, vel etiam in Commiſſionibus per clauſulam *Appellatione remota* tollitur facultas opponendi contra ſententiam, vel diſputandi, aut cognoſcendi de ſententia, per hoc non cenſetur ſublata facultas dicendi, vel cognoſcendi appellatione mediante de nullitate ſententiæ, *ut tenent Butr. de off. Legati in* 2. *& Imol. ibi. n.* 3. Undè remotiò appellationis ſive quoad effectum ſuſpenſivum, ſive quoad devolutivum, ſeù quoad utrumque facta in quocumque ſtatuto, ſeù reſcripto recipit vires ſecundùm naturam Cauſæ cui adjicitur. Qua de re ſi removeretur in cauſa v.g. Correctionis *ut in cap. irrefragabili de off. Iud. Ord.* intelligitur niſi Superior excedat modum in corrigendo, prout notat Oldrad. *conſ.* 106. cùm hoc ſit de natura ipſius Correctionis, *ut patet ex d. cap. irrefragabili*, in quo Papa ſcribendo cum clauſula *appellatione remota* nihil novi induxit, ſed videtur ſe retuliſſe ad terminos Iuris; & ſic remotio appellationis non operatur in dicto cap. illam vim, de quo in cap. *Paſtoralis de appel.* Quòd eſt benè notandum, & advertendũ pro hujuſmodi Statutis, & alijs diſpoſitionibus odioſis, videlicèt, ut ſi diſponant in materia Iuris, intelligantur ſecundùm Ius, ità quòd minus quàm poſſibile ſit illi derogent, *& ad hoc facit quòd notatur, & legitur in cap. ex parte il* 3. *de verb. ſignif. & per Bart. in l.* 1. *ad leg. fal.* Vel dic, quòd ubi ſtatutum, vel reſcriptum Principis tollit appellationem per clauſulam *Appellatione remota* intelligendum eſt abſolutè de appellationibus frivolis, & minus rationabilibus non autem de legitimis, & rationabilibus, quia non eſt veriſimile, quòd Princeps, vel Statutum per verba generalia, (qualia ſunt illa noſtrorum Statutorum in loco citato) velit tollere Iuris obſervantiam maximè cum tanto præjudicio privati *Alex. conſ.* 103. *n.* 8. *vol.* 5. *Bertaz. de clauſ. clauſ.* 22. *gloſ.* 1. *Menoch. de arbitr. caſ.* 197. *num.* 3. *Barb. Barb. in cap. ex part. il* 2. *de off. & poteſt. Iud. Deleg. n.* 2. Nam hoc eſſet tollere defenſiones, quæ ſunt de Iure gentium, ac per conſequens in dubio verba generalia debent intelligi de appellationibus minus rationabilibus. *ut in Clem. Paſtoralis de re jud. & in cap. à nobis de ſent. excom. & in c.* 2. *de conſtit. in* 6. Et confirmatur ex doctrina Bart. *in l. omnes populi n.* 65. *ff. de Iuſt. & Iure.* ubi habetur, quòd rejecta legum interpretatione cenſetur rejecta ſolùm frivola, non verò juſta, quæ doctrina eſt communiter recepta ſecundùm Valaſc. *conſ.* 42. *n.* 7. Quòd maximè procedit in noſtris Statutis, quæ cum nunquam fuerint approbata à Sancta Sede, nec à Sac. Congregatione, ſicuti approbatæ fuerunt Conſtitutiones, non poſſunt apud nos ſibi Iusgentium vindicare, nec per conſequens Iure Canonico ullo modo derogare: Undè interpretari debent in meliorem, & communiorem ſenſum, nempè, quòd Appellatio à tali ſententia executionem non ſuſpendat in delictis notoriis, & notoriè perpetratis; vel in Reo confeſſo, & convicto, quando ipſi applicatur pœna à lege, vel à Statutis taxata; vel quando pœna, ſeù gravamen reparari, & tolli

poteſt

poteſt per ſubſequentem ſententiam &c. Vel ubi ageretur de correctione, & reformatione morum &c. in quibus caſibus Statutum haberet locum, ac præcipuè in hoc ultimo vigore Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 1. *de refor.* ubi dicitur. *Nec appellatio executionem hanc quoad morum reformationem pertinet, ſuſpendat, & fuſiùs in c.* 10. *ſeſſ.* 24. Et nihilominùs etiam in hoc ultimo caſu, ſi Prælatus procedens tela Iudiciaria excederet limites Viſitationis, ſeù correctionis, liceret appellare quoad utrumque effectum, *ut habetur ex cap. irrefragabili de offic. Iud. Ord.* ibi. *Niſi formam in talibus exceſſerint obſervandam*, & ex ſententia Sac. Congr. teſte Fagn. *in cap. ad Noſtram de appellat. num.* 14. *&* 15. Quæ ſententia fuit poſteà à Summo Pontifice approbata. Quibus ſic ſtantibus benè valet arguere à fortiori, nempè, quòd ſi hoc procedit in diſpoſitionibus Conc. Trid. non admittentis effectum ſuſpenſivum in appellationibus, quæ reſpiciunt morum correctionem: Et nihilominùs ſi Epiſcopus judicialiter proceſſit cognovit, & pronunciavit in dictis correctionibus, non habet locum hujuſmodi diſpoſitio Concil.,ità quòd appellari poteſt, quoad utrumque effectum: multò fortiùs hoc verificari debet in diſpoſitionibus cujuſcumque Statuti particularis ſimili modo diſponentis. alioquin fruſtatoria eſſet talis appellatio, quæ ſententiæ gravamen non ſuſpenderet. Et per hoc ubique in Iure ſtatutum legitur, ut appellatione interpoſita, & pendente, Iudex à quo provocatum eſt, ſub pœna nullitatis actuum, & privationis officij non debeat procedere in cauſa, aut aliquid in ea innovare. *cap. appel. interp. & cap. ſequenti* 2. *q.* 6. Cujus rei ratio eſt, quia admiſſa appellatione à definitiva cauſa tota ex integro cum ſuo effectu ſuſpenſivo, (præterquam in cenſuris, ut ſupra probavimus) & devolutivo ad Iudicem ad Quem deferri debet ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 1. *&* 4. *& ſeſſ.* 24. *c.* 20. *de reform.* Cujus reformationis multò magis indigerent noſtra Statuta, ſi talem effectum ſuſpenſivum indifferenter, & in quacumque ſententia lata à Provinciali cum Definitorio abſque ulla limitatione, vel reſtrictione tollerent ab Appellatione. Hoc enim idem eſſet, ac ſi tollerent defenſiones, quæ cùm ſint Iuris naturalis, non poſſunt nec etiam à Papa tolli, ut dicitur *in Clementina Paſtoralis in fin. de ſent. & re judic.* Et eò ampliùs comprobatur à ſimili. Nam ſi in litteris v. g. alicujus Commiſſionis contineretur hæc Clauſula *Omni appellatione remota*; certum eſt teſte Ant. à Spiritu Sancto *de regim. Prælat. tract.* 4. *diſp.* 3. *ſect.* 2. *n.* 15. adhuc eſſe locum appellationi juſta cauſa exiſtenti, tales enim clauſulæ, quæ aliquando in litteris continentur, intelliguntur de appellatione frivola, cui non eſt differendum, ut ſupra adnotavimus in 2. regul. §. 1. vel in Notorijs, in quibus non admittitur appellatio, non autem quando appellatio eſt juſta, & rationabilis, ità cum alijs Peicinus *de Subd. q.* 1. *c.* 19. *in fine*. Sic à pari argumentandum eſt de effectu ſuſpenſivo ſublato à noſtris Statutis in ſententijs latis à Provinciali cum Deffinitorio, nempè Statutum in tali loco intelligendum eſſe ſano modo, & in ſtrictiori ſenſu, ut ſupra explicavimus.

§. 6. Ad hæc accedat, quòd cùm à Sac. Cong. negotijs Epiſ. & Regul. præpoſita lege ſancitum ſit, quis ordo in appellationibus Regularibus ſervari debeat, non alia utique fuit mens, & intentio ejuſdem Sac. Cong., quàm ut juſtæ appellationes apud eoſdemmet Regulares cum ſuis effectibus à Sac. Can. & Conc. præfixis admit-

terentur, & ea, quæ ſunt de appellationis ſubſtantia, integra ſervarentur. Undè, qui ſuſpenſivo effectu è medio ſublato, ſolummodo devolutivum in appellationibus admittunt, ſalva meliori ſententia, id mihi omninò negandum videtur, etiam ſi ſententia eſſet lata à Generali, & à toto Definitorio Generali, nedum Provinciali. Et ſic utique concludendum erit, quòd Statutum in prædicto loco vel indigere reformatione, vel in ſenſu meliori, & communiori intelligendum, & interpretandum eſſe. Quæ interpretatio deſumi quoque poteſt ex duplici capite. Primò ex conſuetudine contraria in Religione introducta, ſcilicèt, appellandi cum effectu ſuſpenſivo ab hujuſmodi ſententijs abſque ulla contradictione neque eiuſdemmet Religionis, nec Sac. Congregationis, quæ tales appellationes cum effectu ſuſpenſivo recipit, & admittit; Et certum eſt, quòd Conſuetudo poteſt præſcribere contra Ius poſitivum etiam juſtum, & illud tollere, novamque obligationem inducere, modò ſit legitimè præſcripta, ut expreſsè definitur *in cap. ult. de conſuet.*, & ratio eſt ſecundùm Leſs. *de juſt. & Iur. lib. 2. c. 6. de preſcript. dub.* 14. quia eadem eſt materia legis juſtæ, ac conſuetudinis, cùm conſuetudo ſit tacita quædam lex, ut inſinuatur *in l. 3. C. quæ ſit longa Conſuet.*, undè etiam habet eandem vim. Quare ſicut lex poſterior tollit legem priorem; ità etiam conſuetudo priorem legem tollere poteſt. Quòd multò magis verificari debet in caſu noſtro, in quo conſuetudo convenit, & eſt conformis Iuri Canonico Civili, naturali, & Communi, lex autem Statutaria derogat omnibus, & idcirco magis attendenda eſt illa, quàm iſta. Et eò ampliùs, quia ad hoc ut conſuetudo tollat legem, ſufficit, ut paſſim agatur contra legem, ſeù ut lex non ſervetur, quando occurrit ſervanda, ſciente Principe, & non ſe opponente: ut docent Theol. & Canoniſtæ *Panor. ſuper Gloſ. in cap. 1. de tregua, & pace*. Dum ergo Religio noſtra, ſeù Superiores ſciunt ſuam legem municipalem in hoc capite non ſervari, & ſilent, cenſentur conſentire, ut non ſervetur; ac proindè cenſentur quoque tollere obligationem legis, dum permittunt conſuedinem contrariam, ad quam inducendam ſufficiunt duo, vel tres actus contra legem facti, ut docent *Silv. verb. Conſuet. n. 6. Panorm. ibid., & alij paſſim*. Quam conſuetudinem ſi conſtaret Principem ſcire, & diſſimulare, deſineret lex obligare, *ait Leſs. loc. cit.*

§. 7. Secundò ex reformatione ejuſdem Statuti facta de anno 1662. ibidem in modo procedendi per viam articulorum Iuratorum, qui modus eſt medius inter Iudicialem, & Paternalem, & terminatur non per Definitivam ſententiam, ſed per ſimplex Decretum. *A quo propptereà Decreto* (ajunt Statuta ibid. nu. mihi 184.) *nolumus Appellationem admitti, quoad effectum ſuſpenſivum, niſi manifeſtus exceſſus appareat &c.* Si igitur Statutum in iſto modo procedendi potiùs paternali, quàm Iudiciali non tollit abſolutè, ſed tantùm conditionaliter effectum ſuſpenſivum ab appellatione. Quomodo abſolutè, & abſque ulla limitatione in alio loco ſupra citato prædictum effectum ſine evidenti iniuſtitia à juſta appellatione tollere præſumet? hoc certè non eſt credendum, immò potiùs à minori ad majus è contrario argumentandum eſt, maximè dum in dicto loco agitur de appellatione Iudiciali à definitiva ſententia interpoſita, aliter contra ipſum clamarent omnia Iura, Can., Conc. Decreta, & Summorum Pontificum Bullæ.

Et

§. 8. Et in eodem pariter ſenſu explicandum, & intelligendum. eſt Idem ſtatutum, quando in ultimo loco citato dicit. *Nolumus appellationem admitti quoad effectum ſuſpenſivum, niſi manifeſtus exceſſus appareat &c.* & gravamen (explica & intellige) tolli poſſit per ſubſequentem ſententiam, cùm favorabilia ſint amplianda,& odioſa reſtringenda.Quare ſi gravamen tolli non poſſit per ſubſequentem ſententiam, profectò etiam in hujuſmodi appellationibus daretur effectus ſuſpenſivus, etiam quòd non appareret manifeſtus exceſſus, ut ſatis probatum remanet, tùm ex his, quæ hactenus dicta ſunt, tùm etiam, quia ſola Cauſæ devolutio à ſuſpenſione ſe juncta damnum, & gravamen, quod ex ſententia, vel Decreto infertur, non impedit, ad quod reparandum appellatio potiſſimum videtur fuiſſe introducta à Legibus; à Sac. Can. & Oecumenicis Conc. inſtituta, ac Summorum Pontificum Bullis approbata, & conſequenter inviolabiliter obſervanda.

§. 9. Tertius effectus appellationis eſt, quòd reducit Cauſam ad tempus litis conteſtatæ, & ſic in Cauſa appellationis novi articuli dependentes à prioribus facientibus ad Cauſam probari poſſunt, & teſtes ſuper his produci. *l. ità demùm C. de procurat.* Et licèt admittendos non eſſe alios teſtes ſuper jiſdem articulis propter timorem ſubornationis dicant Caſtren. & Salicet. *in l. Si hanc §. ſi qua C. de tempor. ordin.* Contrarium tamen docet Bald. Cynus, & Fulgoſ. *in d. l. ſi hanc*: nam quotieſcumque mutatur cauſa, vel inſtantia, vel Iudex admittit novorum Teſtium productionem ſuper jiſdem articulis, non obſtante timore ſubornationis; non poſſunt opponi declinatoriæ, vel dilatoriæ exceptiones. *Franch. in cap. Per ſuas. n. 1. & 2. de appel.* Quartus effectus eſt: Revocatio non ſolùm ſententiæ Iudicis à quo juſtificata cauſa appellationis, ſed etiam attentatorum; quia appellatio Iudicialis à definitiva ſuſpendit Iuriſdictionem reſpectu omnium concernentium eandem cauſam, & materiam. *Felin. 1. ſub. n. 1. de appel. Scac. de appel. q. 2.*

De Apoſtolis. Regula Sexta.

§. 1. EXplicatis omnibus ad appellationem ſpectantibus, modò reſtat videndum id, quod ad Apoſtolos attinet. Pro quo ſciendum eſt, quòd Iura omnia, quæ juſtam appellationem Reis concedunt; ipſos quoque Iudices obſtringunt, ut in caſibus, quibus ſecundùm Iura illis appellare fas eſt, appellationes admittant, & Apoſtolos concedant: qui enim vel in odium Rei, vel prava aliqua animi paſſione ducti in his caſibus juſtæ appellationi non deferunt juxta communem Doctorum ſententiam lethali ſe peccato involvunt, nec non à Iuris diſpoſitione pœna digni judicantur. In hac re tamen diſtinguendum eſt. Vel enim appellatio per Reum interpoſita, eſt legitima, vel dubia, vel frivola. Si evidenter legitima fuerit, profectò illum Iudex admittere, & Apoſtolos dimiſſorios appellanti concedere debet, & tenetur, aliter à culpa, ac pœna Iuris, quæ eſt privatio officij excuſari non poteſt; & hæc à Iudice Superiori illi infligenda eſt. Si anceps, & dubia, dubitaveritque Iudex an illi deferendum ſit, nec nè? electis utrinque arbitris, de appellationis validitate decernatur. Ex quorum Iudicio, valida exiſtente appellatione à Iudicio abſtineat, & Reus ad Iudicem ad quem remittatur cum Apo- [illegible] Si arbitri electi non concordantur de ipſorum conſenſu, adji-

ciatur tertius. Si verò non ſubſiſtere judicaverint, Reus Ordinarii ſui judicio ſtet, qui circa illum ſuo fungatur officio. Si autem appellans aſſentire nollet in dicta electione Arbitrorum, & inſtaret pro admiſſione ſuæ appellationis, Iudex illam deferre debet, ut Iura tradunt. In dubijs enim pro Reo ſtandum eſt. Et in tali caſu Iudex debet admittere appellationem dubiam cum aliqua verborum cautela, nimirùm. *Admitto ſi, & in quantum de Iure debet &c.* & Apoſtolos tantùm Reverentiales concedat. Si vana & frivola, nec ulli rationabili Cauſæ innixa erit appellatio, Iudex illam reijciat, & Apoſtolos Refutatorios, appellanti tradat.

§. 2. Si Apoſtoli non fuerint petiti, & Iudex incontinenti detulerit appellationem, & terminum præfixerit ad proſequendum, deferendo appellationem, videtur dare Dimiſſorios Apoſtolos, & non ſunt iterùm dandi. *Scacc. q.* 13. *a.* 3. *num.* 28. Sed ſi Iudex incontinenti appellationi non detulerit, non ſufficit appellanti petere Apoſtolos in ipſa appellatione, ſed debet redire pro eorum reſponſione in termino, quem Iudex ei præfigit, & ſi nullum ei præfigeret terminum, debet redire ultima hora triginta dierum, qui dati ſunt Iudici ad reſpondendum de Apoſtolis. *Scacc. ibid. n.* 29. Et poteſt petere Apoſtolos tàm in ſua appellatione, quàm extra infra tamen ſpacium triginta dierum, cautiùs nihilominùs erit, & ſecuriùs illos petere in ipſa appellatione inſtanter, inſtantiùs, & inſtantiſſimè. Et non tenetur Iudex tradere appellanti Apoſtolos ante 30. dies, quod tempus ſibi conceſſum eſt à Iure, ut poſſit deliberare, an debeat, vel non admittere appellationem. *cap. ab eo de appel. in 6. Barboſ. ibi n.* 3. Et ſi Iudex vult frui toto ſpatio 30. dierum, debet monere appellantem, ut redeat pro Apoſtolis infra terminum Iuris, & in fine illius termini debet appellans redire pro Apoſtolis. Si verò ante trigeſimum diem velit citiùs reſpondere de Apoſtolis, poteſt præfigere terminum breviorem eius arbitrio, & appellans in fine illius termini debet redire pro Apoſtolis. *Scacc. ibid. n.* 43. 44. Et ſi Iudex infra 30. dies requiſitus de Apoſtolis non reſpondet dando Apoſtolos, ſed procederet, proceſſus eſſet ipſo Iure nullus, niſi appellatio facta eſſet ab Interloc.

§. 3. Et tribus modis Iudex poteſt præfigere terminum appellanti ad redeundum, & recipiendum Apoſtolos. Primo aſſignando certum terminum. idèſt, *Redeas die decima hujus menſis*, & tunc appellans debet illa die accedere, aliàs appellatio efficitur deſerta *Scacc. ibid. n.* 51. & ſi accedit illa die, & Iudex in tali die non venit ad locum Iudicii, debet comparere, ac proteſtari. *Sanchez. opuſc. lib.* 3. *c.* 1. *dub.* 32. *n.* 122. Secundò, poteſt ei dicere, ut compareat ad recipiendum Apoſtolos infra terminum Iuris, idèſt, infra 30. dies, & tunc ſatis eſt comparere in quacumque parte termini. Tertiò, poteſt ei aſſignare terminum ad recipiendos Apoſtolos in termino Iuris, & tunc non ſufficit quandocumque comparere infra terminum, ſed debet comparere in ultima die termini, aliàs appellatio efficitur deſerta, ità poſt Felin. & Tuſch. Scacc. *loco cit.* Ubi etiam requiritur, ut dentur Apoſtoli, & ſi non dentur, fiat proteſtatio contra Iudicem, aliàs appellatio pariter efficitur deſerta. Et termino à Iudice non aſſignato, ſi appellans redierit pro Apoſtolis ante trigeſimum diem, poteſt Iudex dicere, nolo adhuc reſpondere, & appellans cogitur expectare, & redimere ultimo die, niſi Iudex præfixiſſet terminum cum clauſula. *Interim, & quandocumque &c.* Et quando Iudex aſſignat appellanti terminum, ſufficit, ut redeat

deat ſemel pro Apoſtolis, & non tenetur ampliùs redire; & Iudex, qui in termino aſſignato non reſpondit de Apoſtolis, amittit Iuriſdictionem, à qua appellans cenſetur remiſſus, & coram Iudice ad quem poteſt proſequi ſuam appellationem. *Scac. ibid. n.* 58. quamvis appellatio eſſet manifeſtè frivola vel eſſet inappellabilis. *Scac. ibid. n. 63. & 70.*

§. 4. Advertendum tamen eſt primò, quòd ad evitandam deſertionem Cauſæ non ſolùm eſt neceſſarium, quòd appellans petat Apoſtolos, & redeat pro illis in termino Iuris, ſed neceſſarium eſt etiam, quòd redeat in termino ſibi à Iudice præfixo aliàs appellatio tranſacto illo termino efficitur deſerta, niſi de impotentia, eo probante conſtiterit. *Bart. in l. eos verò §. fin. C. de appel.* Advertendum eſt ſecundò, quòd ſi Iudex tempus proſequendæ appellationis non determinaverit, Reus appellans ſex Menſes habet, quibus ſua Iura deducere poteſt; Iis autem expletis cenſetur appellationis juri ceſſiſſe, niſi infirmitate, vel ſimili aliquo impedimento ſe detentum fuiſſe monſtraret, quominùs appellationem proſequi valuerit. *Salmant. c.* 10. Ubi decernitur non teneri Iudicem conſervare ſcripturas ultra ſex menſes. *c. cum ſit Roman. c. ex nomin. de appel.*

De Officio Iudicis Appellationis. Regula Septima.

§. 1. Poteſtas Iudicis ad quem, ſeù Appellationis eſt adeò reſtricta, & limitata, ut non poſſit ſuam auctoritatem extendere ſub pœna nullitatis ultra ea, quæ in libello Appellatonis contenta, & expreſſa reperiuntur: Undè attentè conſiderare debet Iudex tenorem, & formam dicti libelli. Si enim in eo Appellans dicit tantùm de nullitate ſententie, & principaliter petit pronunciamus ſententiam nullam; tunc Iudex non acquirit Iuriſdictionem ſuper negotio principali. *Bald. in l. tale pactum. §. qui provocavit. l. 2. ſubſt. 12. ff. de pact. Franch. in cap. Dilecto 63. ſub n. 24. q. 10. de appel.* Et dum quis petit ſententiam pronunciari nullam principaliter, ſuper hoc debet pronunciari. ſcilicèt, eſſe, vel non eſſe nullam. *Bald. in l. cum quærebatur in fin. ff. de re jud. Vant. de nullit. rubr. quoties verſ. quinto poſito.* Adverte tamen, quòd nullitas principaliter intentata non habet locum, niſi coràm Superiore, qui poſſit adiri per viam querelæ, non autem per viam appellationis; quia iſte non poteſt cognoſcere de cauſa nullitatis principaliter intentata, prætermiſſo appellationis articulo. *Scacc. de appel. q.* 11. *n.* 123.

§. 2. Si autem in libello dicit de nullitate ſententiæ, & proceſſus, & ſupra tales nullitates appellat, tunc totam cauſam cum negotio principali devolvitur ad Iudicem appellationis, qui priùs debet cognoſcere de ipſa nullitate, qua cognita, poſtea cognoſcendum erit de negotio principali, ut evitetur circuitus. *Vant. ibid. nn.* 11., quia cauſa nullitatis in tali caſu, devoluit etiam cauſam iniquitatis, dummodo tamen revocentur, acta, quando omnia acta ſunt nulla; & ſi ſunt nulla in parte, debent, revocari in parte; Si verò nullitas eſt ſolùm in ſententia iudicabit ex eiſdem actis, & ſi eſt nulla debet illam caſſare. Et quia ut plurimum nullitas requirit altiorem indaginem, idcircò utiliùs, & tutiùs erit appellare & eam accumulare cum appellatione, quàm dicere ſimpliciter de nullitate; quia appellatio eſt privilegiata, & im-

impedit executionem, quàm nullitas ſimplex non impedit. *Vant. de nullit. tit. tot, & quibus n. 24. Tuſch. lit. A. concl. 394. n. 11. Fulg. conſ. 112. circa finem.* Et licèt appellatio ſimplex abſque alia expreſſione Iuris dicendi de nullitate, devolvat etiam cauſam nullitatis ad Iudicem ad quem, eò quòd acceſſoriè veniat in appellatione; & Iudex appellationis videns ſententiam nullam poſſit de juſtitia, & injuſtitia, & etiam de nullitate cognoſcere, & ſuper iſta pronunciare, & ſententiam nullam declarare. *l. ſi expreſſim ff. de appellat. l. quædam mulier ff. famil., & cap. dilecto de appell. Alex. conſ. 59. lib. 4.* Nihilominùs conſulunt practici non ſimpliciter appellare; quia deſerta cauſa appellationis, cenſetur etiam deſerta cauſa nullitatis, ſed copulativè etiam dicere de nullitate, nempè, *Dico ſententiam nullam, & ſi qua eſt appello.* Vel ut alii volunt. Dico principaliter ſententiam nullam, & ſi qua eſt appello, ut ad tollendam dubietatem conſulvit. *Tuſch. loc. cit. nu. 7.* Et tunc nullitas acquirendo vires ab ipſa appellatione, cum qua eſt cumulata, ſuſpendit ſententiam & quia eſt principaliter deducta, deſerta cauſa appellationis, remanet cauſa nullitatis. *Scac. de appel. q. 17. lim. 2. n. 126.*

§. 3. Verum quidem eſt, quòd ſi cauſa eſt inappellabilis non ſuſpendit ſententiam, quia nullitas, ut nullitas non ſuſpendit, ſed ut appellatio. *Scacc. de appel. q. 19. remed. 1. concl. 4. n. 93.* Nullitas autem etiam non cumulata cum appellatione ſi eſt notoria, aut eſt deducta per modum exceptionis, aut procedit defectu Iuriſdictionis, ſi eſt deducta ad Iudicem Superiorem per modum quærelæ, & iſte inhibet inferiori nè ſententiam exequatur, impedit executionem. *Scac. qu. 19. remed. 1. concl. 4. à n. 26. uſque ad finem.* Ubi alios etiam modos refert, per quos nullitas impedit executionem. Et quando nullitas principaliter tentatur, vel copulata cum appellatione, ſi ſententia primi Iudicis apparet, quòd nulliter prolata fuerit, & ex altera parte conſtet quoad merita Cauſæ quòd ſit juſta, & prout juſtitia poſtulat pronunciata, poteſt Iudex appellationis pronunciare primò ſuper nullitate, declarando ſententiam nullam; & incontinenti quoad merita Cauſæ confirmare in eadem ſententia primam ſententiam, condemnando eum, qui in articulo nullitatis obtinuit ſententiam favorabilem. *Vant. loc. cit. n. 12.* Nam fruſtra quis petit, quòd ſententia declaretur nulla, ſi aliundè conſtat ipſum juſtitia carere. Et adverte, quòd nullitas in Iudicio principaliter deducta, vel ſimul cum appellatione conditionaliter tamen, & disjunctivè, ut ſupra adnotavimus, ſcilicèt, *Dico ſententiam nullam, & ſi qua eſt appello.* Verificata nullitate, aboletur appellatio; quia interpoſita fuit in eventu, quòd non eſſet nulla, & ideò remanet ſola nullitas in Iudicio, ſuper qua Iudex ad quem dumtaxàt debet pronunciare, eò modo quo pronunciaſſet, ſi ſola nullitas fuiſſet coram eo deducta. Nam dum ſententia eſt nulla, fingitur non appellatum. *Vant. ibid. n. 114.* & tota cauſa devolvitur ad Superiorem coram quo eſt deducta nullitas. *Franch. in cap. dilecto q. 10. n. 24.* & ſententia nullo modo poteſt nec confirmari, nec reformari, ſed debet omninò Iudex ſuper nullitate pronunciare, maximè parte opponente. *Bart. in l. ſi proponis in fin. C. quomodo, & quando Iudex. Crav. conſ. 270. Ricc. deciſ. 132. p. 2.*

§. 4. Quando nullitas eſt in ſententia, ſeù concernit ipſam ſententiam, ut v. g. ſi eſſet nulla defectu citationis, aut eſſet lata extra inſtantiam, ſeù alquo alio ſimili

defectu

defectu concernente ipſam ſententiam, Iudex in hoc caſu poteſt declarare nulliter, ac perperam fuiſſe per Iudicem à quo proceſſum, ſententiatum, ac definitum. Et proptereà ab illius proceſſu, ſententia, & definitione benè appellatum, provocatum, ac reclamatum. Dictoſque proceſſum, ſententiam, & definitionem nullos, & invalidos, & nullius roboris, ac momenti extitiſſe, atque extare, vitioque nullitatis ſubjacuiſſe, ac ſubjacere. Et quatenùs de facto proceſſerunt, cum omnibus inde ſequutis revocandos, caſſandos, ac removendos &c. *Vant. loc. cit. n.* 220. *& ſeqq.* Et licèt aliqui Doctores, ut Granutius *theor.* 17. *n.* 3. *& Scac. q.* 11. *n.* 117. dicant, quòd Iudex appellationis poſſit confirmare, vel reformare ſententiam nullam, etiam ſi vitium nullitatis non ſit remiſſibile à partibus, debent intelligi, quando nullitas verſatur circa ipſam ſententiam; quia v. g. non fuerit recitata, vel lata, &c. maximè quando cauſa debet ſummariè, veritate inſpecta decidi. *Tuſch. qui alios allegat in lit. S. concl.* 158. *n.* 49. Secùs quando nullitas verſatur circa proceſſum, vel eius ſubſtantialia; quia tunc Iudex appellationis tenetur omninò pronunciare ſuper nullitate ſententiæ, & non poteſt ſe intromittere in meritis Cauſæ, aut Iudicare ſuper negotio principali, ſolus enim Pontifex ex quadam prærogativa de voluntate partium id præſtare poteſt. teſte *Dec. in cap. Vt debitus. nu.* 80. *de appellat.* ſed tantummodo debet attendere, ſi Iudex à quo ſervavit ea, quæ ſervare debebat ſecundùm ſuum Statutum, & ſtylum ſui Fori. *Alex. conſ.* 164. *n.* 1. 2. *&* 8. *lib.* 6. *Guid. Pap. q.* 52. *de appellat. n.* 40. *Nata. conſ.* 553. *n.* 10. *Scac. de appellat. q.* 18. *n.* 1. Nec poteſt ipſam ſententiam confirmare, vel reformare, vel infirmare. *Roland. conſ.* 41. *nu.* 39. *& ſeqq. lib.* 1., *ubi allegat Alex. conſ.* 79. *lib.* 2. *atteſtantem de communi Roman. conſ.* 378. *n.* 2. *verſ. quoad ſecundum.* Ubi dicit, quòd quando nullitas eſt in ſententia, & in proceſſu, vel in Actis, non poteſt nec confirmari, nec reformari, & quòd non obſtante confirmatione dici poteſt de nullitate; *& ibi Mendoſ. qui alios allegat deciſ. Aven.* 68. *n.* 4. *& ſeqq.* ubi firmat, quòd Iudex appellationis debet ſententiam nullam reſcindere, ſalvo Iure agendi meliùs, & noviter deducendi. *Tuſch. in lit. S. concl.* 158. *ubi etiam alios allegat, & n.* 47. *& ſeqq. Granut. theor.* 17. *n.* 9. *ubi & ipſe allegat plures teſtantes de communi, & firmat ſic practicari, & multas deciſiones Rotæ Romanæ in propoſito adducit. & ſub n.* 12. *etiam alios allegat.*

§. 5. Quæ opinio maximè procedit, quando principaliter fuit dictum de nullitate, ut minimè Iudex poſſit ſententiam confirmare, vel reformare, ſed tenetur dictam ſententiam nullam omninò declarare, ut poſt Granut. & Vant. firmat Fab. Turret. *conſ.* 42. *n.* 4. *& ſeqq.* & eò ampliùs verificatur, quando pars opponit, ac inſtat pronunciari ſuper nullitate, ut omninò teneatur Iudex pronunciare ſententiam nullam, nec poſſit ſe ingerere in meritis Cauſæ *Rot. dec.* 2. *& deciſ.* 8. *in fin. de reſtit. ſpoliat. in antiq. Bart. in l. cumque nu.* 4. *de re jud.* Etiam quòd Iudici conſtaret de bono Iure, dummodo tamen nullitas per partem fuerit propoſita, antequam petita fuerit confirmatio dictæ ſententiæ nullæ. *Cravet. conſ.* 270. *in fin. Veſtr. in pract. lib.* 8. *c.* 1. *n.* 15. *Gabriel conſ.* 28. *n.* 1. *lib.* 2. *addit. ad Farin. conſ.* 85. *in lit. M. in fine, ubi teſtatur ità etiam fuiſſe coram Plato in una Vercel. die* 5. *Maij* 1586 *per Rotam Romanam reſolutum, & quòd ità etiam judicavit Rot. Flor.*

Et

§. 6. Et quòd ſententia ipſo Iure nulla non poſſit reformari per Iudicem appellationis, ſed tantùm debeat pronunciare ſuper nullitate, tradunt Doctores cumulati per Miſing. *cent.* 1. *obſervat.* 27. Et nullitas primæ ſententiæ non tollitur per ſententiam confirmantem, quando confirmatio non eſt reſpectu juſtitiæ, putà, ſi Iudex nihil tangat, quòd benè ſit Iudicatum, ſed oportet, ut dicat Malè appellatum, & benè Iudicatum, vel è contra, & ſic tangat etiam juſtitiam Cauſæ. *Alex. conſil.* 111. *n.* 5. *lib.* 5. *Abbas conſ.* 3. *lib.* 2. *Tuſch. concl.* 158. *nu.* 85. Si tamen appellaret à ſententia confirmante primam ſententiam nullam tranſiret in judicatum. *Vant. de nullit. rubr. fin. n.* 132. *Scac. de appel. q.* 11. *num.* 115., & poſt alios quos allegat dicit procedere etiam ſi prima ſententia eſſet nulla ex defectu Iuriſdictionis. Item quando in ſententia eſſet expreſſus error, Iudex appellationis, non poteſt eam confirmare, & confirmando utraque eſt nulla; quia eumdem errorem continere videtur, qui in prima continebatur; qui error debet eſſe talis, ut oculo corporeo legi poſſit. *Granut. theor.* 17. *n.* 16. *Scac. ibid. n.* 41. *&* 42. Et ſententia nulla mandata executioni, non poteſt revocari, niſi revocatis actis attentatis. *Idem Granut. & Scacc. num.* 147. Et inſuper ſi lata fuit ſententia ſuper validitate primæ ſententiæ, quæ dicebatur nulla, & pars non appellavit, non ſolùm tranſiret in Iudicatum, ut ſupra diximus, ſed neque ampliùs dicere poteſt de nullitate. *Tuſch. lit. S. concl.* 154. *n.* 20.

§. 7. Quando Iudex appellationis reformavit, vel infirmavit, ſeù aliquid aliud immutavit ad ipſum ſpectat executio ſententiæ. *Scac. de appel q.* 11. *n.* 162. Si verò pronunciavit appellationem eſſe deſertam, aut nullam, vel ſi expreſsè confirmavit primam ſententiam, executio pertinet ad Iudicem à quo, ut docent communiter Doctores, quòd eſt intelligendum de executione ſententiæ definitivæ; quia ſi ab Interlocutoria appellatum fuiſſet, & Iudex appellationis eam confirmaſſet, tunc ad primum Iudicem, cujus officium nondum finitum eſt pertinet executio, cùm ipſe debeat in Cauſa ad ulteriora procedere. *cap. in Eccleſia de appellat.* Forma autem ſententiandi conſiſtit in his verbis. *Sententiamus fuiſſe iniuſtè pronunciatum*. *Gloſ. in l. eos.* Vel etiam poteſt pronunciare *Benè appellatum, & malè Iudicatum*, vel è contra: & pro ſatisfactione partis debet addere Iuſtè, vel Iniuſtè juxta contingentiam facti, & caſus. Et ſi pars pluries appellavit, vel plura eſſent gravamina non ſufficiunt illa verba. Benè, vel malè appellatum, ſed inſuper debet pronunciare, & dicere in omnibus, & per omnia benè, vel malè appellatum &c. Vel pronunciare ſingillatim ſuper omnibus appellationibus. *Scac. ibid. n.* 112. Cautus tamen ſit ſemper Iudex Appellationis, ut conſulat quantum fieri poteſt honori, & famæ primi Iudicis: Undè, quando revocat primam ſententiam, vel illam reformat ex noviter probatis, vel deductis, debet pronunciare, & dicere in ſua ſententia *Ex noviter productis, & probatis*. Si verò confirmat primam ſententiam Iudicis à quo, non requiritur, ut talia verba in ſententia apponantur; quia ex ipſa confirmatione conſultum fuit honori eiuſdem Iudicis. Et tandem advertat Iudex appellationis, quòd in ultima ſententia debet imponere perpetuum ſilentium, etiamſi adeſſet alia ſententia contraria, & etiam duæ, vel tres conformes ex Zabar. *in Clem.* 1. 18. *q. & aliorum relatorum per Franch. deciſ.* 135. *per totam primam partem*.

De

De Purgatione Canonica. Regula unica & ultima.

§. 1. LIcèt purgatio Canonica hiſce temporibus, parum, vel nihil ſit in uſu apud Iudices Eccleſiaſticos, & Regulares teſte Diaz *in ſua pract. crim. cap.* 141. *in fine*; quia ſi adſunt indicia ſufficientia ad torturam, Clericus ſive Sæcularis, ſive Regularis aut torquetur, aut in pœna extraordinaria condemnatur; & quando non adſunt indicia ſufficientia, vel Iuſtificatur, vel ab obſervatione Iudicij cum ſolitis clauſulis abſolvitur. Nihilominùs nè quid huic noſtræ Criminalis artis Anotomiæ deſit, operę pretium fore duximus de illa aliqua verba in hac unica, & ultima Regula, & conſequenter in ſua praxi breviter contexere, præſertim cum talis Canonica Purgatio non ſolùm Clericis Sæcularibus, ſed etiam Regularibus indicta ſit, ut inquit textus *in cap. Moniales, & ibi Doctores extra de Purg. Can.* Et jure meritò dum in iſtis, multò magis, quàm in illis morum honeſtas vitæque ſanctitas procul ab omni umbra malæ ſuſpicionis elucere debet; adeò ut non ſolùm aperta crimina, ſed neque ſuſpicionem, ſeù criminis infamiam in ipſis ſuſtinere licitum ſit. Undè ſicut in illis priſcis Eccleſiæ temporibus Sancti Patres ſacris ſanctionibus, delinquentibus, quorum crimina probari poterant, pœnas ſtatuerunt: Sic illis contra quos infamia, aut grave ſcandalum, ſeù vehemens ſuſpicio inſurgebat, purgationem Canonicam indicendam, decreverunt, de qua habetur toto titulo de purgat. Canonica, & de qua ſimiliter nos quoque diffuſiùs tractabimus Deo dante in ultimo Tomo Decretalium.

§. 2. Quando igitur daretur caſus, ut quis notatus infamia ad Inquiſitionem ſubijciatur, ex qua nihil certi habeatur, itàut non poſſit torqueri, nec in pœna extraordinaria condemnari; tunc poſſet ſe ſubmittere purgationi Canonicæ: Quæ nihil aliud eſt, quàm probæ eſtimationis ob impoſitum crimen commaculatæ ad ſatisfaciendum, & ſuſpicionem funditùs tollendam, legitima probatio; & hæc arbitrio Iudicis eſt relicta, ſcilicèt, ut arbitretur, quando eam indicere debeat aliqua mala ſuſpicione laborantibus. *cap. Significaſti extra de adult.*, *& cap. Inquiſit.* §. *quæſiviſti extra de accuſat.*, *& Diaz. loc. cit. c.* 140. Eius autem forma eſt, quòd Reus prætenſus, ſeù infamatus juret coram Iudice ſe non commiſiſſe delictum illud, de quo fuit infamatus, & inquiſitus. *cap. Quoties extra de purgat. Can.*, & adducet teſtes Compurgatores, qui & ipſi jurabunt (non quòd Reus ipſe commiſit delictum) ſed quòd ipſi credunt eum verum Iuraſſe, ut inquit textus *in d. cap. Quoties in fine. & in cap. de Teſtibus eodem tit.* Iſti autem Compurgatores ſi fieri poteſt, erunt eiuſdem Ordinis, & dignitatis ut Reus, vel Superioris dignitatis. Ut ſi v. g. eſſet purgandus Guardianus, Compurgatores ſint & ipſi Guardiani, vel Superiores, *ut in d. cap. Quoties, & in cap. inter ſolecitudines.* Horum autem Compurgatorum numerus apud Doctores videbatur indiſinitus. Nam pro Epiſcopo 12; pro Sacerdote ſex admittebantur. Verùm modò, ut refert. Hoſt. id totum arbitrio Iudicis remittitur.

§. 3. Ubi autem Reus Purgationem Canonicam ei iniunctam rectè, atque integrè præſtare non potuerit, uti convictus puniendus erit. *in cap. de hoc extra de*

Nn *Simonia.*

Simonia. Hoſt. in d. Cap. tit. de pur. Can. Abbas in cap. inter ſolecitud. in fine extra de purg. Can. ubi ponit etiam rationem, quare deficiens in purgatione Canonica habeatur pro convicto, quam inquit eam eſſe, quoniam præſumptio probabilis ex infamia tranſit in violentam, cùm Reus deficiat in ſe purgando, & violenta præſumptio ſufficit ad condemnationem. *cap. afferte extra de præſumpt. & in l. indicia Cod. de Rei vendicatione.* Quamvis Diaz *in ſua pract. crim. c.* 141. reprobet hanc rationem, ex eò quòd violenta præſumptio non ſufficiat ad imponendam pœnam ordinariam delicti. Undè credit ipſe hanc eſſe rationem, nempè Quòd conditores Canonum voluerunt hunc rigorem ſervare, ut Clerici, & Regulares non minus ſtuderent in vitanda infamia, & ſuſpicione vehementi, quàm culpa ipſa propter ſalutem populi Chriſtiani, qui nimis inficitur ex pernitioſo exemplo à Clericis, & Religioſis habito. Conſiderantes, quòd cùm pœna ordinaria Canonis contra convictum legitima probatione non ſit pœna mortis, vel mutilationis membri, non erat tanti rigoris Clericum, vel Religioſum deficientem in purgatione haberi pro convicto, & ideò æquali pœna puniri. Et advertat Iudex, quòd hæc Purgatio Canonica in unico tantùm caſu poteſt concedi, quando, ſcilicèt, delicta non ſunt plenè probata, nec ſemiplenè, nec etiam Reus taliter indiciatus, ut poſſit ad torturam exponi, vel in pœnam extraordinariam condemnari, ſed tantùm remaneat ſuſpectus, & infamatus &c.

De Forma ſervanda in Appellationibus.

Quoniam Reus, ut oſtenſum eſt ad appellandum ſpatium habet decem dierum, ideò ſi non ſtatim appellaret, ſatis eſt, ut appellet intra dictum terminum; forma autem erit ſequentis tenoris.

Forma appellationis copulata cum nullitate. Praxis Prima.

§. 1. Coram vobis Adm. Rever. P. N. &c. Ego f. N. de N. &c. ſententiam per vos contra me latam die . . . . &c. in cauſa, & cauſis, de quibus &c. qua me in talem pœnam (*expl ca*) condemnatis dixi, & dico principaliter nullam, injuſtam, irritam, & caſſam, & ſi qua ex cauſa eſt, ſentiens me indebitè, & injuſtè gravatum his ſcriptis appello ad Reverendiſs. P. Generalem, & Apoſtolos ſemel, bis, & ter, inſtanter, inſtantiùs & inſtantiſsimè peto, proteſtando cum omni humilitate, & reverentia, ut eam recipiatis, & nihil contra me deinceps innovetis; quia intendo innocentiam meam, & gravamen veſtrum per me receptum coram eodem P. Generali oſtendere, & probare. Et id non ſolùm hoc, ſed & omni meliori modo. Datum in Conventu N. die . . . &c.

Ego f. N. de N. &c. Appello ut ſupra.

Alia

Alia ſimilis forma.

§. 2. EGo f. N. de N. &c. coram vobis Admod. R. P. N. &c. propono, & dico, quod die . . . . &c. in cauſa, & cauſis, quæ in Iudicio coràm vobis vertebantur definitivam ſententiam (ſi ſententia jure dici poſſit) contra me tuliſtis, & in talem pœnam *(explica)* condemnaſtis. Idcircò ab eadem ſententia injuſta me gravatum ſentiens appello ad Reverendiſs. P. Generalem, vel ad Eminentiſs. Protectorem, nullitate tamen ſemper ſalva, & Apoſtolos peto inſtanter, inſtantiùs, & inſtantiſſimè. Non ſolùm hoc, ſed & omni meliori modo. Datum &c.

Subſcriptio ut ſupra.

Forma ſimplicis Appellationis.

§. 3. COram Adm. R. P. N. &c. perſonaliter comparuit f. N. de N. & à ſententia contra eum à P. V. Adm. R. lata die . . . &c. appellavit, & iterùm quatenùs opus ſit appellat ad Reverendiſs. P. Generalem, vel &c. dicens ſe gravatum ſentire ab eadem ſententia, ac proptereà inſtanter inſtantiùs, & inſtantiſſimè petit ſibi reſponderi de Apoſtolis. Non ſolùm hoc, ſed &c. Datum &c.

Subſcriptio ut ſupra.

Forma appellationis interponendæ à Reo confeſſo ad hoc ut habeat locum.

§. 4. COram Adm. R. P. N. Iudice &c. perſonaliter comparet f. N. de N. & à ſententia contra eum lata die . . . &c. à P. V. Adm. R. ſentiens, ſe gravatum, eò quòd confeſſus fuit per errorem, appellat ad Reverendiſſimum P. Generalem, apud quem intendit probare dictum errorem, & id circò his ſcriptis ſe appellat ad eundem Patrem Generalem, & Apoſtolos petit ſemel, bis, & ter, ac inſtanter, inſtantiùs, & inſtantiſſimè poſtulat cum omni humilitate, ut hanc ſuam appellationem recipiatis, & nihil deinceps contra ipſum innovetis in contemptu talis appellationis, quia intendit cum dicto errore ſuam innocentiam oſtendere, & probare, Sicque appellat, inſtat, & poſtulat non ſolùm hoc, ſed & omni meliori modo. Datum in Conventu N. hac die &c.

Ego f. N. de N. appello, inſto, & poſtulo ut ſupra.

Forma qua in Actis inſeritur appellatio.

§. 5. DIe . . . &c. In Conventu &c. perſonaliter comparuit f. N. de N. &c coram Adm. R. P. N. &c. & me Actuario præſente præſentavit eidem P. Iudici quamdam cædulam continentem, ut ipſe aſſeruit, ſuam appellationem; quæ incipit &c. & deſinit &c. Quam idem P. Iudex admiſit ſi, & in quantum abſ-

que præjudicio Iurium Fiſci, juſſitque inſeri in Actis prout de facto inſerta fuit per me Actuarium infraſcriptum ſignata &c. Ac terminum decem dierum, vel quindecim &c. appellanti aſſignavit ad redeundum pro Apoſtolis ſive Dimiſſoriis, ſive Reverentialibus, ſive Refutatoriis, prout de Iure illi reddi debent. Acta ſunt hæc in Conventu &c. hac die . . . . &c.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Si incontinenti poſt latam ſententiam Reus appellat oretenus, ſic erit terminanda ſententia.

§. 6. Lata, lecta, & publicata fuit hæc ſententia die . . . . &c. in Conventu &c. in cella ſolitæ reſidentiæ prædicto f. N. de N. Reo prætenſo, vel &c. præſente, audiente, & appellante ad Reverendiſs. P. Generalem, & petente ſibi reſponderi de Apoſtolis inſtanter inſtantiùs, & inſtantiſſimè ad præſentiam infraſcriptorum teſtium &c. Ego f. N. appello, ut ſupra &c. *poſtea Subſcriptiones Teſtium, & Actuarij.*

Forma præfigendi terminum ad redeundum pro Apoſtolis.

§. 7. EOdem die, & loco quibus ſupra. Adm. R. P. N. &c. appellationem ſupraſcriptam admiſit ſi, & quantum, & non aliter, nec alio modo, prædictoque f. N. appellanti terminum octo dierum ad redeundum pro Apoſtolis conſtituit, non ſolùm hoc, ſed & omni &c.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Forma Appellationis interponendæ coram honeſtis viris. Praxis Secunda.

§. 1. COram R. R. P. P. N. & N. tamquam coram honeſtis viris. Comparet perſonaliter f. N. de N., & à ſententia contra eum ab Adm. R. P. N. &c. Iudice Ordinario, vel Delegato &c. lata die . . . . &c. in cauſa, & cauſis coram eum vertentibus, ſe ſentiens valdè prægravatum; eò quòd ſit injuſta, nulla, & invalida coram P.P. V.V. R. R. tamquam coram honeſtis viris interponit præſentem Appellationem, cùm non poſſit habere præſentiam præfati Iudicis, *(vel ſi timet de majori gravamine)* ob timorem majoris gravaminis ſi coram ipſo illam interponeret, ob talem Cauſam *(explica)*. Virtute cujus appellationis intendit ſe eximere à Iuriſdictione ipſiuſmet Iudicis, & avocare ſuam Cauſam ad Reverendiſſimum P. Generalem, ad quem appellat, & apud quem intendit dicere de nullitate, gravamine, & injuſtitia prædictæ ſententiæ, ac interim inſtat, ac inſtantiſſimè poſtulat per P. P. V. V. R. R. ſibi reſponderi. De Apoſtolis. Non ſolùm hoc, ſed & omni meliori modo. Datum in Conventu &c. hac die . . . . &c.

Ego f. N. Appello ut ſupra &c.

Forma

Forma reſponſionis prædictæ Appellationis.

§. 2. TEnore præſentium, omnibus, & ſingulis has litteras ipſpecturis pariter, & lecturis fidem facimus, & atteſtamur qualiter die . . . . &c. f. N. de N. &c. coram nobis, alijſque teſtibus infraſcriptis, tempore, locoque congruo intra terminum à Iure ſtatutum interpoſuit ſupraſcriptam appellationem timens de majori gravamine ſi coram Adm. R. P. N. Iudice &c. illam interponere; attentis maximè minacibus verbis contra eum in tali occaſione *(explica)* prolatis. Quòd conſiderantes rationi congruum, præcipuè cum ſolitus ſit idem P. N. &c. comminationes exequi, proximi indemnitati conſulentes, hos Teſtimoniales Apoſtolos libenter conceſſimus. In quorum fidem. Dat. in Conventu &c. hac die . . . &c.

poſtea Subſcriptiones.

Alia ſimilis forma.

§. 3. FIdem facimus, & pro veritate requiſiti atteſtamur nos infraſcripti Fratres, & teſtes qualiter die . . . &c. perſonaliter comparuit coram nobis f. N. de N. &c. aſſerens, quòd cùm non poſſet habere præſentiam Adm. R. P. N. Iudicis ob ejus diſtantiam, ac per conſequens, non valens coram eo appellare de ſententia contra eum lata die . . . . &c. propterea coram nobis appellavit, & Apoſtolos inſtanter, & inſtantiſſimè petiit, ut clarè dignoſcitur per ſupraſcriptam appellationem, ac propterea præſentes Teſtimoniales Apoſtolos illi tradimus. In quorum fidem. Datum in Conventu N. &c. hac die . . . . &c.

Ego f. N. de N. &c. Ego f. N. de N. &c.
Ego f. N. &c. fui præſens. Ego f. N. fui præſens.

Forma cujuſdam Appellationis interponendæ coram honeſtis Viris pro gravamine accepto in actu Viſitationis Generalis.

§. 4. COram R. R. P. P. N. & N. &c. tamquam coram honeſtis viris. Comparet perſonaliter f. N. de N. &c. & ab evidenti injuſtitia ſibi in actu Viſitationis Conventus N. &c. ab Adm. R. P. N. de N. Provinciali &c. illata ſupra talem præſuppoſitum defectum *(explica)* die . . . . &c. cùmque ſe ſentiat valdè prægravatum, eò quòd illum non commiſit, vel eò quòd exceſſit in punitione prædicti defectus, idcircò coram vobis, tamquam coram honeſtis viris interponit præſentem appellationem, cùm non poſſit habere præſentiam præfati P. Provincialis, *(vel ſi timet de majori gravamine)* non audens illam interponere coram prædicto P. Provinciali ob timorem majoris gravaminis ob talem, & talem cauſam *(explica)* Et quatenùs non poſſet habere vim appellationis formalis, illam interponit per modum querelæ, vel alio quocumque meliori modo. Virtuteque præſentis actus

intendit

intendit ſe eximere, quoad hanc partem à Iuriſdictione ipſiuſmet P. Provincialis, & avocare talem Cauſam, ſeù gravamen ad Reverendiſs. P. Generalem, ad quem recurrit per modum querelæ, & quatenùs opus ſit appellat, ac apud illum intendit dicere de nullitate, & probare tale gravamen injuſtum, & indebitum. Ac interim inſtat ſemel, bis, & ter inſtantiſſimè poſtulat ſibi reſponderi de Apoſtolis. Non ſolùm hoc &c. Datum in Conventu N. &c. die . . . . &c.

Ego f. N. recurro, & ſi opus eſſet appello ut ſupra.

Reſponſio.

§. 5. TEnore præſentium, omnibus & ſingulis has litteras inſpecturis, pariter & lecturis fidem facimus, & teſtamur, qualiter ad præſentiam infraſcriptorum Teſtium die . . . . . &c. in Conventu &c. perſonaliter comparuit coram nobis, tamquam coram honeſtis viris f. N. de N. &c. aſſerens ſe gravatum à quadam evidenti injuſtitia ſibi per Admodum R. P. N. Provincialem in actu Viſitationis Conventus N. &c., ut inquit, illata & non potens coram eo appellare *(hìc explicanda eſt cauſa)* propterea coram nobis interpoſuit per modum appellationis, ſeù querelæ prædictam inſtantiam ſeù appellationem, ac Apoſtolos bis tervè petiit, pro ut clarè conſtat ex ipſa. Et idcirco hos Teſtimoniales Apoſtolos illi tradimus. In quorum fidem &c.

Reliqua ut ſupra &c.

Alia ſimilis forma appellationis poſt latam, & acceptatam ſententiam.

§. 6. COram R. R. P. P. tamquam coram honeſtis viris comparet P. N. de N. &c. & exponit contra ipſum comparentem fuiſſe per Reverendiſſimum P. Generalem non minus nulliter, quam injuſtè, & invalidè latam ſententiam privationis vocis activæ, & paſſivæ &c. prout in ea, ad quam impugnativè relatio habeatur. Quæ quidem ſententia cùm valdè lædat, famam, & æſtimationem perſonæ ipſius comparentis, & ob id ſentiens ſe valdè læſum ac gravatum, nec habens aditum ſuæ læſionis cauſam eidem P. Generali deducere per modum appellationis, & volens æſtimationi, ac honori propriæ perſonæ conſulere, & in gradu appellationis ſuam innocentiam, ſententiæque injuſtitiam deducere, licèt metu reverentiali, et timore potentiæ ejuſdem P. Generalis propria confeſſione ſententiam prædictam firmaverit etc. Nihilominùs declarat per præſentem comparitionem, quòd prædictæ ſententiæ in nulla ipſius parte poteſt acquieſcere, et eam nullo modo intendit approbare. Quinimmò, quòd eam tamquam indebitam et injuſtam ſemper et omni tempore pro non lata habere, et tamquam viribus carentem, et quòd per quantumvis temporis lapſum contra ipſum numquam robur, et vires poſſit, et valeat acquirere, et quòd ipſi Comparenti ſalvum ſit ſemper, et in quovis tempore contra eam opponere, et reclamare, intendens et propriam innocentiam probare

bare una ſimul cum metu, et gravamine ſibi illato: Et dubitans nè temporum lapſu Iura ſua aliquod patiantur detrimentum, non habens de præſenti aliam commoditatem. Ideò comparens coram P. P. V. V. R.R. in præſentia infraſcriptorum Teſtium coram Vobis, tanquam coram honeſtis Religioſis à ſententia prædicta, tamquam nulla, indebita, et injuſta provocat, reclamat, et appellat ad Sanctiſs. D. N. P. N. etc. et quoſvis Iudices competentes, petens Appellationem hanc admitti, et acceptari, ac tamquam legitimam, et Iuridicam ſibi ſuffragari ad effectum cum ea comparendi coram Sanctiſs. et quovis Iudice competenti, et coram ipſis Iura ſua deducendi, et ſtante quòd non habet aditum, et liberum acceſſum appellationem prædictam Reverendiſſimo P. Generali notificandi, et coram eo faciendi, inſtat, et inſtantiſſimè poſtulat per Vos admitti, et ipſi Comparenti ſuffragari, ac ſi eidem Iudici fuiſſet notificata, et coram eo interpoſita et interim ſibi tempus, et tempora non currere, et Iura omnia ſua illæſa remanere, petens ſibi Ius fieri, et reſponderi de Apoſtolis, quos inſtanter, inſtantiùs, et inſtantiſſimè bis, et ter poſtulat. Non ſolùm hoc etc Datum etc.

Subſcriptiones Appellantis, & Teſtium Reſponſio poteſt deſumi ex una de ſupraſcriptis. in §. 2. 3. & 5.

Forma Appellationum extrajudicialium. *Praxis Tertia.*

§. 1. Et præſertim cujuſdam Appellationis vagæ accommodandæ cuicumque negotio, mutatis, mutandis &c.

COram &c. Comparent perſonaliter P. P. N. & N. &c. & dicunt ad eorum notitiam deveniſſe quod P. Provincialis, vel Generalis ordinavit, vel ordinare deliberavit hoc, & hoc &c. *explica*, Verùm quia totum id eſt contra diſpoſitionem Regulæ noſtræ, ſive Conſtitutionum, vel Decretorum Sacræ Congregationis, ſive Sacrorum Canonum, ſive Conſuetudinem Provinciæ. Sentientes ipſi Comparentes ſe læſos eſſe, atque gravatos, timenteſque in futurum magis lædi, & gravari poſſe à dicta ordinatione, & determinatione, vel deliberatione &c. provocant, & appellant, & æquè principaliter de nullitate dicunt ad Sac. Congregationem, *vel* ad Sanctiſſimum petentes ſibi de Apoſtolis reſponderi ſemel, bis, ter, & quoties opus fuerit ſæpè, ſæpiùs, ſæpiſſimè, inſtanter, inſtantiùs, & inſtantiſſimè, & quatenùs præſens appellatio non admitteretur (quòd non credunt) ab illius non admiſſione iterùm, atque iterùm appellant, ac toties, quoties, itàut Comparentes ipſi ſint ultimi in appellando, & præſens appellatio ultimo loco remanere debeat, proteſtantes interim nihil innovari in ſpretum hujuſmodi appellationis, aliàs de nullitate & attentatis in forma dicunt, & proteſtantur ſolùm hoc, ſed &c. *Reliqua, ut ſupra, cum ſuis ſubſcriptionibus.*

Alia

Alia forma Appellationis extrajudicialis de futuro gravamine, juxta ſuperiùs tradita.

§. 2. EGo f. N. de N. &c. unus ex electoribus in hoc Capitulo à vobis Adm. R. P. N. &c. congregato in hoc loco N. &c. die ... &c. ad effectum eligendi P. N. &c. appello ad Reverendiſs. P. Generalem, vel ad Eminentiſs. Protectorem, vel &c. & excipiendo contra illum, dico, quòd eſt perjurius, vel falſi teſtimonij Reus, vel quia de tali crimine eſt diffamatus, vel excommunicatus majori excommunicatione, quòd probandum incontinenti offero &c. Vel quia fuit per talem ſententiam privatus voce activa, & paſſiva, vel quia non eſt idoneus ad tale officium ob talem, & talem cauſam &c. Vel quia ob tale delictum eſt ipſo Iure privatus &c. Vel quia requiſitus ante electionem, electioni conſenſit &c. Vel propter talem, & talem Cauſam &c. Et ideò appello ad P. Generalem &c. ſi vos, qui eſtis Præſidens Capituli ipſum P. N. admittatis ad talem electionem, aut alij electores ad ipſius electionem procedant, & talem electionem dico eſſe nullam, irritam, & caſſam, & quatenùs aliqua apparuerit, dico eſſe annullandam, irritandam, atque caſſandam: & his ſcriptis iterùm appello ut ſupra, & Apoſtolos peto inſtanter, inſtantiùs, & inſtantiſſimè. Non ſolùm hoc, ſed & omni meliori modo &c. Dat. &c.

Subſcriptio &c.

Alia ſimilis forma ſpecificè applicata.

§. 3. COram Adm. R. R. P. P. Definitoribus Provinciæ N. in Capitulo Congregatis &c. Comparent infraſcripti Patres in Capitulo hujus Provinciæ N. &c. ſub die ... etc. in hoc Conventu N etc. celebrando, Vocales, et dicunt ad eorum notitiam deveniſſe cujuſdam Apoſtolici Brevis tenorem virtute cujus Reverendiſs. P. Generalis in præterito Capitulo in Conventu N. habito ſub die ... etc. in Miniſtrum Provincialem hujus Provinciæ N. inſtituit P. N. de N., ac etiam aliquos Guardianos, nempè N. et N. deputavit, ſed invalidè, ac ſine debita id faciendi facultate; dum Pontifex in eo non abſolutam, ſed limitatam auctoritatem inſtituendi Miniſtros, et aliquos Guardianos in certis Provincijs, et caſibus impartivit. Ipſe verò abſolutam ſibi arripiens facultatem ſupradictos Patres ad Provincialatum, ac Guardianias evexit. Verùm quia totum id eſt contra diſpoſitionem Regulæ noſtræ, et Conſtitutionum, ac inſuper contra ipſiuſmet Brevis Apoſtolici expreſſum tenorem, nec non contra piam Summi Pontificis mentem, ac præter dicti P. Generalis auctoritatem, ut per huic annexam Scripturam, quæ incipit etc. et deſinit etc. probare intendunt, et de facto probant, et meliùs quoque patebit ex ſupradicti Brevis tenore, cujus copiam una cum dicta Scriptura aſpiciendum, et conſiderandum exhibent. Cùmque dictus Provincialis, ac etiam præfati Guardiani, ut ex dicta Scriptura apparet, non fuerint Canonicè, nec legitimè electi, et deputati; Ideò dicunt, et Iure jurando credunt ſe poſſe probare juxta in præfata

Scri-

Scriptura allata, prædictos Patres in hoc Capitulo Vocales non debere omninò, nec poſſe cum eorum ſuffragijs ad has futuras electiones concurrere, ſed teneri recedere ab hoc Capitulo tamquam ad concurſum inhabiles, cùm non ſint Canonicè inſtituti, nec legitimè electi. Ut igitur in præſenti Capitulo ad Canonicam electionem procedatur, Iuridicè inſtant Comparentes, ac inſtantiſſimè poſtulant à P. P. V. V. Adm. R. R. præfatos Patres non admitti, prorſuſque ab hac electione tanquam inhabiles excludi, et formam Canonicam in ea ſervari. Et quatenùs electio aliter fiat de nullitate dicunt, et ab ea ad Eminentiſs. Protectorem, vel ad Sac. Congregationem, vel ad Summum Pontificem appellare intendunt, et de facto nunc pro tunc appellant. Et ſi aliqua Pontificia vivæ vocis oracula, vel etiam ſcriptis exarata huic appellationi, et proteſtationi contraria extarent, ad eumdem Sanctiſſimum pro majori informatione appellant, et eò fortiùs dum ipſi comparentes, et alij quoque immò major hujus Provinciæ Fratrum cœtus, quorum partes in hoc Capitulo repræſentare, ac tueri tenentur, à ſupradictis electionibus indebitè factis tàm Provincialis, quàm dictorum Guardianorum ſe læſos eſſe, atque gravatos ſentiunt; timenteſque in futurum magis lædi, et gravari poſſe à dicta ordinatione inordinatè facta à P. Generali, prorſuſque abhorrentes dictam determinationem contra Regulam, et Conſtitutiones introductam, ac Summi Pontificis menti omninò repugnantem, ut ipſi Comparentes probare ſe exhibent, iterùm, atque iterùm pro majori informatione ad Summum Pontificem appellant, ac toties, quoties, itàut Comparentes ipſi ſint ultimi in appellando, et præſens appellatio ultimo loco remanere debeat, proteſtantes interim nihil innovari in contemptum dictæ appellationis, aliàs de nullitate, et attentatis in omni meliori forma proteſtant, ac inſuper inſtant, et inſtantiſſimè poſtulant ſibi reſponderi de Apoſtolis; non ſolùm hoc etc. *Reliqua ut ſupra, cum ſuis ſubſcriptionibus.*

Si prædicta appellatio acceptatur, uti acceptari debet ſaltim conditionatè ſi, & in quantum, ac ſine præjudicio, poteſt interponi ſequens Decretum.

Reſponſio.

§. 4. IN nomine Domini. Amen. Hac die ... etc. In Conventu etc. Coram nobis infraſcriptis Definitoribus in Capitulo congregatis comparuerunt perſonaliter, præfati, ac nominati Patres Vocales ſupradictam appellationem, proteſtationem, & Scripturam producentes, inſtanteſque nonullos P. P. Vocales (ut ipſi dicunt) ad concurſum inhabiles, tamquam non Canonicè electos ab hac futura electione præſentis Capituli excludi, & aliter faciendo de nullitate dicentes appellanteſque ut ſupra &c. Nos verò ob reverentiam Iudicis ad Quem, dictam proteſtationem, appellationem, inſtantiam, & Scripturam nec refutantes, nec admittentes, niſi ſi, & in quantum &c. Ordinamus, & decretamus, ac neceſſarium duximus ad evitanda Sæcularium, & puſillorum ſcandala devenire ad electionem Capitularem, cum proteſtatione tamen nolle præjudicare Iuribus dictæ appellationis, proteſtationis, &c. nec minus communicare inhabilibus, ſi qui ſunt, Ius eligendi, nec alicui ſuffragari, vel nocere. Et ità Decretamus omni meliori modo &c. ſalvo &c.

Subſcriptiones Deffinitorum.

Suppoſito, quòd tale Decretum interponatur, ſtatim ac debet quoque interponi aliam appellationem, proteſtationem, & inſtantiam ſequentis tenoris.

§.5. Coram &c. Cùm Appellatio data ſit tamquam remedium, ut Iuſtitia ſuum locum teneat. Ideò P.P. Vocales in præterita inſtantia, & appellatione jam P.P. V. V. Adm. R. R. præſentata, nominati, & expreſſi, cùm ſe ſentiant in aliqua parte prægravatos ex dictæ Inſtantiæ, proteſtationis, & appellationis expulſione, quamvis non id abſolutè, ſed tantùm conditionatè &c. Cùmque ad evitanda puſillorum, ac Sæcularium ſcandala ſint ipſi Comparentes coacti ad communiter ſimul cum aliis Vocalibus tàm habilibus, quàm inhabilibus concurrendum in hac futura electione. Et ex altera parte cùm verè cognoſcant, credant, & pro certò habeant, ac jure jurando credere ſe poſſe probare putent talem electionem faciendam cum ſimilibus concurrentibus in prima inſtantia, & appellatione nominatis eſſe prorsùs nullam, & invalidam, eò quòd non Canonicè faciendam, ut ex rationibus in Scriptura jam exhibita productis, ſatis manifeſtè apparet, aliiſque de Cauſis loco, & tempore exponendis. Ideò ſupradicti Comparentes rurſus proteſtantur, ſe in hac futura facienda electione ſe habere merè paſſivè, & ſolum concurrere ad evitanda puſillorum, & Sæcularium ſcandala, ac per conſequens ex tali concurſu prædictæ inſtantiæ, & appellationi nihil præjudicare intendunt, & multò minus ſuis rationibus, quas ſemper ſtabiles, & in ſuo robore firmas extare prætendunt, & volunt, ac denuò non obſtante eorum concurſu de nullitate dicunt, & ut debito tempore juſtitia ſuum locum habeat ad Eminentiſſimum Protectorem, vel ad Sacram Congregationem, vel ſi opus fuerit ad Summum Pontificem appellant, & per hanc appellationem etiam primam renovare, nec illi per dictum concurſum ullum præjudicium inferre intendunt, ſed ſemper in ſuo rigore, et virtute extare, & perſiſtere volunt. Et id non ſolùm hoc &c.

Reliqua ut ſupra &c.

§.6. Alia forma appellationis extrajudicialis à præterito, vel futuro gravamine.

CORam Vobis Admodum R. P. N. hujus Capituli Preſidente, per vos in hoc Conventu N. congregati ad effectum celebrandi electionem &c. Ego f. N. de N. etc. unus ex electoribus ejuſdem Capituli, eò quòd injuſtè privaſtis me voce activa, & paſſiva, quam habeo in hac electione; aut eò quòd injuſtè, et iniquè vultis me de facto excludere à Capitulo, et ab hac electione, ac per conſequens tacitè privare voce activa, et paſſiva, et ſpoliare mea poſſeſſione, quam ſpecificè teneo propter non veram, et falſam cauſam, aut ſine aliqua vera Cauſa, et abſque eò quòd priùs eſſem citatus, et auditus cum debitis terminis prout eſt neceſſarium non ſolùm de Iure poſitivo, ſed etiam naturali. Idcircò ſentiens me per vos notabiliter gravari, et gravatum eſſe ab hac injuſta excluſione, privatione, et ſpoliatione, dixi, et dico Capitulum, et electiones faciendas in hoc Capitulo cum omnibus indeſequutis, et omnia facta, et facienda in eodem Capitulo nulla, irrita, et caſſa, et

quatenùs

quatenùs aliqua apparuerint, dico omnia ſupradicta debere annullari, irritari, & caſſari. Ideò his ſcriptis, via nullitatis, et appellationis copulativè, et etiam principaliter propoſitæ, ac omni alio meliori modo recurro ad Reverendiſſimum P. Generalem, vel ad Eminentiſſimum Protectorem, vel etc. ac inſtanter inſtantiùs, et inſtantiſſimè ſemel, bis, et ter peto mihi reſponderi de Apoſtolis; non ſolùm hoc, ſed et omni meliori modo. Datum in Conventu N. hac die . . . . etc.

Ego f. N. de N. appello, et proteſtor, ut ſupra etc.

Variæ formæ diverſarum Appellationum ab Interlocutoria Sententia. Praxis Quarta.

§. 1. CORam Adm. R. P. N. Iudice etc. Comparet perſonaliter f. N. de N., et dicit, quòd cùm appellatio data ſit, tamquam remedium, ut Iuſtitia ſuum locum teneat: Ideò præfatus comparens cùm ſe ſentiat prægravatum ab Interlocutoria veſtra ſententia prolata die . . . . etc. ſuper exceptionibus non admiſſis (*explica exceptiones non admiſſas*) pronunciando eas non eſſe admittendas, vel procedendo ad ulteriora ad talem actum (*hìc pariter explica*) eiſdem exceptionibus contrarium; Idcircò ea, qua decet reverentia appellat ad P.N. etc. tamquam ad Iudicem ad Quem. Inſtatque interim nihil innovari in contemptum hujus appellationis, aliàs proteſtatur de nullitate hoc, et omni meliori modo. Datum in Conventu etc. die . . . .

Ego f. N. appello, ut ſupra etc.

§. 2. Coram etc. perſonaliter comparet f. N. de N., ac per modum Iuridicæ inſtantiæ, proteſtationis, et appellationis, exponit qualiter P. V. Admodum R. eſt illi valdè ſuſpecta non ſolùm ob graviſſimas cauſas loco, et tempore exponendas, ſed et multò magis quia noluit admittere ad examen teſtes in ſui defenſam productos. Idcircò, ut juſtitia ſuum ſortiatur effectum, proteſtatur omni, quo poteſt meliori modo omnes actus hucuſque factos eſſe invalidos, et nullos, ità, et taliter, ac ſi facti non eſſent. Et inſuper appellat ab Interlocutoria veſtra ſententia, qua tali die . . . . etc. pronunciaſtis ſupradictos teſtes productos non eſſe admittendos; Inſtatque Cauſam, vel Cauſas remitti ad Reverendiſsimum P. Generalem ad quem appellat, et interim nihil innovari in contemptum hujus proteſtationis, appellationis et inſtantiæ, aliàs iterùm proteſtatur de nullitate actorum, et agendorum. Non ſolùm hoc etc. *Reliqua ut ſupra.*

§. 3. Coram etc. Comparet perſonaliter f. N. de N. etc. et ſentiens ſe gravatum ab Interlocutoria veſtra ſententia prolata die . . . . etc. pronunciando non eſſe repetendos teſtes contra ſe productos cum ſuis interrogatoriis tali die . . . à ſe in Iudicio præſentatis, et denegando illi copiam integram proceſſus à ſe cum inſtantia petitam. Idcircò ſentiens ſe gravatum his ſcriptis appellat ad P. Generalem, ac inſtat, et inſtantiſſimè poſtulat ſibi reſponderi de Apoſtolis, non ſolùm hoc, ſed etc.

§. 4. Cùm f. N. de N. rationabiliter teneat Admodum R. P. N. Iudicem etc. ſuſpectum in Cauſa, et Cauſis etc. Idcircò coram illo perſonaliter comparet, et quia

illi denegavit P. N. de N. in ſui Conſiliarium à ſe cum maxima inſtantia nominatim petitum, ſentiens ſe à tali denegatione gravatum appellat ad P. Generalem, ac inſtat ſibi reſponderi de Apoſtolis, non ſolùm hoc etc.

Forma ſecundùm quam poteſt Iudex revocare gravamen.

§. 5. QUoniam appellaſtis ab Interlocutoria noſtra ſententia qua pronunciamus non eſſe admittendas exceptiones à te propoſitas, vel non eſſe repetendos teſtes cum interrogatoriis à te præſentatis, vel non eſſe tradendam integram copiam proceſſus, vel quia non duximus neceſſarium aſſignare tibi in Conſiliarium P. N. de N. à te nominatum, et petitum etc. Nos ergo non credimus ex hoc tibi aliquid gravaminis inferre, et hoc ſentimus. Sed ſi quid tulimus, parati ſumus illud revocare, et ex tunc revocamus, quantum in nobis eſt. Sed quia ut dixiſti tibi gravamen aliquod intuliſſe, aſſigno tibi terminum 24. horarum ad oſtendendum de gravamine, quòd aſſeris tibi ex hoc evenire. Quòd ſi non feceris contra te procedemus prout de Iure. Acta ſunt hæc etc.

Ità eſt f. N. etc. Ego f. N. Actuarius etc.

De Apoſtolis. Praxis Quinta.

Forma Apoſtolorum Dimiſsoriorum.

§. 1. NOs f. N. de N. Provincialis Miniſter Provinciæ N. Tibi f. N. de N. &c. ſalutem in Domino.

Quoniam à definitiva ſententia per nos contra te lata, & publicata die ... &c. in cauſa, & cauſis coram nobis actitatis appellaſtis ad Reverendiſsimum P. Generalem, vel ad Eminentiſſimum Protectorem, vel &c. Ideò à noſtra Iuriſdictione ad eumdem, ad quem appellaſti his litteris te admittimus, & remittimus, præfigentes tibi ſpatium triginta dierum, vel &c. ad appellationem tuam proſequendam coram eodem Iudice ad quem appellaſti, & ad docendum de hujuſmodi proſequutione. Quòd ſi non feceris, contra te procedemus, prout de Iure debemus, tamquam contra non gravatum, & tua appellatio ipſo Iure erit nulla, tamquam facta à non gravato. In quorum fidem. Dat. in Conventu &c. die ... &c.

Ità eſt f. N. Provincialis. Ego f. N. Actuarius &c.

Forma Apoſtolorum Reverentialium.

§. 2. NOs f. N. de N. Miniſter Provincialis &c. Tibi f. N. de N. ſalutem.

Quamvis appellatio tua coram nobis interpoſita frivola, irrationabilis, & iniuſta viſa fuerit, eò quòd non contineat niſi verba à veritate deviantia, quæ

cx-

expreſsè negantur. Nihilominùs ob noſtram ad Reverendiſſimum P. Generalem, vel ad Eminentiſſimum Protectorem &c. ad quem appellaſti, reverentiam, admittimus illam ſi, & in quantum, & hos tibi Reverentiales Apoſtolos concedimus, ſtatuentes tibi terminum 30. dierũ ad appellationem tuam proſequendam, & ad docendum non ſolùm de hujuſmodi proſequutione, ſed etiam de admiſſione, & receptione talis appellationis. Quòd ſi non feceris &c. *Reliqua ut ſupra &c.*

Forma Apoſtolorum Refutatorialium.

§. 3. NOs f. N. de N. Provincialis &c. Tibi f. N. de N. ſalutem. Cùm appellatio tua coram nobis interpoſita ſub die... &c. qua à definitiva noſtra ſententia appellaſti ad Reverendiſſimum P. Generalem frivola, indebita, iniuſta, ac prorsùs fruſtatoria ſit, temerè quippè, & nulla ratione propoſita. Idcircò his & alijs de Cauſis animum noſtrum moventibus præfatam tuam appellationem nequaquam admittimus, ſed illam omninò, & abſolutè reijcimus, & refutamus tamquam frivolam, iniuſtam, & fruſtatoriam: Et hos tibi tantummodò Refutatorios Apoſtolos concedimus. In quorum fidem &c.

Forma Apoſtolorum Dimiſſoriorum per Judicem Delegatum facienda.

§. 4. DIe... &c. In Conventu &c. Cùm per vos Reverendiſſimum P. N. &c. Delegata mihi fuerit Cauſa contra f. N. de N. etc. Examinatis Teſtibus examinandis, receptiſque probationibus, quæ de Iure erant recipiendæ, et inſuper audito ad ſaturitatem Reo in ſuis defenſionibus, cùm delictum, de quo agebatur, adhuc remaneret ſufficienter probatum, vocavi ipſum f N. etc. et omnia, quæ de Iure erant peragenda, peracta, tàm reſpectu dictorum Teſtium, quàm Cauſæ, ac etiam reſpectu dicti f. N. Rei prætenſi; Iuris ordine ſervato, ſententiam definitivam contra eum pronunciavi, ac illum condemnavi in talem pœnam (*explica*): A qua ſententia dictus f. N. appellavit ad P. V. Reverendiſſimam, et de Apoſtolis ſibi reſponderi petijt. Et quamvis talis appellatio in omnibus, et per omnia iniuſta, frivola, et fruſtatoria mihi viſa fuerit, et de facto talis ſit; Nihilominùs ob reverentiam P. V. Adm. R. debitam illam admiſi, ſi et in quantum, et hos Reverentiales Apoſtolos ipſi tradidi. In quorum fidem. Dat. etc. *Reliqua ut ſupra.*

Forma petendi prorogationem termini ad docendum de appellatione.

§. 5. COram etc. Comparet F. N. de N. ac inſtanter petit ſibi prorogari terminum aſſignatum ad docendum de proſequutione ſuæ appellationis, cùm terminus aſſignatus (attenta maximè abſentia Iudicis ad quem appellavit) non ſit ſufficiens

ſufficiens ad proſequendam coram ipſo dictam appellationem, quapropter inſtat, ac inſtantiſſimè poſtulat ſibi prorogari talem terminum; non ſolùm hoc, ſed et omni alio meliori modo. Dat. etc.

Ego f. N. peto, et inſtantiſſimè poſtulo, ut ſupra etc.

Forma procedendi per Delegatum in cauſa Appellationis. Praxis Sexta.

§. 1. ACceptis à R. P. N. de N.&c.præinſertis patentibus litteris Reverendiſs. P. N. noſtri Ordinis Generalis, quibus illi committitur facultas cognoſcendi in Iudicio Appellationis, et terminandi cauſam proceſſus contra f. N. de N. etc. per R. P. N. de N. noſtræ Religionis Concionatorem, et ad id muneris Commiſſarium Delegatum ab Adm. R. P. N. Provinciæ N. Miniſtro Provinciali fabricati, prædictas litteras Patentales, prout jacent, quæ incipiunt etc. et deſinunt etc. acceptavit, et juxta facultatem in illis ſibi traditam decrevit, prout præſenti Decreto decernit in eadem cauſa procedere, teſtes examinare, ſi opus fuerit, et ea omnia peragere, quæ de Iure peragenda erunt uſque ad ſententiam deffinitivam incluſivè. Volenſque ad ulteriora procedere me infraſcriptum f. N. de N. Sacerdotem etc. de meæ fidelitatis, et integritatis benè in Domino confiſus in ſuum Actuarium elegit, facultate tamen ſibi retenta prædictum Actuarium mutandi quoties opus fuerit, mandans mihi in virtute Sanctæ obedientiæ omnia integrè, fideliter, et ſincerè in actis redigere, et exarare. Cùmque ab Adm. R. P. N. de N. etc. accepiſſet acta præfati proceſſus conſiſtentia in duobus diſtinctis libellis, quorum quilibet eſt filo junctus, eorumque primus continet quindecim folia ante, et retro exarata, et unum album, in quo tantùm eſt ſcriptus titulus, videlicèt, Proceſſus contra f.N. de N.&c. de percuſſione etc. vel etc. cujus primum folium incipit etc. et ultimum deſinit etc. Poſterior verò continet ſex folia ſcripta retrò, et ante, et ſeptimum, quòd tantùm ſcriptum eſt ante, et nihil retrò, cum alijs quinque folijs albis, quorum ſcriptorum foliorum primus incipit, etc. et deſinit etc. Quos libellos mihi Actuario traddidit cum tribus litteris in eiſdem Actis, ſeù libellis regiſtratis locis proprijs, ut ea omnia hîc in Actis redigerem, prout feci iſto, et omni meliori modo. Acta ſunt hæc in Conventu N. etc. die.. etc.

Ità eſt f. N. de N. Commiſſarius Delegatus etc.

Ego f. N. de N. Actuarius.

§. 2. Die... etc. In Conventu etc. R. P. N. Commiſſarius viſis, et benè conſideratis, diligenterque perpenſis ex ſupradicto proceſſu reſultantibus, volens ad ulteriora procedere, et cauſam, ut Iuris eſt concludere, ac terminare R. P. N. Iudici à quo, ac pariter f. N. de N. appellanti præſenti in camera ſolitæ reſidentiæ intimavit ſe habere commiſſionem Reverendiſſimi P. Generalis ſuper cauſa à qua appellatum fuit, et reſpectivè appellavit, mihique Actuario mandavit in faciem ipſius f. N. appellanti legi ſuam commiſſionem, qua audita illi aſſignavit trium dierum terminum ad deducendum, et producendum quidquid voluerit; ac inſuper Iudici à

quo

quo copiam dictæ Commiſſionis traſmiſit, ac ipſi quoque aſſignavit ſpatium triginta dierum ad deducendum, et producendum ſi habeat quidquid voluerit, ut poſteà ad terminationem Cauſæ deveniri poſſet. Acta ſunt hæc in Conventu N. etc. die etc.

Ità eſt f. N. de N. Commiſſarius Delegatus.

Ego f. N. Actuarius.

§. 3. Die &c. In Conventu &c. Coram R. P. N. Commiſſario Delegato in Camera ſuæ ſolitæ reſidentiæ exiſtente comparuit perſonaliter intra terminum aſſignatum f. N. de N., ac ore tenus expoſuit ut infra &c. *Vel ſi præſentavit aliquas Scripturas ſic erit dicendum.*

Die &c. Coram &c. comparuit perſonaliter intra terminum aſsignatum f. N. de N., ac præſentavit eidem P. Commiſſario unum folium in quo dixit contineri ſuas rationes, & gravamina à Iudice à quo appellavit, accepta, cujus initium eſt &c. finis verò &c. Item præſentavit aliud folium, in quo dixit eſſe aliquas exceptiones, & oppoſitiones tàm contra perſonam Iudicis à quo, quàm Teſtium ab ipſo examinatorum, cujus initium eſt &c. finis verò &c. Et inſuper aliud folium, in quo dixit contineri articulos probatorios ſuper quos poſtulat examinari teſtes ibidem nominatos, & hoc quidem incipit &c. & deſinit &c. Quæ folia una cum dicta petitione ſignata littera ... fuerunt admiſſa à dicto P. Commiſſario ſi, & in quantum citra præjuditium impertinentium, & non admittendorum, ac de mandato ejus per me Actuarium inſerta in Actis. In quorum fidem &c.

Ità eſt f. N. Commiſſarius delegatus &c.

Ego f. N. Actuarius.

Si aliqui ex articulis eſſent impertinentes, vel infamatorij. Iudex appellationis debet illos vel corrigere, vel delere, adnotando in margine illorum cauſam in hunc modum.

Hic articulus deletus eſt, quia eſt infamatorius, quia eſt impertinens &c.

§ 4. Die &c. In Conventu &c. Cùm nuper per poſtam ordinariam à R. P. N. Iudice à quo, P. N. Commiſſarius accepiſſet litteras reſponſivas, quæ poſt titulum incipiunt &c. & deſinunt &c. cum ſubſcriptione propriæ manus ejuſdem P. N. &c. ſigilloque ſuo ordinario munitas, una ſimul cum quadam ſcriptura, quæ incipit &c. & deſinit &c. prout latiùs in ipſiſmet litteris, & Scriptura per me Actuarium hìc in Actis insertis ſignatis litteris... apparet, ad quas &c. Quibus acceptatis, & admiſſis ſi, & in quantùm à P. Commiſſario, & benè conſideratis, volens ad ulteriora procedere, et ea, quæ Iuris ſunt, peragere, decrevit, prout præſenti Decreto decernit, devenire ad examen Teſtium à f. N. appellante productorum etc. Sicque decrevit non ſolùm hoc, ſed et omni etc. In quorum fidem.

Ità eſt f. N. Commiſſarius etc.

Ego f. N. Actuarius etc.

Facto examine teſtium, & ea omnia, quæ ad expeditionem Cauſæ ſunt neceſſaria, peracta, debet Iudex appellationis citare partes ad audiendam ſententiam diffinitivam juxtam formam ſuperiùs traditam in prax. 2. de for. redig. in ſcrip. def.

Alia

Alia ſimilis forma procedendi.

§. 5. ACceptis per nos f. N. de N. etc. à Reverendiſſimo P. N. Generali miniſtro etc. litteris patentibus ſequentis tenoris, videlicèt etc. Et cùm dicta Commiſſione pariter accepimus quamdam cædulam appellatoriam P.N. de N., quæ incipit etc. et deſinit etc. Quare nos mandatis prædictis P. Generalis obtemperare volentes in quantum poſſumus per præſentem noſtrum Decretum Commiſſionem ſupraſcriptam acceptamus, et mandamus antedictam cædulam inſeri in proceſſu præſentis cauſæ, ſicuti de facto inſerta fuit per me Actuarium infraſcriptum ſignata lit. A., et inſuper declaramus nos velle ſuper indè procedere uſque ad terminationem hujus cauſæ ſecundùm formam, et tenorem ſupradictæ Commiſſionis; ſucceſſivèque in executione præmiſſorum, et mandatorum ut ſupra ex nunc eligimus in Actuarium hujus Cauſæ, ſeù Cauſarum P. N. de N. noſtri Ordinis Sacerdotem de ſecreto, et fidelitate juratum cum facultate tamen illum mutandi toties, quoties opus fuerit, et ità decernimus, decretamus, declaramus, et elegimus non ſolùm hoc, ſed et omni meliori modo. In quorum fidem etc. Acta ſunt hæc in Conventu N. die . . . etc.

Ità eſt f. N. Commiſſarius Delegatus.
Ego f. N. Actuarius etc.

Forma Sententiarum in ſecunda, & tertia, ſeù veriori Inſtantia. Praxis Septima.

Forma Sententiæ in ſecunda inſtantia.

§. 1. IN nomine Sanctiſſimæ, et Individuæ Trinitatis Patris, et etc. Chriſti nomine invocato. Nos f. N. de N. etc. à Reverendiſſimo Patre Generali Commiſſarius Delegatus in Cauſâ, et Cauſis Appellationis, ſeù gravaminis, vel nullitatis per f. N. de N. contra P. N. de N. Provinciæ N. Miniſtrum Provincialem coràm eodem P. Generali introducta, et poſteà nobis ut ſupra delegata de, et ſuper ſententia lata per prædictum P. N. Provincialem ſub die ... etc. contra præfatum f. N. de N. ſuper tale delictum *(explica)* Viſis omnibus, et ſingulis tùm in proceſſu per præfatum P. Provincialem conſtructo. Viſis teſtium depoſitionibus, et omnibus Scripturis in, et cum dicto proceſſu originali contentis. Viſis etiam omnibus oppoſitionibus, prætenſionibus, petitionibus, inſtantijs per dictum f. N. adductis et in Iudicio præſentatis. Viſis inſuper omnibus, et ſingulis ad hanc Cauſam, ſeù Cauſas coram nobis actitatas hinc indè ſpectantibus, illiſque diligenter perpenſis, et maturè diſcuſſis, ac æqua juſtitiæ lance libratis. Chriſti nomine repetito, de cujus vultu noſtrum Iudicium prodeat, ac oculi noſtri videant æquitatem. Pro Tribunali ſedentes per hanc noſtram definitivam ſententiam, quam de Iuris peri-

torum

torum conſilio his ſcriptis ferimus. Dicimus, decernimus, pronunciamus, et definitivè ſententiamus in Cauſa, ſive Cauſis in ſupradictis Scripturis contentis per præfatum Miniſtrum Provincialem benè fuiſſe Iudicatum, et per f. N. malè, et indebitè fuiſſe appellatum; et ideò ipſum remittendum eſſe, ſicut de facto remittimus ad primum Iudicem pro executione ſuæ ſententiæ. Et ità dicimus, decernimus, pronunciamus, et definitivè ſententiamus, non ſolùm hoc, ſed et omni meliori modo. Dat. in Conventu N. etc. die..etc.

Ità eſt f. N. Commiſſarius Delegatus etc.

Ego f. N. Actuarius etc.

Lata, lecta, et publicata fuit ſupradicta ſententia hac die ... etc. In Conventu N. etc. præſentibus infraſcriptis teſtibus ad hoc ſpecialiter vocatis, et prædicto f. N. dictam ſententiam audiente, acceptante, *ſi acceptat* vel appellante, *ſi appellat*, et ſubſcribente etc.

Ego f. N. accepto ſupradictam ſententiam, vel appello etc.

Subſcriptiones Teſtium, & Actuarij.

Si aliter eſt ſententiandum, ſic Iudex pronunciare debet.

Dicimus, decernimus, et ſententiamus dictum f. N. benè, et legitimè appellaſſe, et dictum P. Provincialem perperam, et malo modo proceſsiſſe, vel Iudicaſſe, vel Interlocutum fuiſſe, et idcircò ad nos Iuriſdictionem procedendi in dicta cauſa, ſeù cauſis devolutam eſſe in principali etc.

Et in hoc caſu Appellans debet petere ab eodem Iudice, ut in principali procedat.

Forma Sententiæ in Tertia inſtantia.

§. 2. IN nomine Sanctiſsimæ et Individuæ Trinitatis Patris, et etc.

Nos f.N. de N. etc. Vigore Commiſsionis Eminentiſsimi Cardinalis N. noſtri Ordinis Protectoris, ex facultate ſibi à Sac. Congregatione Epiſ.et Regul. impartita, et nobis communicata, Commiſſarius Delegatus in Cauſa et Cauſis, quæ coràm Nobis in tertia, ſeù alia veriori inſtantia verſæ fuerint, et vertuntur inter P. N. de N. actorem ex una, et P. N. de N. Provinciæ N. Miniſtrum Provincialem, nec non quoſcumque alios eiuſdem Ordinis in hac Cauſa intereſſe habentes Reos conventos ex altera ſuper nullitate proceſſus fabricati contra eumdem P. N de N. de, et ſuper tale prætenſum delictum (*explica*) ſicut ſuper nullitate Sententiæ contra eumdem P. N. per dictum Miniſtrum Provincialem ſub die... etc. publicatæ, et ſubſequenter in ſecunda inſtantia per appellationem interpoſitam per dictum Patrem N., (*explica apud quem fuit interpoſita*) et deputationem. R. P. N. de N. ab eodem, (*explica à quo*) deputati, confirmatæ etc. Viſis omnibus et ſingulis, diligenterque perluſtratis in proceſſu coram eodem P. Provinciali actitatis. Item conſideratis rationibus, oppoſitionibus, et inſtantijs adductis per P. N. de N. præfatum coram R. P. N. Commiſſario in ſecunda inſtantia, et diligenter, ac omni accuratione diſcuſsis ſolutionibus, et reſponſionibus eiuſdem Commiſſarij. Et tandem viſis inſuper inſtantijs, alijſque rationibus noviter coram nobis præſentatis,

et omnibus alijs ad ſupradictas Cauſas quomodolibet ſpectantibus tàm in prima, quàm in ſecunda, et tertia, ſeù alia verſari inſtantia.

Chriſti nomine repetito, de cujus vultu noſtrum Iudicium prodeat, pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes per hanc noſtram definitivam ſententiam. Dicimus, decernimus, pronunciamus, & diffinitivè ſententiamus in Cauſa, & Cauſis in ſupradictis proceſſibus, actis, & Scripturis contentis per prædictum P. Provincialem nulliter fuiſſe proceſſum, & injuſtè Iudicatum, ac conſequenter ſupradictam ſententiam in ſecunda Inſtantia per dictum P.Commiſſarium nulliter quoque & injuſtè fuiſſe confirmatam. Ideòque ſupra utraque nullitate prædictarum ſententiarum, dicimus, pronunciamus, decretamus, & declaramus benè fuiſſe per P.N.de N. appellatum, & per conſequens dictas ſententias tamquam injuſtas, & nullas revocandas eſſe, prout harum tenore pro nullis atque irritis reputamus, & eas revocamus, ac pari modo ſententiamus, decernimus, & declaramus, nec non virtute hujus noſtræ ſententiæ dictum P. N. de N. abſolvendum fore, & eum à quibusvis criminibus (*explicentur*) aut alteriùs tituli nulliter, & injuſtè per dictum Miniſtrum Provincialem affectis abſolvimus, & liberamus, & pro abſoluto, & liberato haberi volumus. Sicut ad quæcumque Iura, & præeminentias, quas ante prædictas ſententias contra dictum P. Prolatas, retinebat, reintegrandum, prout reintegramus, & pro reintegrato pariter haberi volumus. Sicque decernimus, pronunciamus, declaramus, revocamus, reſtituimus, reintegramus, ac definitivè ſententiamus. Non ſolùm hoc, ſed &c. *ut ſupra*.

Forma Purgationis Canonicæ. Praxis Octava.

§. 1. NOs f.N. de N. Provincialis &c. pulſati infamia, quæ contra te f.N.de N., quòd, ſcilicèt, tale delictum commiſiſti (*explica*), à quo tamen delicto conſtanter aſſeris te immunem. Cùmque nullus contra te apud nos in hac Cauſa inſtet, nec factum ſufficienter, nec ſemiplenè probetur. Noſque deceat nedum à crimine, ſed etiam à ſuſpicione criminis eſſe liberos, propterea te inſtante, ut infamia abs te tollatur, & ſcandalum ab aliis, Purgationem Canonicam ſecundùm Canones concedere tibi decernimus, & de facto concedimus. Datum &c.

Ità eſt f. N. Provincialis &c. Ego f. N Actuarius.

Deindè Iudex eligat quatuor, vel quinque fratres probos, & graves, qui ſint Compurgatores, & poſſunt etiam proponi ab ipſomet Reo prætenſo, dummodo tamen ſint, ut diximus, probi, & graves Religioſi, & in eorum præſentia infamatus vocetur, & propoſito ei delicto, de quo eſt infamatus per Sancta Dei Evangelia, vel tacto pectore ſi eſt Sacerdos juret, ſe à tali crimine eſſe immunem; & tunc Fratres Compurgatores, medio eorum Iuramento dicant in conſcientia, eum recta vita, & bonis moribus ornatam cognoſcere, & credere ipſum verum juraſſe, quo facto ab infamia abſolvatur ſequenti modo.

§. 2. In Chriſti nomine. Amen. Nos f. N. de N. Provincialis &c. vel Iudex Delegatus in hac Cauſa, ſeù Cauſis, prout in Actis habetur. Conſideratis his, quæ adverſus f. N. jam apud nos de tali delicto (*explica*) infamatum, & inquiſitum co-

ram

ram nobis fuerunt actitata, omnibuſque maturè diſcuſſis, atque perpenſis, volentes ad dictæ Cauſæ expeditionem, prout par eſt devenire. Chriſti nomine repetito, ac Spiritus Sancti numine invocato, declaramus, & ſententiamus ipſi f. N. injungendam eſſe purgationem Canonicam, prout eam per hanc noſtram ſententiam injungimus ratione aſſerti delicti occulti, quod negavit, commiſsi, ei mandantes, ut juramentum præbeat ad Sancta Dei Evangelia manibus tactis Sacris Scripturis, vel tacto pectore more Sacerdotali, ſe ab eo delicto à ſe negato immunem eſſe, & nullo modo crimen ipſum attentaſſe. Quinque fratribus pari gradu ſecum adhibitis, qui vitæ morumque ſuorum notitiam habeant, et tales ſint, quòd poſſimus jure, atque merito ipſis confidere, quòd jurare auſi non fuerint; qui omnes quinque jurent, ſe credere ipſum f. N. verum juraſſe. Decernimus etiam quindecim dierum proximorum intervallum, ut hujuſmodi purgatio efficiatur, quam fieri debere mandamus coràm nobis. Reſervantes nobis facultatem aliam ſententiam juxta Canonicas ſanctiones proferendi, ſi integrè purgationem prædictam non præſtiterit. Sicque declaramus, decernimus, et ſententiamus, non ſolùm hoc ſed etc. Datum etc.

Ego f. N. pronuncio ut ſupra.
Ego f. N. Actuarius.

Poſteà tranſactis dictis quindecim diebus Iudex procedere debet ut infra.

§. 3. Die etc. in Conventu etc. Conſtitutus f. N. de N. coram Adm. R. P. N. etc. reverenter, et humiliter expoſuit ſe paratum eſſe Divina ope præſtare purgationem Canonicam ei injunctam, ut in ſententia per ipſum Admodum R. P. N. lata die .... etc. Quam oblationem admiſit idem P. ſi, et in quantum de Iure, aſſerens ſe paratum eſſe ad eam recipiendam juxta Canonicas ſanctiones, et illicò dedit illi juramentum de veritate dicenda pro ut juravit tactis Sacris Scripturis, vel tacto pectore more Sacerdotali ſe immunem eſſe à delicto, de quo ſuſpectus eſt, et infamia notatus. Quo juramento præſtito, Idem f. N. quinque Religioſos Compurgatores obtulit, videlicèt, P. P. N. N. N. N. et N., quos quidem velut idoneos ipſe Admodum R. P. admiſit, atque eos ab omni perjurio dixit. Quibus peractis Idem Admodum R. P. ipſis Compurgatoribus manifeſtavit de quo crimine dictus f. N. eſſet ſuſpectus, et diffamatus, et quomodo juramentum præſtitiſſet ſe immunem eſſe à dicto crimine, et eius attentatione. Et poſtmodum obtulit Iuramentum P. N. de N. Compurgatori interrogans eum de vita, et moribus ipſius f. N. purgandi. Qui tactis Sacris Scripturis, vel tacto pectore more Sacerdotali juravit, quod cognovit eum rectæ vitæ, bonis moribus ornatum, et ab omni ſuſpicione dicti criminis alienum; ſeque credere ipſum verum juraſſe. Deindè vocavit P. N. de N. ſecundum Compurgatorem ipſum pariter interrogans eum ſuo juramento de vita, & moribus dicti f. N. purgandi, qui et ipſe quoque juravit tactis Sacris Scripturis, vel tacto pectore etc. eum agnoſcere rectæ vitæ, bonis moribus ornatum, et ab omni ſuſpicione imputati delicti alienum; ſeque credere ipſum verum juraſſe. Sicque pari modo omnes alios Compurgatores perſonaliter, et ſeparatim vocavit, illoſque interrogavit de vita, et moribus dicti f. N. purgandi, qui omnes jurarunt eum

agnoſcere rectæ vitæ, bonis moribus ornatum etc. Et in fide omnes ſe ſubſcripſerunt etc.

Ità eſt f. N. Provincialis etc. vel etc.
Ego f. N. juravi ut ſupra: *Et ſic de reliquis.*
Ego f. N. Actuarius.

§. 4. Quibus habitis, et acceptatis à P. N. Provinciali etc. vel Commiſſario etc. Compurgatores admiſit, et commonefaciens f. N., ut tali die, et hora compareat ad audiendam ſententiam, prout de facto commonefactus, et citatus fuit per me Actuarium infraſcriptum pro tali die, et hora. Acta ſunt hæc in Conventu N. etc. In cella ſolitæ reſidentiæ die....etc.

Ità eſt f. N. &c.
Ego f. N. Actuarius etc.

Forma Sententiæ abſolutoriæ.

§. 5. IN nomine Sanctiſs. et Individuæ Trinitatis Patris, et etc. Nos f. N. de N. etc. viſa ſententia per nos die....etc. prolata, per quam f. N. de N. Purgationem Canonicam conficiendam commiſimus ſuper aſſerto delicto *(explica)* vel ejus attentatione per eum negatis, de quo, vel de quibus infamia, et ſuſpicione laborabat. Animadverſa purgatione coram nobis per eum præſtita; conſiderataque Sacrorum Canonum diſpoſitione: Ac omnibus, et ſingulis diligenter ponderatis, maturaque et accurata examinatione diſcuſſis. Chriſti nomine invocato, ac Spiritus Sancti numine implorato à quo cuncta, et integra proficiſcuntur judicia. Solùm Deum præ oculis habentes, ut de illius vultu noſtrum judicium prodeat, pro Tribunali ſedentes. Dicimus, decernimus, declaramus, et ſententiamus dictum f. N. de N. Purgationem ei impoſitam integrè, et Canonicè perfeciſſe. Quo circa de cætero exiſtimandum, et habendum eſſe à delicto ſupradicto, et eius attentatione per eum negata immunem, de quo, vel de qua infamia, vel ſuſpicione cōmaculatus erat, à quibus præſentis ſententiæ vi, quatenùs expedit, et opus eſt abſolvimus, et liberamus, ac pro abſoluto, et liberato haberi volumus. Et ad quæcumque Iura, præeminentias, et dignitates, quas ante dictam diffamationem retinebat reintegrandum eſſe, prout de facto reintegramus. Sicque dicimus, decernimus, declaramus, liberamus, abſolvimus, reintegramus, et definitivè ſententiamus hoc et omni meliori modo, et forma, quibus meliùs de Iure fieri poteſt. Datum in Conventu N. die....etc.

Ità eſt f. N. etc.
Ego f. N. Actuarius.
Lata, lecta, et publicata fuit hæc ſententia etc. *ut ſupra.*

Forma

Forma Sententiæ condemnatoriæ.

§. 6. IN nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis Patris &c. Nos f.N. de N &c. Viſa ſententia per nos prolata die..&c. per quam f.N. de N. purgationem Canonicam commiſimus ſuper aſſerto delicto (*explica*) vel eius attentatione per eum negatis, de quo, vel de quibus infamia, & ſuſpicione laborabat. Animadverſoque quòd dictus f. N. defecit in præſtanda hujuſmodi purgatione, propter quòd exhibuit ſe ipſum veluti convictum aſſerti delicti, vel eius attentationis de quo, vel de qua, ut diximus, infamia, & ſuſpicione laborabat. Conſiderataque Sacrorum Canonum diſpoſitione, ac omnibus, & ſingulis diligenter conſideratis. Chriſti nomine invocato, pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, ut de illius vultu noſtrum Iudicium prodeat, per hanc noſtram definitivam ſententiam, quam his ſcriptis ferimus, condemnamus d ctum f. N. de N. tamquam convictum, de ſupradicto crimine in pœna à noſtris Statutis taxata videlicèt, (*explica.*) Sicque declaramus, decernimus, & definitivè ſententiamus non ſolùm hoc, ſed & omni meliori modo. Datum in Conventu &c. die &c.

Ità eſt f. N. &c.

Ego f. N. Actuarius.

Lata, lecta, & publicata fuit hæc ſententia. In Conventu N. die &c.

Reliqua ut ſupra.

DIVERS

DIVERSARVM FORMVLARVM,

Pro diverſitate occaſionum applicandarum.

PRAXIS MISCELLANEA.

Forma Inſtantiæ Epiſcopo porrigendæ ab aliquo Concionatore indebitè diffamato.

§. 1. COràm Illuſtriſsimo, & Reverendiſſimo D. D. Epiſcopo N. &c. Comparet perſonaliter f. N. de N. &c. ſub hac die. . &c. & dicit ad ipſius notitiam deveniſſe quamdam gravem, ac ſuo honori, bonæ famæ, & honeſtatis præjudicialem diffamationem ortam à quibuſdam malevolis ægrè ferentibus, quòd ipſe Comparens proximo defluxo Quadrageſimali tempore à Dominatione veſtra Illuſtriſs. in Eccleſia N. ad habendas conciones deputatus fuerit: *vel ſi ex aliqua alia cauſa provenit diffamatio v.g. ex correctionibus, & reprenſionibus explica*. Cùmque dictus Comparens ob talem diffamationem ſe prægravatum ſentiat, & à nonnullis malevolis calumnioſè vexetur. Ideò Sac. Conc. Trid. *ſeſſ.* 5. *c.* 2. confiſus auctoritate ad Dominationem veſtram Illuſtriſſimam tamquam ad hoc à Sede Apoſtolica Delegatum, recurſum habet, ac reverenter inſtat à tali gravamine per Iuridicam perquiſitionem ſublevari juxta illud dicti Conc. *Curent autem Epiſcopi, nè quis Prædicator vel ex falſis informationibus, vel aliàs calumnioſè vexetur, juſtamvè de eis conquirendi occaſionem habeat*. Et ut meliùs coram omnibus manifeſta fiant ipſius Comparentis merita, vel demerita, & an dicta diffamatio habeat fundamentum in re, ſeù ab aliorum mera malignitate, odio, vel livore originem traxerit, dictus Comparens tamquam ex vi Regulæ ſuæ Sedis Apoſtolicæ immediatè ſubjectus eadem Sac. Conc. auctoritate fretus inſtat D. V. Illuſtriſsimæ, uti loci Ordinario, & in hoc à Sede Apoſtolica ſpecialiter Delegato, ut diligentem, & Iuridicam Inquiſitionem alicui Eccleſiaſtico committat, qui de vita, & moribus ipſius comparentis, ac Socij, nec non de Doctrina ab ipſo prædicata Iuridicè inquirat, & an ſcandalum, vel occaſionem ſcandali dederit, præbuerit, vel alicui perſonæ ſubminiſtraverit. Quòd ſi deliquerit ſecundùm Canonicas ſanctiones, vel per ſuos Superiores, vel per D. V. Illuſtriſsimam debitæ correctioni, & punitioni infligendæ ſe ſubmittit. Si verò innocens fuerit, nec ullam tali diffamationi activam occaſionem præſtiterit, inſtat, ac inſtantiſſimè poſtulat juſtificari, & de tali gravamine ſublevari. Non ſolùm hoc, ſed &c. Dat. &c.

Ego f.N. de N. Concionator N. &c. inſto ut ſupra.

Forma

Forma cujuſdam Inſtantiæ Eminentiſsimo Protectori porrigendæ pro diviſione alicujus Provinciæ.

§. 2. Coram Eminentiſſimo N. Religionis N. apud Sanctam Sedem Protectori Vigilantiſſimo. Comparent per præſentem Iuridicam inſtantiam infraſcripti Patres in Capitulo hujus Provinciæ N. ſub die ... &c. In Conventu N. celebrato, Vocales. Et cùm ſe prægravatos ſentiant ab his electionibus, proviſionibus, ac Capituli diſpoſitionibus, eò quòd in ipſo, & per ipſas nihil proviſum fuerit corruptelis, abuſibus, diſſenſionibus, cæteriſque Provinciæ inobſervantijs: Immò potiùs ex dictis electionibus, proviſionibus, & diſpoſitionibus, partialitates, diſſenſiones, cæteraſque ex his emergentes contra obſervantiam, ac Regularem diſciplinam corruptelas foveri magis, ac perpetuari certò certiùs videant. Ideò, ut publicæ paci, obſervantiæ, indemnitati, proprijſque conſcientijs conſulant, Iuridicè inſtant, ac inſtantiſſimè poſtulant ab E. V. uti Religionis Protectore, Correctore, & Gubernatore, quatenùs ad ejuſdem Provinciæ diviſionem (ſine qua nec pacem, nec ſalutem ſperare poſſe arbitrantur) quamprimum deveniatur. Et ità de novo inſtant, & inſtantiſſimè poſtulant infraſcripti Comparentes tàm nomine proprio, quàm aliorum, quorum vices in hoc Capitulo gerunt, & in ipſis compromiſerunt. Et eò magis inſtant, quo ſummæ per E. V. adhibitæ diligentiæ, ac proviſiones deſideratum effectum ſortiri minimè valuerint, nec in poſterum ſortiri poſſe videantur. Et idcircò inſtant, ut ſuprà, non ſolùm hoc, ſed & omni quo poſſunt alio meliori modo &c. Datum &c. *poſteà ſubſcriptiones.*

Forma cujuſdam Inſtantiæ alicui Judici præſentandæ, ut quis primò audiatur in Cauſa.

§. 3. Coram &c. Comparet per præſentem Iuridicam Inſtantiam f. N. de N. &c. & dicit ad ipſius notitiam deveniſſe P. V. Adm. R. deputatam fuiſſe in Cauſa ſibi illatæ injuriæ Commiſſarium Generalem. Ideòque tamquàm talem recognoſcens, acceptans ac ſuo Iudicio ſe totaliter ſubmittens dictus Comparens. Paternitati veſtræ tamquam ſuo Iudici exponit, quòd cum talis deputatio, ſeù Delegatio ad inſtantiam ipſiuſmet Comparentis emanata fuerit (ſicuti apparet ex Epiſtolis Eminentiſsimi Protectoris apud dictum Comparentem exiſtentibus) & illa mediante indemnitati proprij honoris, & bonæ famæ conſulere poſsit. Idcircò præfatus Comparens Iuridicè inſtat, & inſtantiſsimè poſtulat à P. V. A. R. ipſum in primo loco, & ante omnia Iudicialiter audiri, ſicuti de Iure ſibi competere videtur, ad hoc, ut meliùs ſuas Iuridicas inſtantias exponere valeat. Atque ità dicit, inſtat, ac denuò inſtantiſsimè poſtulat; non ſolùm hoc &c. Datum &c.

Ego f. N. de N. inſto ut ſupra &c.

Forma alterius Inſtantiæ pro repetitione alicujus Scripturæ, vel proceſſus.

§. 4. Coram &c. Comparet f. N. de N. &c. & cùm magis, ac magis ſe prægravatum ſentiat à diffamatione contra ipſum in Provincia per malevolos divulgata, niſi juſtificetur per definitivam ſententiam. Cùmque dicta ſententia juſtificativa non poſſit æquè, ac benè, & legitimè pronunciari ſuper actus extrajudicialiter per P. N. de N. &c. factos. Idcircò præfatus comparens, ut poſſit perfectè, & Canonicè per definitivam ſententiam juſtificari, & à prædicta diffamatione ſublevari iterùm, atque iterùm inſtat, & inſtantiſſimè poſtulat apud ſe revocari proceſſum de mandato P. N. de N. &c. fabricatum, ad hoc, ut per ipſum, & ex ipſo emanare poſſit dicta ſententia definitiva, per quam ſolummodo, & non aliter intendit ſublevari à gravamine ſibi iniuſtè illato, nec non ſuo honori, ac bonæ famæ læſæ reparari. Atque ità juridicè inſtat, non ſolùm hoc, ſed &c. Datum &c.

Ego f. N. de N. inſto ut ſupra.

Forma Decreti pro repetitione alicujus Scripturæ.

§. 5. Quoniam pro expeditione iſtius Cauſæ, ſeù Cauſarum neceſſaria videntur Acta, *vel aliqua Acta*, quæ in Archivio iſtius Provinciæ N. &c. *vel alibi* conſervantur: Idcircò volens P. N. &c. ad ulteriora procedere, ac ritè, debitèque ſuo officio ſatisfacere, decrevit, prout virtute præſentis Decreti decernit petere P. N. de N. &c. originale, vel copiam in forma autentica talis proceſſus, *ſeù Scripturarum* &c. vel ab ipſo reſultantium, & ad hanc Cauſam, ſeù Cauſas ſpectantium, ut illum, vel illam in actis hujus Cauſæ, ſeù Cauſarum inſerere valeat, aliaque præſtare, quæ de Iure noverit facienda. In quorum fidem &c. Dat. &c.

Ita eſt f. N. de N. &c. Ego f. N. de N. Actuarius &c.

Forma autenticandi copiam Actorum, & atteſtationum Teſtium &c. ex proceſſu Originali.

§. 6. De mandato Adm. R. P. N. Provincialis &c. vel &c. deſumpta, & exarata fuit præſens copia Actorum, & atteſtationum Iudicialium Teſtium, ac Scripturarum, ſeù literarum reſpectivè ex proceſſu originali hujus Cauſæ P. N. de N., & pariter cum eodem proceſſu collationata per me Actuarium infraſcriptum ad hoc ſpecialiter electum ad præſentiam infraſcriptorum teſtium inventa fuit cum eodem proceſſu Originali concordare, & ideò in præmiſſorum fidem hìc me cum dictis Teſtibus ſubſcripſi, & ſigillo ſolito officij munivi. Dat. &c. In Conv. &c.

Ego f. N. fui præſens &c. Ego f. N. fui &c.

Ego f. N. Actuarius.

Forma

Forma Decreti pro inſertione dictæ copiæ &c.

§. 7. CONſignata P. N. &c. Iudice &c. à prefato P. N. prædicta copia reſultantium ex proceſſu per P. N. de N. contra P. N. &c. conſtructo, quæ incipit &c. & deſinit &c. Sigilloque ſuo ordinario munita &c. Decrevit prout præſenti Decreto decernit dictam copiam in Actis inſerere, prout de facto inſerta fuit per me Actuarium infraſcriptum, ſignata lit. &c. animo ulteriùs procedendi prout de Iure opus fuerit. In quorum fidem. Dat. &c.

Ita eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius.

Forma Decreti interponendi in examine mulierum.

§. 8. QUoniam pro hujus Cauſæ, ſeù Cauſarum opportuna, & neceſſaria expeditione, examinandæ ſunt mulieres, obtenta jam facultate ab Illuſtriſsimo D. Gubernatore, ſeù etc. illas examinandi pro majori circumſpectione, et cautela, ultrà P. Actuarium, decrevit P. N. Iudex etc. prout preſenti Decreto decernit, aſſumere pro aſsiſtente P. N. de N., qui interveniat, et ſe ſubſcribat eorum depoſitionibus. Acta ſunt hæc in Conv. etc. die etc.

Ita eſt f. N. etc. Ego f. N. Actuarius &c.

Forma Decreti, qua aliquid in Actis inſeritur.

§. 9. ACcepta per poſtam Ordinariam à P. N. Iudice &c. in hoc Conventu N. quadam Epiſtola Reverendiſsimi P. Generalis ſub data &c., quæ poſt titulum incipit &c. & deſinit &c. qua mediante illi in parte diminuitur facultas procedendi in hac Cauſa, ſeù Cauſis per deputationem alterius Conjudicis per ipſum P. Generalem factam. Idcircò prefatus P. N. Iudex &c. tamquam obedientie filius mandatis predictis Patris Generalis obtemperare volens decrevit prout præſenti Decreto decernit ſupraſedere in proſecutione hujus cauſæ uſque ad adventum P. Conjudicis, ac interim mandavit eamdem Epiſtolam P. Generalis inſeri in actis prout de facto inſerta fuit per me Actuarium infraſcriptùm hac die . . . &c. Sicque decrevit non ſolùm hoc, ſed & omni meliori modo. Dat. &c.

Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius &c.

Forma Decreti pro admiſsione Conjudicis.

§. 10. QUoniam per recurſum, quem (ut in præfata Epiſtola P. Generalis præfertur) habuit pars ad eundem P. Generalem, ut, videlicèt, in hac Cauſa, ſeù Cauſis prædicto P. N. Iudici &c. alius adjungeretur, advenit deputatus ab ipſomet P. Generali R. P. N. de N. &c. & protulit litteras patentales ſuæ Commiſſionis, quibus in partem hujus Cauſæ, ſeù Cauſarum admittitur, quæ quidem litteræ patentales ſibi à præfato P. Generali relaxatæ, ſuaque manu ſubſcriptæ,

ac ſolito ſigillo munitæ poſt titulum incipiunt &c. & deſinunt &c. ſub data &c.

Quibus viſis, & benè conſideratis à prædicto P. N. etc. eas admiſit, et in partem præfatæ Cōmiſſionis eumdem R. P. N. &c. ſecum aſſumpſit, ut unitim, & concorditer prædictam Commiſſionem ſuper hanc Cauſam, ſeù Cauſas exequerentur, & interim dictus R. P. N. prædictas ſuas litteras patentales acceptavit, prout præſenti Decreto acceptat, decernentes in præſenti Cauſa, ſeù Cauſis in omnibus, & per omnia procedere juxta formam, & tenorem dictarum litterarum patentalium, nec non inſerti decreti P. N. Iudicis &c. quod quidem Decretum quantum in ſe eſt approbat, et confirmat, & quatenùs opus ſit illud de verbo ad verbum nullo penitùs prætermiſſo innovat non ſolùm quoad procedendum in hac Cauſà, ſeù Cauſis, ſed etiam quoad perſonam mei Actuarii infraſcripti, in quam conſentit, meque denuò unanimes quatenus opus ſit eligunt; Iubentes ut ſupra &c. & præcipientes ſecretum &c. cum proteſtatione tamen mutandi toties quoties opus fuerit, & inſuper mandantes dictas litteras patentales hic inſeri in Actis, prout de facto inſertæ fuerunt, ſignatas lit. &c. Sicque decreverunt non ſolùm hoc etc. Dat. &c.

Ita eſt f. N. &c. Ità eſt f. N. &c. Ego f. N. Actuarius &c.

Forma Decreti pro relaxatione pœnarum.

§. 11. IN nomine Domini. Amen. &c. Nos f. N. de N. Miniſter &c.

Attenta humili ſupplicatione nobis exhibita à P. N. de N. etc. qua ſecum relaxari, & diſpenſari expoſtulat pœnas ſibi impoſitas per ſententiam difinitivam contra ipſum à P. N. de N. noſtro Commiſſario pro prætenſis exceſſibus (*explica*) de quibus in Actis &c. ad quæ etc. latam die . . &c. videlicèt, privationis activæ & paſſivæ vocis, & cujuſcumque Superioritatis per duos annos inceptos à die latæ ſententiæ; pietati magis, quàm ſeveritati inclinati decrevimus, prout præſenti Decreto decernimus illum à prædictis pœnis abſolvere, prout de facto virtute præſentis Decreti illum abſolvimus, & in priſtinum reſtituimus, & ſic abſolutum, & in priſtinum reſtitutum declaramus, & volumus &c. Ità dicimus, decernimus, abſolvimus, et relaxamus &c. hoc, & omni meliori modo. In quorum fidem. Datum &c.

Ita Decrevi. Ego f. N. &c. Miniſter &c. Ego f. N. Actuarius.

Loco ✠ ſigilli

Adverte tamen, quòd talis relaxatio pœnarum non poteſt fieri, niſi per ſolum Miniſtrum Generalem; Vel per Provincialem, quando iſte in ſententia ſibi reſervavit Ius, & facultatem relaxandi, vel diſpenſandi in pœnis inflictis, & ſine tali reſervatione non poteſt ſuper illis quidquam decretare; quia data ſententia functus eſt officio ſuo.

For-

Forma præcepti alicui Superiori faciendi pro Incarceratione Rei, ſi de illius fuga timeatur.

§. 12. Cùm Apoſtolo teſte, Iudex gladium portet, in laudem bonorum, atque ad vindictam delinquentium, acciderítque diebus præteritis, ut f. N. de N. timore Dei poſtpoſito, tale delictum commiſerit (*explica*) ſicut nobis conſtat ex relationibus multorum Teſtium omni exceptione majorum, cumque tale delictum ſit de numero illorum, de quibus facilè timetur de fuga: propterea nè juſtitiæ loco deſit, utque eius punitio cæteris tranſeat in exemplum, tibi R. Patri N. &c. per præſentes committimus, & mandamus, ut his receptis dictum f. N. in carceribus tui Conventus, juſſu, & mandato noſtris in Cuſtodiam detrudas, nec illum indè extrahas, niſi à nobis licentiam in ſcriptis obtinueris. In quorum fidem &c. Datum etc.

Ego f. N. de N. præcipio, et mando ut ſupra.
Loco ✠ ſigilli

Forma cujuſdam Decreti à Iudice Delegato interponendi in publicatione ſuarum literum patentalium &c.

§. 13. Acceptatis ſupraſcriptis, et admiſſis ſi, & in quantum, volens P. Commiſſarius ad ulteriora procedere, & examinare in hac Provincia N. Religioſos de Iure in prædicta Cauſa, ſeù Cauſis examinandos, decrevit prout præſenti decreto decernit in primo loco manifeſtam facere ſuam Commiſſionem R. P. N. &c. Provinciali, ſicuti de facto illi manifeſtata fuit, & publicè lecta, ac data copia per me Actuarium infraſcriptum ipſo P. Commiſſario, & Teſtibus infraſcriptis præſentibus. Et quia dictus P. N. Provincialis, ut clarè dignoſcitur ex actis hucuſque actitatis eſt principalis. Delator contra P. N. de N. &c. Id circò in ſecundo loco virtute præſentis Decreti ſtatuit idem P. Commiſſarius in vim *l. diffamari C. de ingenuis, & manumiſſis* aſſignare, ut de facto aſſignavit ipſi Delatori terminum decem dierum ad deducendum, producendum, et probandum quidquid voluerit, & intendit contra præfatum P. N. &c. & præcipuè in ordine ad ſequentium querelarum capita in proceſſu &c. expreſſa, nempè primò in ordine ad &c. Secundò, reſpectu &c. *& ſic de omnibus capitibus querelarum, quæ omnia ſunt explicanda*. Cùm proteſtatione, quòd ſi in dicto decem dierum ſpatio non deduxerit produxerit, & probaverit vel per ſe ſe, vel per teſtes idoneos ſufficienter inſtructos prædicta. Idem P. Commiſſarius procedet prout de Iure uſque ad ſententiam diffinitivam juſtitia mediante. Sicq; ſtatuit, decrevit, & aſſignavit non ſolùm hoc, ſed & &c. Datum &c.

Ita eſt f. N. Commiſſarius &c. — Ego f. N. fui præſens &c.
Ego f. N. fui præſens &c. — Ego f. N. Actuarius &c.

Formola di una proteſta in lingua volgare.

IN nome del Signore. Compariamo in virtù della preſente noi infraſcritti Diffinitori della Provincia N. &c. davanti al Tribunale dell'Eminenza V. come Protettore, e Giudice competente della noſtra Religione, & humilmente le rappreſentiamo *(qui ſi ponga, il pregiudicio, ò gravame)*, e riſultando da ciò notabile pregiudicio, e gravame al noſtro officio, alla Provincia, & all'uſo inveterato di eſſa inſtantemente ſupplichiamo e faciamo riverente, e formale inſtanza preſſo V. Eminenza, che inibiſca al detto P. N. l'innovare coſa alcuna, & il procedere più avanti in tal fatto, appellando perciò, e reclamando dagli accennati pregiuditii, e gravami à V. Eminenza proteſtando di nullità, e d'ingiuſtitia &c. in queſto, & in ogn'altro più valido modo. Data dal noſtro Convento &c.

E poi ſi pongano le ſottoſcrittioni.

Formola di un'altra Proteſta, ò inſtanza ſimile.

Al Molto R. P. N. &c. Viſitatore, ò Commiſſario Generale nella Provincia N. &c.

F. N. da N. &c. con la maggiore riverenza poſſibile, e conveniente eſpone alla P. V. M. R. (con animo però, e proteſtatione di non conſentire in V. P. come Giudice in queſta Cauſa per eſſerli troppo ſoſpetto, rimovendo ogni conſenſo da qualſivoglia atto pregiudiciale juxta formam Iuris, & non aliter, nec alio modo), che per havere proceduto la P. V. contra eſſo. Eſponente ſenza alcun ordine di legge appartenente à Giudice, e Giudice Religioſo, anzi contra Sacros Canones, & noſtrum modum procedendi, & in fraudem legis, e per havere voluto ricevere teſtimonii eccettuati, inhabili, e ſpontanei contra formam Iuris, e ſentire le querele, e Denuntie di Emoli, & inimici dell'Eſponente, non ha havuto riguardo alla vera adminiſtratione, e zelo della giuſtitia con haverlo di più privato di voce paſſiva nel publico Capitolo ſenza ſentire prima le ſue ragioni, e difeſe, come la giuſtitia ricerca, non havendo ne meno la P. V. voluto ricevere in ſua difeſa la reſtitutione della fama fattali da f. N. da N. con lettere confirmate con giuramento al P. N. & ancora à V. P., come ho inteſo. Per le quali coſe, e per altre ancora da eſporſi à chi ſi aſpetta, la P. V. reſta molto ſoſpetta all'eſponente, prout in ſuis allegationibus demonſtrabit ſuo loco, & tẽpore oſtendendis, & allegandis. Et quia periculoſum eſt coram Iudice ſuſpecto. Cauſam dicere, per tanto eſſo eſponente ricuſa la P. V. con la proteſtatione di ſopra, di non conſentire &c. & ex nunc pro tunc, & è converſò proteſta d'avere appellato, e di appellarſi all'Eminentiſſimo Protettore tam via appellationis, gravaminis, recurſus, ſimplicis querelæ, reviſionis &c. quanto in ogni altra migliore forma, e modo, ad eſſo Eſponente de Iure competente. Et iterùm de non admiſſione præſentis proteſtationis, recuſationis, & appellationis, appellavit, & appellat modo quo ſupra ad Eminentiſſimum Protectorem,

rem, dicendo nulle, & invalide tutte le informationi, depoſitioni, e qualſivoglia atto fatto in pregiuditio dell' Eſponente nullitate promptuaria etiam ſeorsùm ab Appellatione gravamine, & alijs remedijs, ut ſupra, per eſſere ſtati fatti, e attitati contra omnem formam Iuris. Sicque proteſtatur, inſtat, recuſat, & appellat f. N. de N. non ſolùm hoc, ſed &c. Data nel noſtro Convento &c.

Io f. N. de N. proteſto, faccio inſtanza, recuſo, et appello come ſopra.

Formola per una procura.

Al Molto Reverendo Padre N. da N. &c.

NOn eſſendomi permeſſo il venire coſtà in Roma à moſtrare la mia Innocenza, e li aggravii, & ingiuſtitie fattemi molti anni ſono in queſta Provincia N. dal P. N. de N. &c. mi sforza di ricorrere alla protettione della P. V. M. R., e con quella maggiore efficacia di preghiere, che sò, e poſſo ſupplicarla volermi aprire le viſcere della ſua Carità, e rappreſentare in mio nome à Sua Santità, ò alla Sac. Congregatione de Veſc. e Regolari, ò à qualſivoglia altro Tribunale ſarà di biſogno la giuſtitia, che io tengo nella mia Cauſa, e l' aperta ingiuſtitia con la quale il prenominato Padre ſi è meco diportato. La mia Innocenza è così conſpicua, che ſinceriſſimamente poſſo dire con Seneca che *Contra omnium conſpirantium calliditatem, & ſolertiam, contraque ſictas illorum inſidias facilè ſe, per ſe ipſam defendit.* Non hà altro biſogno, ſe non che ſia portata dalla ſua prudenza. Che però con queſta mia faccio, conſtituiſco, e nomino la P. V. M. R. mio vero, e legitimo Procuratore, cõ tutte quelle ſolennità, e clauſole, che de Iure ſi ricercano in ſimili Conſtitutioni, e cõ tutta quell'ampliſſima facultà neceſſaria, & opportuna, di comparire, difendere, riſpondere, excipire, procurare, dire, è fare tutto ciò, che io ſteſſo farei, ſe coſtì preſente io mi ritrovaſſi; etiam ſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quòd præſentibus non eſt expreſſum, quæ omnia pro expreſſis habere volo. Non tralaſciando di pregarla d' impetrare da Sua Beatitudine, ò pure dalla Sac. Congregatione, che il detto P. N. dia il Sindicato del ſuo mal operato in queſta Provincia, ſi come dall'inſtruttione à parte concernente la mia Cauſa, e gli aggravii fatti al publico della Provincia potrà capacitarſi, e li ſervirà ad' informandum per ottenermi quei remedii, che in Domino ſaranno giudicati neceſſarii per il ſervitio di Dio, bene commune, e ſollievo dell'afflitta Provincia; Di tanto devo pregare, e ſupplicare la P. V. M. R., la quale riveriſco &c. Et acciò queſta mia lettera Procuratoria ſortiſca il ſuo effetto, e non habbia eccettione di ripulſa, ho voluto ſcriverla, e ſottoſcriverla di mia propria mano, & autenticarla con la ſottoſcrittione degli infraſcritti teſtimonii ſpetialmente da me pregati ad intervenire, e ſottoſcriverſi à queſto atto. Data dal Convento di N. &c.

Io f.N. da N. ho ſcritta, e ſottoſcritta la preſente, in virtù della quale conſtituiſco, e di novo confermo mio Procuratore il P. N. da N. &c.

Io f. N. da N. aſſeriſco con mio giuramento, come queſta lettera Procuratoria in perſona del P.N. da N. è ſtata ſcritta, e ſottoſcritta alla mia preſenza, e del infraſcritto teſtimonio P. N. da N. In queſto Convento di N. & in queſto giorno &c.

Io

Io f. N. da N. aſſeriſco con giuramento come queſta lettera Procuratoria in perſona del P. N. da N. è ſtata ſcritta, e ſottoſcritta dal P. N. de N. alla mia preſenza, e del ſudetto P. N. In queſto Convento &c. & in queſto giorno &c.

Forma di una Denuntia, à favore del Denunciante.

Al M. R. P. N. da N. Miniſtro Provinciale della Provincia N. &c.

IO f. N. da N. &c. ritrovandomi molto aggravato, e pregiudicato nel buon nome, fama, e riputatione da f. N. da N. per le publiche diffamationi, e mormorationi, che contra di me và ſpargendo per la Provincia, e ſingolarmente ne Conventi di N. & N. alla preſenza di molti Religioſi, bramando per ciò di provedere alla propria indennità, & alla ſalute del medeſimo Frate, compariſco avanti la P. V. M. R. con la preſente, in virtù della quale intendo di giuridicamente denuntiare nel di lei Tribunale lo ſteſſo f. N. da N., come publico detrattore della mia fama, e riputatione, e fare inſtanza alla P. V. M. R. come Giudice di procedere contro di lui, già che non ha mai voluto emendarſi, non oſtante le Correttioni, & ammonitioni, che ſopra ciò li ſono ſtate fatte dalli P. N. & N., che anzi ſempre più ſi è fatto peggiore. Proteſtandomi di non denunciarlo ne per odio, ne per livore, ò paſſione, mà per puro zelo della di lui ſalute, e del mio honore, e riputatione, & affinche mi ſia reſtituita la fama levata con le di lui mormorationi, e diffamationi. Teſtimonii di queſte ſaranno li P. N. & N. Data nel noſtro Convento di N. &c.

Io f. N. de N. Denuntio come ſopra.

DE ARTICVLIS CONFICIENDIS ad Defenſionem Reorum.

DE DEFENSIONE IN GENERALI.

Regula Prima.

§. 1. DEfenſiones Reorum cùm ſint de Iure naturæ Gentium, Civili, & Canonico, idcircò in omni Iudicio quantumvis ſummario, de plano, & ſine ſtrepitu, ac figura Iudicij, ipſis reis ſunt offerendæ, ità quòd, ut nec à ſupremo Iudice denegari poſſint, & illis denegatis, poſteriora omnia ſunt nulla, & Rei ſunt abſolvendi, & Iudices in ſyndicatu puniendi. *Marſ. conſ. 95. num. 7. & 10. Vulpel. reſp. 21. nu. 6.* & communiter omnes. Sed quia dari non poteſt certa regula, quoad formationem Articulorum ad Reorum defenſionem producendorum propter imputationum, & criminum variationem. Ideò Advocati, ſeù Cauſarum Defenſores in primis, & ante omnia diligenter non minus, quàm accuratè inſpicere debent criminum titulos, qualitates, circumſtantias, & alia ex proceſſibus reſultantia, quæ ad ſuorum principalium defenſionem ſufficere poſſunt. Pro quo, in primo loco animadvertere debent tàm Iudices, quàm Cauſarum Defenſores, ſeù Advocati, quòd cùm defenſio ſit magis favorabilis, quàm offenſio *l. favorabilior §. de reg. Iur. Marſil. ſing. 90. Boſſ. in pract. tit. de favorab. defenſ. n. 2.* Ideò quotieſcumque Fiſcus, vel Actores delicta non probent, Rei ſunt abſolvendi, licèt pro ſua Innocentia nihil deduxerint, nec probaverint. *l. qui accuſatore 4. Cod. de edendis. Clar. q. 62. Surd. lib. 3. conſ. 379. Maſcar. lib. 1. de prob. concl. 36. n. 1. & ſeq. Farin. in frag. lit. A. nu. 26. Guaz. def. 29. c. 1. n. 6. Cabal. reſol. crim. caſ. 200. n. 11. cent. 2. Vermil. conſ. 6. n. 14. & conſ. 386. n. 1.* Quæ propoſitio adeò eſt vera, ut reo inquiſito ſufficiat tantùm delictum negare, itàut nihil teneatur probare pro parte ſua. *Dec. lib. 3. conſ. 96. n. 28. Maſc. ibid. Scac. de Iud. lib. 1. c. 93. n. 3.* Et hoc procedit etiamſi Accuſator, vel Actor eſſet vir nobilis ſpectatæ fidei, & vitæ inculpatiſſimæ, Reus verò è contra eſſet homo malæ famæ &c. ut notat Ioſeph Ludov. *concl. 14. in 4. amplific. Paccian. lib. 1. de probat. c. 7. n. 9. & ſeq. & c. 67. n. 6. Farin. ibid. nu. 29. Guaz. loc. cit.* In quo caſu tamen non eſt abſolvendus ut innocens, ſed tantùm ab obſervatione Iudicij cum clauſula *Rebus ſic ſtantibus.* vel *Ex hactenùs deductis* &c. & ſic in hac forma abſolutus, iterùm moleſtari poteſt novis ſupervenientibus indicijs. Immò ſi Reus ipſe aſſumpſiſſet in ſe unus probandi ſuam innocentiam, & poſteà defeciſſet, adhuc Actore, vel Fiſco non probante, Reus eſſet abſolvendus. *Maſc. in rub. de prob. n. 458. Dec. conſ. 517. n. 5. Caſſon. conſil. 58. n. 10.* Eòque magis procedit,

cedit, ſi in probationibus uſus fuerit ſolitis clauſulis *Citra onus* &c. *Non ſe adſtringens* &c. quia cenſetur noluiſſe recedere à diſpoſitione Iuris communis.

§. 2. In ſecundo loco tàm Iudices, quàm Advocati animadvertere debent, quòd data paritate probationum inter Inquiſitum, & Fiſcum, in dubio pronunciandum eſt pro Reo. *l. abſentem. l. ſi præſes. l. interpretatione ff. de pœnis cap. ex litteris de probat. Dec. lib. 3. reſp. 59. n. 7.* Nam in pari probatione Fiſci, & Rei prævalent probationes Rei. *Riminal. Iun. lib. 4. conſ. 359. n. 3.* Et dato etiam quod Inquiſitus haberet aliquas præſumptiones, & indicia pro ſe, operantur, ut indicia Fiſci debeant eſſe graviora ad afficiendum eumdem Reum. *Bart. in l. 1. §. ad quæſt. verſ. nec facilè ff. de quæſt. Gram. conſ. 57. n. 23. & ſeq. Rol. lib. 1. conſ. 7. n. 40.* Quòd multò magis procedit, quando indicia Fiſci ſunt dubia; cùm nullus Iudex condemnare debeat aliquem quando dubitat, vel quando probatio Fiſci redditur dubia. *Navar. in manual. 27. n. 193.* cùm in Iure manifeſtum ſit nullum poſſe judicialiter damnari ex incerta, & dubia cognitione *D. Th. 2. 2. q. 69.*, & eſt de Iure naturæ, ut omnes Doctores affirmant. Et ſic non poteſt damnari, immò nec apud Regulares conſtitui ex ſolis ſimplicibus indicijs, ſeù præſumptionibus; quia præſumptio non eſt niſi opinio, opinio verò eſt incerta, & dubia cognitio, quæ non probat præſumptum, & opinatum. Et ideò *D. Th. ibid. q. 6. a. 3.* dicit mortaliter peccare Iudicem, ſi reum damnat ex ſola opinione.

§. 3. Et ſi offenſio fuit probata præſumptionibus, & conjecturis, tunc præſumptiones excluſivæ delicti præferuntur præſumptionibus includentibus delictum. *Burſat. lib. 1. conſ. 94. n. 22. Socin. Sen. lib. 1. conſ. 118. n. 8. Dec. lib. 3. reſp. 65. n. 8. Oldr. conſil. 53. n. 3. Riminal. Iun. lib. 6. conſ. 683. n. 29. Surd. lib. 1. conſ. 132. n. 55. Honded. lib. 2. conſ. 88. nu. 20. Eug. conſ. 76. n. 51.* Et una præſumptio elidit aliam, unum indicium elidit aliud, & una conjectura elidit aliam maximè in criminalibus. *Bertaz. lib. 2. conſ. 251. nu. 62. & 63. Dec. lib. 2. reſp. 93. num. 89.* quòd ſingulariter procedit in delicto probabili per conjecturas. *Maſc. lib. 1. concl. 405. n. 5.* & etiam in his, quę ſunt de genere prohibitorum. *Rim. Iun. lib. 6. conſil. 63. n. 56.* Immò defenſio habet hoc privilegium, ut probetur pręſumptionibus, & conjecturis. *Marſil. ſing. 19. in fine. Gram. conſ. 29. n. 3. Cravet. conſ. 2. n. 10. Boſſ. de favor. def. n. 3. in fine. Gomez. tit. de delict. c. 3. nu. 27. Maſc. de prob. lib. 1. concl. 492. n. 1. Farin. lib. 1. conſ. 6. n. 15. & ibi in add. lit. H. conſ. 35. num. 54.* Ubi dicit hoc habere locum etiam in criminibus exceptis. Et ſatis eſt, quòd probatio Fiſci reddatur dubia ſecundùm communem opinionem teſtatam per *Seyſel. in l. ut crimen. in 2. lect. nu. 94. ff. de juſt. & Iur.* Eòque magis procedit, quando offenſio fuit probata conjecturis, & pręſumptionibus. *Alc. de præſumpt. reg. 3. præſumpt. 39. n. 2. Vulpel. reſp. 44. n. 8. Maſc. ibid. concl. 491. n. 3.* Ac etiam probatur per pręſumptiones dubias, minus concludentes, et minus legitimè probatas. *Natt. lib. 2. conſil. 319. n. 2. Maſc. ibid. n. 8. Plot. lib. 1. conſil. 60. num. 25. Eug. conſil. 31. n. 70. lib. 1.* Et Farin. *in conſil. 79. n. 25.* dicit, quòd ſemiplena probatio Rei, pro plena probatione habetur, ubi teſtatur hoc eſſe certum in Iure, et ibi alios allegat. Ità quòd in favore defenſionis probent etiam teſtes non reddentes cauſam ſcientię. *Clar. Vir. Honded. & alii*, quos refert, & ſequitur Guaz. *def. 29.*

c. 3. n. 10. Et etiam deponentes de credulitate ad defenſam plenè probant. *Gomez. tit. de delict. c. 3. n. 27. Gram. conſil. 23. n. 27. Mazzol. conſ. 77. n. 10. Bertaz. lib. 2. conſ. 312. n. 5.* Et hoc magis procedit, quando iſti teſtes de credulitate rationem reddunt ſui dicti. *Idem Mazzol. conſ. 57. nu. 10.* vel probabilem cauſam defenſionis, licèt non neceſſariam. *Farin. conſil. 6. n. 39.* Et ſub *n.* 40. dicit, etiam ſi rationem redderent per ſolam famam, et ſub *n. 33. & ſeq.* poſt alios, quos allegat, teſtatur de communi, & dicit procedere, licèt dictam cauſam ſcientiæ non redderent.

§. 4. Item teſtis unicus probat plenè ad defenſam, *ut poſt Cravis. Boſs. Anchar. Vulpel. Maſc. Honded. & Farin. per eum relatos tradit Guaz. ibid. n.* 12. Hinc dicunt Doctores, quòd per unum teſtem probatur aggreſſio, vel provocatio. *Paſſet. conſ.* 202. *n.* 10. Et per unum teſtem quis excuſatur à pœna. *Farin. conſ. 9. n. 41. Surd. lib. 2. conſil. 173. n. 64. & ſeq.* Immò volunt aliqui, ut ſit vera iſta opinio, etiam ſi accuſator probaverit plenè delictum, & è contra unus teſtis probet defenſionem, Inquiſitus ſit liberandus à pœna, & abſolvendus. *Surd. ibid. n. 6.* Et etiam magis creditur teſtibus deponentibus pro defenſione, quàm contra defenſionem. *Rol. lib. 2. conſ. 63. n. 44. Bertaz. lib. 2. conſ. 261. n. 102. Farin. conſ. 39. nu. 15.*, ubi alios allegat, & in pari numero magis creditur deponentibus pro defenſione. *Maſc. concl. 497. nu. 15.*, ubi infinitos cumulat. Et dato, quòd probationes Fiſci in aliquo excederent probationes Rei, iſtæ illis prævalere debent. *Maſc. Guaz. def. 29. c. 3. n. 1.* Ubi infert, quòd pro Reo in criminalibus probationes ſunt ampliandæ, & pro Actore reſtringendæ; & quòd magis creditur teſtibus deponentibus pro non delicto, quàm pro incluſione delicti: & ſic præſumptiva probatio Rei tollit veram præſumptionem Fiſci. *Mod. Rom. conſ. 78. in fine*, ubi teſtatur de communi. Undè ex probatione bonæ famæ tollitur omnis præſumptio, quæ contra Inquiſitum, vel diffamatum eſſe poteſt; ut dixit Rim. Sen. *conſ. 95. nu. 19.* Et generaliter admittunt Doctores, quòd ex probatione bonæ famæ corruunt indicia, ac præſumptiones, quæ pro delicto vigerent. *Bald. conſ. 140. Cravet. conſ. 244. n. 6. lib. 2. Rim. Iun. conſ. 647. n. 19. & ſeq. lib. 6. Honded. conſil. 90. n. 27. 28.* Et ſufficit, quòd offuſcet probationes Fiſci, & reddat rem dubiam; quia ſuper delicto dubio, non poteſt fieri ſententia certa. Sicuti etiam per probationes dubias, minuſque concludentes, ac non legitimè probatas probatur Rei defenſio, ut alibi diximus *Vulp. conſ. 97. n. 4. Honded. lib. 1. conſ. 100. n. 34. & conſ. 102. n. 1. & lib. 2. conſ. 99. n. 20. ubi teſtatur de communi.* Et non ſolùm probatur defenſio, ſed etiam innocentia. *Bart. in l. non ſolum §. probari. ff. de novi operis nunc. Cravet. conſ. 2. n. 12. Menoch. de præſumpt. lib. 5. præſump. 3. n. 50. Boſſ. tit. de def. reor. nu. 12. Bertaz. conſ. crim. 439. n. 12. & conſ. 539. n. 2. lib. 2.*

§. 5. Et quia, ut ſupra diximus, defenſio eſt magis favorabilis, quàm offenſio, idcircò ſi duo Clerici deponunt v. g. ad offenſam Rei in favorem Fiſci, vel Actoris, & duo Laici ad defenſam eiuſdem Rei contra Fiſcum, vel Actorem ſtandum erit dicto Laicorum, quamvis ſint inferioris conditionis. *Gloſ. in c. Cler. 81. diſt. Innoc. in c. dudum 2. de elect. Boſſ. ibi. Cavalc. de teſt. part. 2. n. 178.* Et idem dicitur de teſtimonio mulierum ad defenſionem, nempè, prævalendum eſſe teſtimonio ma-

ſculorum ad offenſionem. *Caval. ibid. & p. 1. n. 64.* Eadem cauſa defenſionis magis credendum eſt paucioribus teſtibus, quàm aliis majoris numeri. *Cavalc. p. 3. n. 151.* Sicuti etiam eadem cauſa admittuntur teſtes inhabiles ad probationem innocentiæ. *Plot. conſ. 60. n. 8. & 25. Gram. deciſ. 24. n. 16. Cravet. conſil. 2. n. 10. Clar. in pract. §. final. q. 24. verſ. item ſcias.* Ubi dicitur Iudicis arbitrio remittendum eſſe, quanta fides eis ſit adhibenda. Et licèt admittantur cùm ſuis imperfectionibus, & non probent plenè, ex habilitate tamen aliorum teſtium, eorum inhabilitas ſuppletur, cùm ſit regula univerſalis, ut inhabilitas teſtis ſuppleatur habilitate alterius teſtis habilis. *Gomez. tit. de d lict. c. 12. n. 21. Farin. q. 62. num. 318. Gab. concl. 5. n. 1. de teſt.* Qui loquuntur quando novus teſtis concurrit, ſi verò plures concurrerent, eò magis probarent. *Gab. ibid. n. 7. Farin. ibid. n. 331.* Et in omni caſu aliquid probant, & maximè attenta eorum qualitate, & facti circunſtantiis juvant ad minuendam pœnam. *Menoch. caſ. 587. n. 2. Guaz. def. 29. c. 3. n. 8. & 9.* Et quamvis aliqui Doctores apud Batar. *in q. 24. n. 133.* teneant, ſocium criminis non admitti ad defenſam conſocii, contraria tamen ſententia eſt verior; quia ſi in proceſſu offenſivo ſocius criminis admittitur ad fundandam intentionem Fiſci contra Reum, debet etiam admitti in proceſſu defenſivo ad favorem Rei. *l. fin. C. de fruct. & lit. expenſ. l. in judiciis de reg. Iur. & in terminis Cavalc. de teſtib. p. 5. n. 200. Paſſar. q. 26. n. 94.* Et ſocii criminis depoſitio ſaltim juvabit, ut elidat indicia Fiſci, & ſic aliquam probationem faciet. *Farin. conſ. 66. n. 25.* Item in favorem defenſionis frater pro fratre, & conſanguineus, ac affinis admittuntur pro defenſione conſanguinei, & affinis; & etiam admittuntur domeſtici, & familiares. *Guaz. ibid. n. 5. & 7.* Quòd magis, procederet, ſi cum fratre concurreret alius teſtis idoneus. *Farin. q. 62. n. 336. Rol. conſil. 7. n. 24.* Et affinis, ac conſanguineus inducerentur ad probandam immediatè ipſam defenſionem, non autem ad probanda adminicula. *Gram. deciſ. 34. n. 14. Maſc. lib. 1. concl. 412. n. 8. Rim. Iun. lib. 3. conſ. 299. n. 40.* cùm nec etiam ſuper adminiculis probandis admittatur pro Fiſco teſtis inhabilis contra Reum. *Dec. conſil. 37. nu. 9. verſ. 6. & ult. Burſat. lib. 4. conſil. 430. nu. 15. Cravet. conſil. 9. n. 6. & 57.* Et idem dicitur quando proceditur ex officio, ut admittantur ad defenſam, ſecùs ſi ageretur ad querelam partis. *Gram. conſil. 12. n. 19. & ſeq. & conſil. 32. n. 13.*

§. 6. Interpretatio pariter ſemper fieri debet in benigniorem partem pro excluſione delicti. *Gram. conſ. 36. n. 8. Rim. Iun. lib. 5. conſ. 817. n. 41. Guaz. def. 29. c. 2. n. 4.* Et maximè quando agitur pro homine probatæ fidei, & rectæ conſcientiæ. *Eug. conſ. 76. n. 52.* Et omnis admittitur interpretatio excluſiva delicti. *Burſ. lib. 4. conſ. 389. nu. 11.* Undè verba, quæ ſecundùm diverſum intellectum trahi poſſunt in bonum, vel malum ſenſum in bonum ſenſum accipi debent. *Maſc. de prob. lib. 2. concl. 1003. n. 7. Farin. q. 85. n. 57.* Sic ly *Date, percutete* cùm poſſint referri ad occidendum, & vulnerandum, reſtringi debent ad vulnerandum. *Rim. Iun. lib. 3. conſ. 310. n. 20. Dec. lib. 3. reſp. 4. n. 33.* Et quando poteſt deſumi alia interpretatio quàm delictum, pro non delicto interpretari debet. *Mazzol. conſil. 101. n. 16. Eug. conſ. 76. n. 51.* Ut ſi quis minatus fuerit aliquem dicendo. *Farò, Dirò*, intelligi debet per viam Iuris, & non de facto. *Alex. lib. 4. conſ. 136. n. 2.*

Et ſi

Et ſi dixerit. *Io farò la mia vendetta*, ſeù *Mi vendicarò*, interpretari debet de Iuridica vindicta. *Alex. lib. 7. conſ. 198. n. 7. Dec. lib. 3. reſp. 4. n. 34. Menoch. de præſump. lib. 1. q. 89. n. 66. & conſ. 285. n. 1. præſump. 1. Gloſ. 1. in l. 1. C. de his quibus*. Et idem dic de aliis ſimilibus verbis dubiis, & etiam ambiguis, ac indifferentibus, quæ ſemper interpretari debent ad excluſionem delicti. *Ruin. lib. 3. conſ. 145. n. 24.* Et ſic verbum *Auferre* cùm habeat duplicem ſignificationem, & poſſit referri ad violentiam, & non violentiam, referri debet ad non violentiam. *Ang. in l. poſtquam in fin. ff. de petit. hæred. Natt. lib. 3. conſ. 592. num. 11. & ſeq. Item Conatus*, cùm poſſit intelligi de bono, & malo facienda eſt interpretatio de bono, & non de malo, ut excludatur delictum. *Natt. ibid. Cravet. conſ. 386. nu. 3. conſ. 596. n. 11.*

§. 7. Et quando intelligi non poſſunt pro excluſione delicti, interpretari debent in mitiorem partem, ut in illis verbis *dagli dagli* ſcilicèt, cum pugno, & ſimili. *Dec. lib. 3. conſ. 145. n. 24.* Sicuti etiam illud verbum. *Tu dici il falſo* non infert injuriam, quia poteſt intelligi de re ipſa falſa, non de propoſito proferentis. *Bertaz. conſ. 152. nu. 11.* Et idem procedit in iſtis aliis verbis. *Se non farai la tal coſa per amore, te la farò fare per forza*. interpretari debent de vi non punibili. *Filiuc. alleg. 25. p. 1. n. 27.* Et ſimiliter, quando ex aliquo facto poteſt adaptari maior, vel minor pœna, debet interpretari quòd Inquiſitus fecerit illud, pro quo minor pœna imponitur. *Cravet. conſ. 6. n. 69. Rol. lib. 3. conſ. 1. n. 37. Dec. lib. 2. reſp. 67. nu. 12. & ſeq. Rim. Iun. lib. 7. conſ. 743. n. 11. & 26. Bertaz. lib. 2. conſ. 261. n. 10. Farin. conſ. 61. n. 12.* Et ob id, licèt in his, quæ ſunt de genere prohibitorum præſumatur factum doloſum: tamen interpretari debet, ut delictum ſit minus. *Cravet. ibid.* Item quando concurrunt duæ præſumptiones, quarum una excludit, & alia includit delictum, accipienda eſt illa, quæ delictum excludit. *Maſc. de probat. lib. 2. concl. 864. n. 50.* Ut ſi quis v. g. combureret, vel laceraret aliquam Scripturam, quæ præſumebatur continere aliquam falſitatem, arbitrandum erit, fuiſſe combuſtam, vel laceratam ad occultandam falſitatem in ipſa contentam, & non ad committendum aliud delictum. *Cravet. conſ. 6. n. 69. circa med.* In verbis tamen minatoriis, ſi minans eſſet ſolitus minas exequi, vel eſſet malæ famæ, licèt condemnari non poſſet, torqueri nihilominùs poterit. *Guaz. def. 29 c. 2. n. 10.*

§. 8. Et tandem ad favorem defenſionis deducere poteſt Advocatus, quòd ſi principium fuit licitum, etiam finis erit licitus, vel è contra, attenditur enim id, quod eſt licitum, ſive ſit principium, ſive finis. *Bart. in l. quod ait lex. ff. de adult. in fine*, ubi alios citat: ut ſi v. g. Maritus, vel Pater ex juſta cauſa uxorem, vel Filium verberat, & ex talibus verberibus fortuitò occiderentur; quia ipſis permittitur ex juſta cauſa illos caſtigare, excuſantur. Et teſtibus deponentibus homicidium commiſſum fuiſſe furtuito caſu, & non conſultò magis creditur, quàm teſtibus contrarium aſſerentibus *Maſc. concl. 497. n. 16.* Ex his colligitur primò, quòd ſi percuſſus in eodem inſtanti repercuteret, vel graviter injuriatus, injuriaret, ſi non in totum, ſaltem in parte excuſatur; ut enim docent *Farin. q. 15. n. 134. Guaz. & communiter omnes* ſemper interpretatio in benigniorem partem eſt facienda ad excluſionem delicti. Colligitur ſecundò, quòd ex facto punibili, cui major, vel mi-

 nor

nor pœna debetur, interpretatur de minori. Et ſi in dicto facto interveniat Vis, Ignorantia, vel metus, cùm iſta tollant libertatem, vel illum minuant, ut inquit D. Th. *p. 2. q. 6.* & conſequenter excludant dolum; idcircò Inquiſitus vel omninò liberabitur à pœna, vel mitiùs erit puniendus. *Paſſar. q. 28. a. 2. n. 23.* Vis enim, quia cauſat omninò involuntarium ab omni culpa, & pœna excuſat. *D. Th. ibid. a.* 8. Ignorantia autem tàm Iuris, quàm facti ſive ſit craſſa, ſive ſupina, dummodo non ſit affectata excuſat à pœna impoſita illis, qui ſcienter aliquid faciunt; quia excuſat à dolo, & conſequenter à pœna ordinaria. *Card. in Clem. 1. q. 39. de privil.*

§. 9. Pro quo ſciendum eſt, aliam eſſe ignorantiam Iuris, aliam facti, aliam pœnæ. Ignorantia Iuris eſt, quando neſcitur præceptum, vel prohibitio: & ſubdividitur in ignorantiam Iuris communis, & Iuris particularis. Prima conſiſtit, quando ignoratur Ius, ſeu lex univerſalis, quæ univerſaliter obligat: Secunda verò, quando ignoratur Ius obligans ſolùm aliquas particulares perſonas, vel tantùm in aliqua particulari Religione. Ignorantia Iuris tàm communis, quàm particularis dummodò invincibilis, & probabilis ſit, ſicut excuſat à culpa, ità, & ab omni pœna. *Paſſar. q. 28. a. 2. n. 47.* Et hoc etiam patet ex cap. 2. *de conſtit. in 6.* & ratio eſt; quia quantitas pœnæ proportionari debet delicto. *c. Fælicis de pœnis in 6.* Cùm igitur delictum ſit levius, quando ignoratur lex continens graviſſimam, & extraordinariam pœnam, quàm quando violatur lex cognita, per conſequens delictum non debet puniri eadem pœna quando lex ignoratur, ac quando ſcitur. *Bonac. de cenſur. diſp. 1. q. 2. punct. 1. propoſit. 1.*

§. 10. Ignorantia facti contingit, quando adeſt ſcientia, & notitia legis, ſeù Iuris, ſed ignoratur factum; ut ſi quis occideret hominem, credens eſſe feram excuſatur à pœna, vel ſi quis percuteret Clericum exiſtimas eſſe Sæcularem. *c. ſi verò 2. de ſent. excommun.*, quia ſicut ignorantia excuſat à peccato, ità etiam excuſat à pœnis conſtitutis propter peccatum. *Bonac. ibid. prop. 2.*

Ignorantia pœnæ eſt quando neſcitur latam eſſe talem pœnam contra delinquentes: Undè ſi quis ſciret, aliquod delictum prohibitum fuiſſe ab Eccleſia, vel à Lege communi ſub aliqua certa determinata pœna, ſed neſciret prohibitum fuiſſe ab aliqua particulari lege, ſeù Statuto, aut Religione ſub pœna majori, non incurrit talem pœnam majorem, ſeù exorbitantem, aut extraordinariam, ſed tantùm illam à lege communi, & univerſali taxatam, ac ipſi delinquenti notam; & ratio eſt, quia pœna debet proportionari delicto: cùm igitur minus delinquat, qui neſcit pœnam appoſitam eſſe tali delicto, quàm qui illam novit, per conſequens nec debet incurrere eandem pœnam; ſed tantùm, ut dixi, ordinariam, & mediocrem: nam delinquens, aut novit pœnam mediocrem, & ordinariam, aut ſcire debuit, & potuit ſaltem lumine naturæ dictante delicta mediocriter punienda eſſe: *l. ita vulneratus ff. ad l. Aquil.* Et ſic ignorans pœnam delicto appoſitam, non excuſatur à mediocri & ordinaria, ſicut benè excuſari poteſt ab extraordinaria, & exorbitante ab aliquo particulari Statuto, aut lege, vel Religione taxata, ac ipſi delinquenti ignota. *Bonac. ibid. prop. 3. Suarez diſp. 4. ſect. 9. n. 22. de pœnis human.* Dummodo tamen talis ignorantia non ſit affectata, craſſa, & ſupina.

§. 11. Pro cujus intelligentia advertendum eſt, Ignorantiam dividi in probabilem,

lem, quæ dicitur invincibilis, & inculpabilis; ac in improbabilem, quæ vincibilis, et culpabilis nuncupatur. Ignorantia probabilis eſt illa, quæ vinci poteſt; undè qui nihil unquam audivit de pœna exorbitanti ab aliquo particulari Statuto, vel Religione alicui delicto impoſita, vel nihil unquam dubitavit de tali pœna, aut nihil de illa cogitavit, dicitur habere ignorantiam probabilem, ſeù invincibilem de tali pœna; et ſic ab illa excuſatur, et eximitur. Et idem dicitur de illo, qui ignorat ea, qui ſcire tenetur, et poſito dubio debitam diligentiam adhibuit ad ea cognoſcenda, ſed nondum cognovit; cùm et hæc dici poſſit ignorantia probabilis. *Bonac. de cenſ. diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 3. Vincibilis verò et culpabilis eſt illa, quæ vinci potuit, ſed ignorans non adhibuit ſufficientem diligentiam juxta qualitatem negotij ad illam vincendam: et hæc ſubdividitur in affectatam, et in craſſam, ac ſupinam. Ignorantia affectata eſt, quando quis eligit neſcire pœnam, ut ab illa ſe eximat. Craſſa verò, et ſupina licèt à Bonac. *loc. cit. n.* 4. diſtinguatur à vincibili; nihilominùs à Suarez *de cenſ. diſp.* 4. *ſect.* 10. *nu.* 10. quoad ſubſtantiam non diſtinguitur à vincibili, et ſic non minuit pœnam, quinimmò auget: cùm delinquens eligat illam ignorantiam, ut liberiùs peccet. *Suar. ibid. n.* 3. Et ignorantia in dubio præſumitur. *Bertaz. conſ.* 33. *n.* 2. *Hondedl. lib.* 1. *conſ.* 109. *n.* 68. *& ſeq. Mazzol. conſ.* 64. *n.* 21. *& ſeq.* qui omnes concludunt, ut Fiſcus teneatur probare contrarium, nempè ſcientiam, cùm ipſa non præſumatur, ſicut ignorantia. Immò quòd dicta ſcientia ſit probanda ſpecificè cum ſuis qualitatibus, et circunſtantijs, nec ſufficeret illam probare in genere. *Menoch. caſ.* 357. *n.* 15. *Bertaz. conſ.* 439. *nu.* 7. *& ſeq.* Metus verò ſi ſit cadens in conſtantem virum, vel excuſat omninò à culpa, quando lex non obligat ad ſui obſervantiam cum gravis damni periculo, et etiam aliquando excuſat à pœna, vel ſaltem excludit dolum, et minuit pœnam. *Farin. q.* 97.

§. 12. Undè Advocatus invigilet, an ex proceſſu reſultet, quòd Reus ex dolo deliquerit, vel ſine dolo, cum dolus in dubio non præſumatur. *l. Dolum. C. de dolo*: Et ob id debet per Adverſarios, vel per Fiſcum probari. *Guid. de Seiz. de indic. n.* 86. *& ſeq. Gomez. cap.* 13. *n.* 6. *Menoch. caſ.* 340. *n.* 13. *Bajar. q.* 64. *n.* 108. Et ſi conſtat, quòd ſine dolo deliquerit mitiùs, ut diximus, erit puniendus. *Tiraq. de pœnit. temp. conſ.* 14. *n.* 1. *Dec. in tract. crim. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 9. *Menoch. de arbit. caſ.* 324. *n.* 12. Sicuti è contra ad pœnam ordinariam imponendam ſemper requiritur dolus. *l.* 1. *§. Divus Adrianus. Gomez. de delict. c.* 3. *n.* 15. *Boſſ. tit. de Inquiſ. num.* 113. *Menoch. ibid. n.* 2. *Clar. q.* 21. *n.* 12. Nec voluntas agendi præſumitur doloſa, maximè ſi factum nullum commodum poſſet afferre agenti, vel ſi ex aliqua cauſa juſta, vel colorata ille motus fuerit. *Rip. de noctur. temp. c.* 16. *per totum. Maſcar. concl.* 532. *per totam.* Et idem dicitur de culpa lata, quæ quamvis in capitalibus, & alijs pœnis corporalibus, non æquiparetur dolo, tamen punitur, licèt mitiùs puniatur, quàm dolus. *Eſach. deciſ.* 140. *n.* 5. *Clar. §. homicid. verſ. culpa dicitur. Menoch. ibid.* Præter has cauſas generales, multæ particulares recenſentur, in quibus aliqua ex his tribus reperitur, & ex quibus pœna legis vel tollitur, vel minuitur, ac quibus mediantibus poteſt Advocatus ſuum Clientem defendere ſi non à tota, ſaltem à pœna ordinaria.

Et

§. 13. Et primò mitiùs puniuntur Senes, quando agitur de pœna corporali. *ex l. 2. ff. de term. mot.* Senectus autem incipit ab anno 50 expleto, & durat uſque ad 70; in quo incipit decrepitas. *Menoch. ibid. lib. 2. caſ. 59. n. 1. Farin. q. 92. n. 12.* Et idem dicitur de Minoribus, qui defectu ætatis vel non puniuntur, vel mitiùs puniuntur. Ex ijs verò alij ſunt infantes ſcilicet pueri uſque ad 7. ætatis annum incluſivè. *l. ſi infanti Cod. de Iure deliber.* Alij proximi infantiæ, ſcilicèt, à ſeptimo uſque ad nonum ſi ſint fœminæ, & ad nonum cum dimidio, ſi ſunt maſculi. Alij verò dicuntur impuberes, nempè, à ſeptimo anno uſque ad quartum decimum ſi ſint maſculi, ſi autem fœminæ uſque ad duodecimum. Farin. tamen *ibid. n. 7. & 20.* dicit pueritiam durare uſque ad decimum ſeptimum in maſculis, in fœminis autem uſque ad quartum decimum, & tunc vocatur plena pubertas. Proximus pubertati dicitur ille, qui ab ea diſtat per ſex menſes. Pubertas verò incipit in maſculis ab anno 14; & in fœminis ab anno 12. Et tandem minor dicitur, qui nundum ad 25. annum pervenit, ut habetur in toto tit. *de minorib. 25. annorum.* Iſti igitur minores, vel nulla pœna, vel mitiore puniuntur ſpectata ætatis qualitate, & malitia. De infantibus certum eſt, quòd nulla pœna criminaliter puniri poſſunt, cùm nullius culpæ ſint capaces. Et idem dicitur de impuberibus; quia cùm lex illos præſumat doli incapaces, idcircò ipſos puniri vetat: quando tamen ſunt proximi pubertati poſſunt puniri non pœna ordinaria, ſed mitiori. *Anch. in cap. 1. de delict. puer. n. 3. & 4. Card. in Clem. de homic. n. 7. Menoch. ibid. caſ. 319. n. 1., & plures alij relati à Farin. q. 92. n. 65.* Minores verò 25. annis, ſed majores 14. mitiùs etiam puniuntur, etiam in attrociſſimis delictis. *Farin. ibid. n. 108. Guaz. def. 33. c. 17. n. 1.* Nunquam tamen iſti minores excuſantur à tota pęna. *l. 1. Cod. ſi adverſ. delinq. & l. impunitas Cod. de pœnis.*

§. 14. Secundò ebrietas etiam in delinquente minuit pœnam. Ebrius enim eſt privatus uſu rationis, & eius actiones non ſunt liberæ, nec capaces meriti; & ideò non eſt dignus pœna ob delictum in ebrietate commiſſum, ſi ebrietas fuit plena, & rationis uſum abſtulit. *cap. ſane, & cap. inebriaverunt. 15. q. 1.* Pro quo conſiderandum eſt, quòd factum à plenè ebrio non eſt in ſe actus humanus, nec delictum, nec culpa. *D. Thom. 2. 2. q. 150. art. 4.* Et ideò ex hac parte nulla pœna debet puniri, quòd procedit, quando in ebrietate non fuit culpa, videlicèt, quando ebrius non cognovit qualitatem vini, vel quòd fuit inebriatus à ſocijs ponentibus ſal in vino. Si verò in ebrietate fuit culpa, pro hac poteſt puniri aliqua pœna ob culpam quam commiſit ſe inebriando, ut communiter docent Doctores relati à Farin. *q. 93. n. 3. & 4.* Si autem ebrietas ſit affectata, ut ebrius ſe ex illa excuſet, delictum ab eo in ebrietate commiſſum pœna ordinaria punitur. *Covar. in Clem. 1. p. 3. n. 3. de homic. Menoch. ibid. lib. 2. caſ. 376. n. 8. & 9. Farin. q. 93. n. 21.* Si verò ebrietas non fuit plena, nec uſum rationis abſtulit, ſed fuit levis ebrietas, puniendus erit, vel pœna ordinaria, vel mitiori, ſecundùm quod ebrietas fuit levior, vel gravior. *Farin. ibid. n. 18.* Et talis ebrietas probatur ſignis, & indicijs, ac etiam teſtibus de credulitate, dum tamen rationes concludentes afferant ex actibus indecentibus, & ſermonibus extra propoſitum ex nimia potatione vini, vel alijs ſignis deſumptas. *Farin. ibid.*

Tertiò,

§. 15. Tertiò, Furor, Dementia, frenesis, mentis captio, & fatuitas cùm careant uſu perfectæ rationis delinquentes ſunt incapaces agendi liberè, & meritoriè, vel demeritoriè *l. Infans ff. ad l. Cornel. de Sicar. cap. illud* 15. *q.* 1. Undè fatuus etiamſi haberet lucida intervalla non poteſt puniri pro delictis commiſſis, cùm ſanam mentem non habeat *l. Divus Marcus ff. de offic. præſ.* Et idem dicitur de furioſo, nam certum eſt nullum eſſe delictum quantumvis attrociſſimum, à quo non excuſet furor; & ideò pro delicto commiſſo à furioſo nulla pęna debetur. Et confeſſio à furioſo emanata illi non nocet. *Imol. in Clem.* 1. *n.* 3. *de homic. Menoch. caſ.* 325. *n.* 9. *Fari. q.* 94. *n.* 35. Erit tamen cuſtodiendus in carceribus: *l. Divus Marcus ubi ſup.* Delictum ſimiliter in iracundia commiſſum leviùs punitur. *l.* 2. *Cod. de dolo.* quod enim fit calore iracundiæ, caret dolo. *l.* 2. *§. vero ff. ad Turpil.* Ira tamen non excuſat in totum, niſi ſit talis, ut omninò privet uſu rationis, quòd difficillimum eſt probare; ſed tantùm excuſat, & facit, ut mitiùs puniatur. Et hoc modo excuſat etiam juſtus dolor; cùm homo juſto dolore permotus non ſit in plenitudine intellectus, & difficillimum ſit juſtum dolorem temperare. *l. ſi Adulterium. §. Imperatores. ff. de Adulter. l. Gracchus* Cod. *eodem Panorm. c.* 1. *n.* 2. *de iniur. Felin. cap. Dilecti. nu.* 12. *de except.* Et ſic univerſaliter mitiùs puniuntur blaſphemi, & alij delinquentes ex iracundia magna ex juſta cauſa orta, & illa dicitur magna, quæ in totum alienat à mente. *Dec. & alij relati a Farin. q.* 91. *n.* 40. Ira verò affectata cùm non excludat dolum, & ſit voluntaria non excuſat. Nec ira præſumitur, ſed eſt probanda ab eo, qui in illa ſe fundat. quòd eſt indubitatum. Et quæ dicta ſunt de iracundia, cum proportione dici debent de amoris inordinata paſſione, ut pęna minuatur illi qui ex magni amoris impetu aliquid ex non plena deliberatione operatur, & veluti ebrius agit, quòd verificatur, quando amore captus aliquid ex improvisò facit, non verò ſi quis ceſſante impetu amoris ex deliberatione operatur. Farin. tamen *q.* 98. *n.* 92., *& Bict. q.* 37. *n.* 11. exiſtimant, quòd in utroque caſu amore captis ex aliqua parte ſit indulgendum. Et tandem ſciat Advocatus, quòd in Decreto de non loquendo cum ſolo, aut ſola &c. non intelligitur ſi publicè alloquatur, ſed ſecretò *Belag. tract.* 8. *q.* 5. *n.* 6.

De Defenſione quoad Delictum. Regula Secunda.

§. 1. DEfenſor, ſeù Advocatus poteſt ſuum Clientem defendere, probando, quòd factum, pro quo contra illum proceditur non ſit delictum. Undè quando factum ex ſui natura non eſt delictum, ſed eſt tale ſolùm ex circunſtantia loci, vel determinati temporis, vel ex alia ſimili circunſtantia, Actor vel Fiſcus probare tenetur illam circunſtantiam adfuiſſe, aliàs præſumitur factū ſub circunſtantia excludente delicto. *Clar. q.* 56. *Bict. q.* 93. *n.* 1. Et ideò Reus ſufficienter ſe defendit, ſi neget facti circunſtantiam, & dicat factum eveniſſe ubi, vel tunc id licitè fieri poterat; & eò perfectiùs ſe defendit, ſi etiam dictū ſuum probet. Pro quo advertendū eſt, quòd delicta non ſunt judicanda ſecundùm gravitatem fori interni, ſed ſecundùm gravitatem fori externi; & ſic delicta ſunt conſideranda quatenùs in foro externo pœna ſunt digna; quia ubi pœna non cadit à Iure expreſſa, delictum non dicitur,

etiam

etiam quòd factum ſit illicitum. *l.1.§.1.ff. ut quis eum.* Ubi *Alex., & alii Bald. l.1.§. ut filius. ff. ne quis eum, qui in Ius vocat. n. 3. & ibi Caſtren. n. 4.*, qui aſſerunt, quòd illud, quod fit illicitè, ſi pœna non meretur, delictum non eſt. Ubi enim pœna nón applicatur, inanis eſt accuſatio, & inutilis inquiſitio: Undè etiam ſi talis fuerit citatus, & non comparuerit, non poteſt damnari in contumaciam, & ſi damnetur ſententia eſt nulla: & ideò exceptio iſta non punibilitatis impedit litis ingreſſum, & poteſt ſemper opponi etiam poſt ſententiam. *Guaz. def. 2.c.1.n.1. Bict.q.93.*

§. 2. Ex quo deducitur, quòd non omne illicitum punitur proceſſivè, ſed illud demum quod lex, Statutum, vel conſuetudo ſtatuit eſſe delictum. *Bald. lib. 1. conſ. 14. Alex. lib. 1. conſ. 104. & lib. 6. conſ. 92. n. 17. & conſ. 202. n. 3. Dec. conſ. 90. & conſ.* 181. Nec in omni caſu, niſi in expreſſo pœna legis, vel Statuti ordinaria locum habet. *Rol. conſ. 27. n. 14. Menoch. de arbit. lib. 2. caſ. 27. Cabal. in quæſt. crim. caſ. 1. per totum.* Ubi cum aliis citatis firmat & ipſe, quòd ubi pœna non applicatur, ibi ceſſat delictum, Accuſatio, & inquiſitio. Et qui contrarium aſſerit probare tenetur; & non probando Inquiſitus debet liberari, etiamſi contra eum adeſſent indicia ad torturam. *Brun. de indic. p. 1. q. 3. n. 6. & q. 5. per totum, & præcipuè ſub n. 4. Honded. conſ. 102. num. 15. 17.* Undè Advocatus Rei debet diligenter animadvertere an factum, quod deducitur per Fiſcum, vel Accuſatorem ſit de Iure communi, vel de Iure municipali, vel de conſuetudine punibile; quoniam ſi non ſit punibile, non erit aliquis criminaliter vexandus, & proceſſus ſuper dicto facto in Iudicio non punibili erit nullus. *Pariſ. lib. 5. conſil. 171. num. 77. Rim. Iun. lib. 2. conſ. 126. n. 35. ubi alios allegat. Cabal. ibid. n. 12. ubi concordantes cumulavit.* Ac etiam debet conſiderare prudens Cauſæ Defenſor ſi parti adverſæ ex facto deducto in Iudicio oriatur aliqua actio; quia ſi parti non competit actio, nec etiam fiſcus poterit criminaliter agere. *Rim. Iun. ibid. conſ. 120. nu. 14. Bertaz. lib. 1. conſ. 8. n. 30. Clar. §. fin. q. 50. n. 1. Honded. lib. 1. conſ. 109. nu. 52.*

§. 3. Si factum ex ſui natura, ſeù ſubſtantia eſt delictum, ſed excuſabile ex aliqua circunſtantia, putà, ex ignorantia probabili, vel violentia illata, vel ex cauſa, & neceſſitate, Reus, ſeù illius Advocatus hanc circunſtantiam excuſantem, quæ de ſe non præſumitur probare debet, & illa probata erit abſolvendus. *Paſſar. qu. 26. art. 8. n. 105.* Undè licet impunè ad ſui defenſionem offendere. *l. cum vim. Marſ. conſ. 4. n. 4. & ſeq. Clar. §. homicidium excuſatur. & verſ. ſeq. Menoch. lib. 1. conſ. 41. n. 25. Honded. lib. 1. conſ. 99. n. 9.* Nec punitur pœna legis, nec pœna Statuti. *Farin. q. 125. n. 3.*, qui etiam alios ferè infinitos cumulavit. Et hoc procedit tàm quoad pœnam ordinariam, quàm extraordinariam evadendam. *Dec. lib. 1. conſ. 102. nu. 27.* Et provocatus cenſetur omnia feciſſe ad ſuam defenſam. *Soccin. Iun. lib. 2. conſ. 36. n. 8. Rim. Iun. conſ. 360. n. 6. Honded. conſ. 99. n. 24.* ubi de communi teſtatur, & alios allegat, cùm provocatus non poſſit habere ſtateram in manibus & dare vulnera ad menſuram. *Bertaz. lib. 1. conſil. 1. nu. 38. & ſeq. Mazzol. conſ. 11. nu. 24. & 61. conſil. 71. nu. 20. & ſeq.* Et omnis levis provocatio excuſat à dòlo, & pœna ordinaria. *l. igitur §. 5. ff. de libert. cauſ. Marſ. conſ. 2. n. 14.* Et ſic provocatus punitur tantùm pœna extraordinaria pro exceſſu. Præterquam quòd offen-

offendens ad ſui defenſionem non præſumitur voluntariè, ſed coactè offendere, & occidere. *Gram. conſ. 29. n. 26. Bertaz. ibid. n. 15.* Et ſic non dicitur delinquere. *Gram. conſ. 29. n. 11. & 13. Socc. Iun. lib. 2. conſil. 36. n. 8. Mazzol. conſ. 71. n. 20. & ſeq.*

§. 4. Quòd ſi circunſtantia non excuſat delictum in totum, ſed tantùm minuit pœnam, ea circunſtantia probata mitiori pœna reus ipſe puniendus erit. Et idem dicitur de illo, qui aliquod delictum commiſit non animo delinquendi; non enim iſte pœna ordinaria, ſed tantùm extraordinaria erit puniendus. Ut ſi quis v.g. percuſſerit aliquem cum inſtrumento non apto ad mortem, non præſumitur habere animum occidendi illum. *Cabal. de omn. gener. homic. nu. 196.* Sicuti etiam non præſumitur in eo, qui poſt homicidium fecit ſigna veriſimilia diſplicentiæ. *Capol. deciſ. 31. n. 5. & 6. Farin. q. 126.* Item quando cauſa inimicitiæ eſt levis, ceſſat præſumptio animi occidendi, nam in criminibus ſemper attenditur cauſa, quæ ſit conformis delicto ſufficiens, & rationabilis ad vindictam, cùm ſit baſis, & fundamentum criminis. *Caſſon. tit. de ind. præmed. ante delict. c. 1. & ſeq. Cravet. conſ. 6. n. 22. Rim. Iun. lib. 5. conſil. 550. n. 17. & ſeq. Dec. lib. 5. reſp. 4. n. 30.* Quando vulnus non eſt mortale, quia v.g. non fuit illatum in capite, in pectore, in gula, in cerebro, vel inteſtinis, tunc ſi vulneratus moritur, non præſumitur mortuus ex vulnere, ſed ex alia cauſa, nempè ex culpa medicorum, vel ex malo regimine, vel ex inordinata vita, etiam quòd non ſit probata. *Farin. q. 127. n. 13. Guaz. def. 4. c. 10. n. 6.* etiam quòd intra paucos dies moriatur. *Farin. ibid. n. 15.* Et quando dubitatur, an vulnus ſit mortale; nec ne, ſi cum tali dubio concurrit mala cuſtodia, aut inordinata vita vulnerati, vulnerans de vulnere tantùm tenetur, non autem de morte. *Farin. q. 175. n. 29.*

§. 5. Poterit etiam Advocatus ſuum principalem defendere in delicto homicidii probando, quòd percuſſerit cum telo non adæquato ad mortem inferendam, v.g. cum baculo, vel ſimili inſtrumento. Et ſi percuſſerit in loco periculoſo, hoc fuit caſu, & præter intentionem, & in ipſo calore rixæ; quòd multò fortiùs procedit, quando poterat percutere cum enſe, vel alio ferro, & tamen noluit percutere, ſed percuſſit cum baculo; in quo caſu etiam ſi percuſſerit in capite, & ſecuta eſſet mors, non poteſt puniri tamquam homicida. *Farin. q. 126. n. 134. & num. 133.* dicit, quòd ſi quis in capite cum baculo ſemel percuſſerit, quando pluries percutere poterat, eximitur à pœna ordinaria. *l. Cornel. de ſicar.* Et ut talis pœna imponi poſſit tria concurrere debent. Primò, quòd verbera fuerint in capite illata; Secundò, quòd fuerint iterata, & tertiò quòd præcederet capitalis inimicitia. Et quando homicidium eſt cauſale, nempè, ſine dolo, & culpa inquiſiti eximitur à quacumque pœna, ità communiter Doctores; ut ſi quis v.g. in loco ſolito luderet cum alio ad aliquem ludum licitum, & honeſtum, & in ludo hominem occideret nulla pœna tenetur; ſecùs verò ſi ſequatur ex ludo illicito, vel in loco non conſueto, vel ſi præceſſerit culpa. *Farin. ibid. n. 30.* Sicuti etiam poteſt quis ſe à liberare à pœna ſaltem ordinaria probando homicidium præter voluntatem inquiſiti commiſſum fuiſſe; ut ſi quis occidat, unum, putans occidere alium. Et idem dicitur de homicidio in pura rixa commiſſo, in quo ſi non conſtat, quis fuerit aggreſſor, excuſatur

à pœna corporali. *Clar. §. homic. verſ. alia etiam in fine & qu. 60.* Et in dubio præſumitur caſu, vel in pura rixa commiſſum, & qui aliter dicit probare tenetur.

§. 6. Poteſt etiam Advocatus ſuum clientem defendere, probando homicidium factum fuiſſe cum moderamine inculpatæ tutelæ; in quo caſu nulla pœna punitur. *l. 1. C. unde vi. l. 3. §. cum igitur ff. de vi, & vi armorum*; & communiter D.D. citati à Guaz. *def. 29. c. 5. nu. 1.* aſſerentes tale homicidium eſſe impunibile; Quod moderamen circa tria conſiſtit, ſcilicèt, circa modum, circa tempus, & circa cauſam, ſeù factum. Circa modum, quando quis v.g. ſe defendit eodem genere armorum; nam injuriatus verbis non poteſt impunè gladio occidere, ſed ſi occidit pœna extraordinaria punitur. *Gram. dec. 98. Farin. q. 125. n. 349. & ſeq.* Limitant tamen Doctores, quando perſona vilis nobilem injuriaret, quia tunc ille nobilis poteſt provocantem baculo, vel alapa percutere impunè, & dicitur facta defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ. *Foler. in verb. recipiantur informat. n. 11. Farin. q. 125. n. 100. Guaz. def. 29. c. 5. n. 2.* Circa tempus requiritur, ut incontinenti, & non ex intervallo fiat defenſio. *l. 1. C. de vi. l. 3. ibid.* & in continenti dicitur facta defenſio, ſi fiat, antequam qui ſe defendit, deveniat ad alios actus extraneos, ſed ſtet in ipſo actu, & in fragranti crimine. *l. ſi ex plagis. §. Tabelionarius ff. ad l. Aquilam Bart. & Bald. in l. 1. C. de vi. Farin. qu. 125. nu. 339. & 342.* Circa cauſam, ut faciat ad puram defenſionem. *l. ſcientiam. §. qui cum aliter ff. ad l. Aquilam*; prout quando quis eſt conſtitutus in diſcrimine vitæ, honoris, aut alicujus injuriæ perſonalis, & aliter dictam injuriam non poteſt evadere, niſi offendat, vel occidat. *Mazzol. conſ. 11. n. 68. conſ. 71. n. 7. & ſeq.* ubi alios allegat.

§. 7. Si verò quis ſe defendendo excedit moderamen inculpatæ tutelæ, delictum non erit totaliter impunibile, ſed punitur pœna extraordinaria arbitrio Iudicis ſecundùm qualitatem exceſſus. *Marſ. conſ. 81. nu. 27. Gram. conſ. 63. n. 10. & ſeq. Clar. ibid. n. 39.* ubi dicit, ſive exceſſerit modum in ſe defendendo ex culpa, ſive ex dolo. *Aret. conſ. 80. n. 8. & ſeq. Boſſ. tit. de homic. n. 91. Felin. in cap. Dilecti n. 12. & ſeq. de except.* & ob id non punitur de toto: quia ictus, ſeù verbera non poſſunt dari cum menſura. Niſi exceſſus fuerit factus in uno tantùm ex tribus ſupradictis requiſitis; quia tunc diceretur excedens in leviſſima culpa, & ſucceſſivè nulla pœna puniretur. *Cæpol. conſ. 41. n. 10. Farin. q. 125. n. 404. & ſeq.* quòd eſt notandum; quia ſæpè contingit in facto. Et Iudicis arbitrio relinquitur, quando moderata dicatur defenſio. Quòd moderamen inculpatæ tutelæ non conſideratur in rixa, ſi indeliberatè, & accenſus furore iracundiæ inſultatus exceſſit modum in ſe defendendo, non enim conſideratur exceſſus in eo caſu; quia primi motus non ſunt in noſtra poteſtate. Si autem modum defenſionis ex propoſito, & deliberatè quis excedit, non punitur pro toto, ſed pro exceſſu tantùm. *Bald. lib. 4. conſ. 111. n. 2. Cæpol. conſ. 34. n. 34. Clar. ibid. n. 27.* Ubi teſtatur de receptiſſima opinione. *Maſc. de prob. concl. 1126. n. 30.* In hoc tamen eſt regula magis tuta, quòd ſi quis excedat moderamen ex dolo malo, & ex propoſito v. g. nulla levi perturbatione inſtigante, tunc punitur delictum in totum, ſecùs verò ſi ex propoſito exceſſerit, & non ex dolo malo, ſed commotus aliquo juſto dolore; tunc enim punitur pro exceſſu tantùm, & in dubio ſemper præſumitur exceſſus, & non dolus.

§. 8. Minatus poteſt minantem offendere, nec tenetur expectare, ut contra eum minas exequatur, ità communiter Doctores, quòd maximè debet intelligi, quando minans eſt ſolitus minas exequi. *Farin. q. 125. n. 63*, ſed etiam indiſtinctè ſive ſit ſolitus minas exequi, ſive non; cùm difficile ſit ſcire, utrum minans velit percutere, ſive non. *Farin. q. 69.* Et etiam ſi minans non ſit in actu percutiendi, vel occidendi, dummodo minans ſit perſona potens hoc ſufficit, ad effugendam pœnam òrdinariam. *Farin. ibid. n. 71. & 72.* ubi *n. 73* ſubdit, quòd, ut cumque ſit ſemper minæ inducunt provocationem, & percutientem excuſant à pęna ordinaria: Undè homicida, vel perſecutor mitiori pęna eſt puniendus, ſi fuerit ab occiſo, vel percuſſo verbis iniurioſis provocatus. *Clar. q. 60. n. 14* Et advertat Cauſæ defenſor, quòd provocatus ſemper excuſatur à pęna ordinaria, ſi offenderit provocantem. *Clar. q. 60. n. 14. Cabal. caſ. 144. n. 19.* Adeò ut provocatus, qui verberaverit Clericum, vel Religioſum provocantem non dicatur excommunicatus. *Ricc. deciſ. 16. n. 5. & ſeq. Farin. q. 125. n. 31.* Similiter poteſt quis furem occidere pro recuperatione, aut defenſione rerum ſuarum abſque eò quod incidat in aliquam pęnam, dato etiam quod nullum adeſſet vitæ periculum. *Farin. ibid. nu. 171.* Alij tamen ab eo citati in *n. 172. & 173.* volunt, quòd etiam requiratur vitæ periculum. Nam illa verba. *Te tuaque liberando* poſita *in cap. Interpoſita de homic.* debent intelligi alternativè, idèſt, *Te* vel *Tua*, ut dicunt D. D. citati à Barb. *in c. interfeciſti n. 4.* Et ſi fur eſt nocturnus, & Dominus rei furatæ ſine periculo perſonæ, vel rerum parci non poteſt, licèt eum impunè occidere. *l. furem ff. ad l. Corneliam de Sicar. Farin. q. 125. n. 199.* niſi res ſit modici valoris; quia tunc non poteſt furem occidere, niſi telo ſe defendat. *l. ex plagis. §. Tabernarius. ff. ad l. Aquilam*, & communiter Doctores citati à Barboſa *in cap. ſi perfodiens. num. 3. de homicidio.* Sicuti etiam licitum eſt pro defenſione pudicitiæ occidere eum, qui tentat eam violare. *D. Th. q. 64. a. 7. q. 9. concl. 1. Diana p. 5. tract. 4. reſol. 36.*

§. 9. Poteſt quoque Advocatus allegare, & probare ſuum principalem non adfuiſſe in loco commiſſi delicti, quandò illud perpetratum fuit, ſpecificando locum, in quo erat; quia probata præſentia in uno loco, neceſſariò dicitur probata abſentia alterius lòci diſtantis. *Ioa. de Amic. conſ. 82. nu. 1.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſ. 64. nu. 13. & ſeq.* Et coarctari poterit talis negativa ad locum, & tempus probando, quòd erat in alio loco certo, & ab eo non poterat diſcedere, quàm ipſi teſtes vidiſſent, vel ſciviſſent. *Fol. in pract. crim. in verb. recipiantur defenſ. nu. 3. Clar. q. 52. n. 2.* Et iſto modo perfectè dicitur probata negativa. *D. D. in cap. cùm Eccleſia Sutrina & præcipuè Rip. n.* 88. *de cauſ. poſſeſs. & propriet. Burſat. conſ. 135. n. 44. lib. 2. Bertaz. lib. 2. conſ. 251. n. 44. & 99.* & communiter omnes. Immò aliqui volunt, quòd dicatur negativa coarctata, quando teſtes dicunt ſimpliciter, quòd delinquens fuit illa die in tali loco; quia licèt non dicant tota die, tamen præſumptivè dicatur probatum de tota die ſecundùm Gloſ. *in l. optimam in verb. ipſo die verſ. quod præſumitur.* quam Doctores dicunt peregrinam, & menti tenendam, ut firmat *Ioa. de Amic. conſ. 52. n. 6. & loc. cit. num. 2.* Et non deſunt qui dicant, quòd probetur etiam negativa in favorem defenſionis, quando teſtes dicunt non commiſiſſe tale delictum abſque illa arcta ratione, ut in puncto tradit Thob. Non.

conſ. 101. *n.* 3. *& Burſat. conſ.* 216. *nu.* 66. poſt alios quos allegat, dicit, quòd ſi teſtes deponant non fuiſſe, neque vidiſſe talem imputatum in loco delicti; quia ſi adfuiſſet vidiſſent, dicatur probata negativa, & de ſimili modo probandi negativam coarctatam tradit Rimin. Iun. *conſ.* 145. *n.* 2. *lib.* 2. *& lib.* 4. *conſ.* 372. *n.* 16. *Pariſ. lib.* 6. *conſ.* 62. *num.* 3. Etiam ſi deponerent ſuper negativa in favorem Rei per verba de credulitate. *Rim. Iun. lib.* 4. *conſ.* 360. *nu.* 42. Et probatur etiam per familiares, & domeſticos. Paul. Grilan. de relaxat. Carcerat. *in* 3. *quæſt. princ. tit. de abſolut. n.* 2. *Dec. lib.* 3. *reſp.* 96. *n.* 31. ubi refert in caſu ſuo fuiſſe probatam negativam per fides quorumdam nobilium abſque citatione Fiſci, & partis.

§. 10. Et probata negativa coarctata loco, & tempore Inquiſitus liberari debet, etiam ſi contra eum adeſſent indicia ad torturam. *Brun. de indic. p.* 1. *q.* 3. *nu.* 6. *& q.* 5. *per totum. Honded. conſ.* 102. *nu.* 15. *&* 17. ubi in fine dicit, quòd hujuſmodi probatio dicitur plena probatio ad docendum de Innocentia. *Alex. lib.* 2. *conſ.* 24. *n.* 17. *Bertaz. lib.* 1. *conſ.* 93. *n.* 6. *Fab. Turret. conſ.* 66. *n.* 22. Immò Gram. *conſ.* 56. *nu.* 3. *& ſeq. poſt Alex.* dicit iſto caſu ſequi debere abſolutionem, etiam ſi Inquiſitus fateretur delictum. Et tandem ſciat Advocatus, quòd ſemel compoſitus pro delicto pęna interveniente, iterùm pro eodem delicto vexari non poteſt, et amſi procedatur per Accuſationem, ſeù Inquiſitionem, dato etiam quòd nova ſuperveniant indicia. Ità communiter D. D. apud Guaz. *def.* 2. *c.* 9. *n.* 11. *& def.* 34. *c.* 5. *per totum, & Bict. q.* 94. *n.* 47. quia talis compoſitio ſuccedit loco pęnæ delicti. text. *in l. Senatus* §. *ſi quis declarat, &* § *ſeq. ff. de Iure fiſci. Paris in verb. Compoſitio. c.* 1. *n.* 6. *c.* 4. *n.* 2. *c.* 5. *n.* 5. *Griland. de compoſit. q.* 1. *nu.* 1. *q.* 6. *num.* 1. Et quamvis per compoſitionem non abſolvatur Reus diffinitivè ut innocens, aboletur tamen proceſſus: & ideò ſemel abolita Inquiſitione, ſeù Accuſatione ob pęnam ſolutam per compoſitionem, non poterit ampliùs ſuper ea inquiri, quidquid aliter dici poſſit per gratuitam abolitionem. *Farin. q.* 5. *n.* 4. *in fine. Guaz. def.* 34. *c.* 5. *n.* 2. *in fine.* Et ſi Iudex vellet recedere à compoſitione jam facta, & recuſet pęnam compoſitam recipere, non debet audiri, ſed compoſitus debet adimplere conditionibus in compoſitione præſcriptis, & illas Iudici intimare, & ſic erit ab omni alia pęna liberatus. *Farin. q.* 5. *n.* 4. *Fab. à Mon. Leo. in pract. arbit. in* 7. *quæſt. ultim. p.* 5. *partis principalis n.* 1. *et* 11.

De Defenſione quoad præſcriptionem Delicti, & Inſtantiam criminalem. Regula Tertia.

§. 1. QUotieſcumque delictum eſt præſcriptum, non poteſt ampliùs Iudex cōtra delinquentem inquirere. *l. quærela* C. *ad l. Cornel. de falſo crim.* Undè Advocatus poteſt ſuum clientem defendere, opponendo, quòd factum contra eum intentatum, licèt fuerit aliàs punibile, tamen fuerit, per lapſum temporis pręſcriptum, & ſublata eius pęna. *Pariſ. lib.* 4. *conſ.* 169. *n.* 1. *et ſeq. Clar.* §. *fin. q.* 51. *n.* 1. ubi concordantes allegat. *Farin. q.* 1. *n.* 68. Crimina autem tàm publica, quàm privata communiter ſpatio 20. annorum præſcribuntur; & hæc præſcriptio currere

re incipit à die commiſſi criminis, quo temporis ſpatio præſcribitur quoque omnis criminalis actio *l. querela Cod. de falſis. Abb. in cap. cum haberet nu. 4. Farin. q.* 10. *n.* 1. ubi concordantes allegat, & teſtatur de communi. *Guaz. def.* 2. *c.* 2. *n.* 2. *et* 3. quòd adeò verum eſt, ut nullus etiam minor, vel Fiſcus adverſus hanc præſcriptionem reſtituatur in integrum, ut poſſit accuſare, vel inquirere contra illum, qui jam à 20. annis delictum commiſit, ſive procedat ad inſtantiam partis, ſive ex officio. *l. auxilium. C. de Minoribus. Farin. q.* 18. *nu* 1. *circa medium.* Quæ præſcriptio ſi in continenti probetur, impedit litis ingreſſum. *l. fin. ubi Bart. ff. pro ſuo Rim. Iun. lib.* 2. *conſ.* 196. *num.* 14. 15. vel ſaltem quotieſcumque excipitur, etiam poſt latam ſententiam, ſive opponatur per Reum ſive per quemvis de populo, ut ultra vexandus non ſit. *Guaz. ibid. num.* 9. *et ſequ.* Et Iudex procedens in delicto præſcripto iniquè agit, & eſt puniendus. *Rol. conſ.* 90. *n.* 9. *et ſeq: lib.* 4. *Pariſ. conſ.* 169. *n.* 6. *Farin. ibid. n.* 2. *Paſſ. q.* 26. *a.* 9. *n.* 108. Nec confeſſio etiam ſpontanea, ſeù notorietas delicti derogat tali præſcriptioni, *Bald. in cap. fin. verſ. pone, quòd maleficium, de off. Deleg. Et in l. ſi cum in pr. ff. ſi quis caut. et in l. non dubium. in f. C. de leg.* ubi dicit, quòd ſi conſtat ex Actis, crimen eſſe præſcriptum, judicium erit ipſo Iure nullum, una cum ſententia inde ſequuta. *Dec. in tract. crim. tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 37. *n.* 5. *Farin. q.* 10. *nu.* 14. ubi alios cumulavit, & teſtatur de communi, & veriori opinione, dummodo tamen confeſſio emanaverit poſt 20. annum, & completam præſcriptionem, quia ſic per illam, & delictum, & accuſatio aboletur, & ceſſat omnis actio, ità quòd confitens non poſſit duci in Iudicium, nec puniri. Si autem hæc præſcriptio non fuerit oppoſita, Acta valent, & tenet ſententia. Bald. Bart. & alij Contrarium tamen docet Marſil. *conſ.* 46. *n.* 20. *et ſeq.* & ab hac ſententia non eſt alienus Guaz. *ibid. n.* 15. ubi alios ſic tenentes cumulavit.

§. 2. Dixi communiter, quia ex aliquo mandato ſpeciali, ſive Statuto poſſunt delicta in majori ſpatio temporis præſcribi. Sicut etiam ex oppoſito aliqua delicta ſunt, quæ nullo unquam tempore præſcribuntur. *Farin. q.* 10. *per totum.* Nimirùm crimina Hæreſis, Leſæ majeſtatis, Aſſaſſinii, falſæ monetæ Simoniæ, Abortus, Parricidii, Sodomiæ, Suppoſiti partus &c. de quibus latè *Bict. qu.* 94. Farin. verò n. 30. extendit ad omnia crimina excepta, & enormia. Advertat tamen Advocatus, quòd licèt Statutum daret amplam, & liberam poteſtatem procedendi contra delinquentes quoſcumque attamen tale Statutum intelligi debet, ut procedatur in illis delictis, quæ præſcriptione non ſunt finita, ut voluerunt D. D. per Guaz. citati *ibid. num.* 18. Adſunt alia crimina, quæ majori, vel minori temporis ſpatio præſcribuntur. Et primò Crimen falſi, licèt aliqui teneant, quòd præſcribatur per 30. annos propter ejus attrocitatem, tamen verior opinio eſt, ut præſcribatur ſpatio 20. annorum. *Plot. tom.* 1. *conſ.* 124. *n.* 4. *Farin. q.* 10. *n.* 4. ubi alios allegat, & teſtatur de communi, & veriori opinione. Secundo, Crimen injuriæ præſcribitur per annum. *l. ſi non convitii in fin. C. de injur. Foler. in pract. crim. in verb. fori Iudicentur. n.* 21. *Farin. q.* 10. *n.* 21. ubi cumulavit concordantes teſtantes de communi, ac dicit, quòd injuriatus tacendo per annum dictam injuriam, illam remiſiſſe cenſetur. Qui annus currere incipit à die illatæ injuriæ, præterquam in injuria illata per metum, non à die cognitionis, vel inſtantiæ iniuriati. *Veron. conſ.* 70. *n.* 4.

n. 4. et conſ. 79. n. 4. Farin. ibid. n. 22. in fine, ubi ſubdit, quòd currit etiam iſte annus ignoranti per Rot. *deciſ. 2 aliàs 240. de iniuria in novis*. Tertio actio de dolo ſpatio bienni præſcribitur, & non poteſt agi, ut crimen ſtellionatus imponatur. *l. fin. C. de dolo. Foler. ibid. circa fin. ubi de communi. Farin. loc. cit., ubi alios allegat.* Crimen Apoſtatatus quinquennio præſcribitur. *l. Apoſtatarum C. de Apoſt., et gloſ. in d. l. querelam*. Et idem dicitur de criminibus Adulterii, Stupri, Inceſtus, Lenocinij, & alijs delictis, quæ à l. Iul. in Adulterijs ponuntur quæ omnia quinquennio præſcribuntur. *Farin. q. 10. n. 15.* ubi alios allegat, & teſtatur de communi. *Tuſch. tom. 6. concl. 571. nu. 6. & ſeq.* quòd tamen intelligendum eſt de ſimplici adulterio, ſecùs ſi concurrat inceſtus cum adulterio; quia tunc requiritur præſcriptio 20. annorum. *l. querelam. Tuſc. d. concl. 571. n. 10. Dec. in tract. crim. tom. 1. lib. 3. c. 27. num. 12.* Ubi dicit hoc eſſe generale in omni delicto mixto, ut ſemper attendatur præſcriptio, quæ longiori tempore inducitur, & ibi etiam firmat, quòd crimen inceſtus præſcribitur ſpatio 20. annorum. Si cum ſtupro concurrat vis, vel violentia, tunc nulla currit præſcriptio. *Foler. loc. cit. n. 19. Farin. q. 10. num. 18.* Crimen ſimplicis fornicationis præſcribitur ſpatio trium annorum. *Thom. Triviſ. deciſ. Venet. 59. nu. 10.* Quæ omnia verificantur etiam in ſententijs latis in contumaciam, ut, ſcilicèt, impediantur eius executiones per oppoſitam præſcriptionem; ſecùs verò ſi non opponatur; quia in tali caſu valent, & eſſent executioni demandandæ. *Guaz. loc. cit. n. 10.*

§. 3. Sciendum tamen eſt primò, quòd ſi ante completam præſcriptionem ſuperveniat accuſatio, querela, vel Inquiſitio interrumpitur præſcriptio, nec incipit currere, niſi à die interruptæ præſcriptionis *l. ædes. § libertas. ff. de ſervit.* dummodo facta ſit legitima citatio in actis relata, id, quod tamen alij negant; quia ſine citatione interrumpitur. *Farin. q. 10. nu. 28.* Secundò ſciendum eſt, quòd tale ſpatium præſcriptionis à Iure ſtatutum debet & ipſum eſſe continuum, & non interruptum; quia in delictis continuatis, & reiteratis præſcriptio currere incipit, non à primo delicto, ſed ab ultimo ſecundùm magis communem, de qua teſtatur Clar. *q. 51. n. 3. & Guaz. qui alios adducit concordantes ibid. n. 35.* Et ſic per iterationem delicti præſcriptio interrumpitur, quòd procul dubio intelligendum eſt de delicto eiuſdem ſpeciei, & cum eadem perſona commiſſo. *Farin. q. 10. n. 16. Guaz. ibid. n. 36.* Undè unius delicti commiſſio non interrumpit præſcriptionem delicti alterius ſpeciei, ſicut nec adulterium commiſſum v. g. cum Berta interrumpit præſcriptionem adulterij antea commiſſi cum Lamia; diſtincta enim crimina, diſtinctum & ſibi proprium requirunt ſpatium. *Paſſar. loc. cit. n. 117.* Et licèt aliquandò delictum non fuerit totaliter præſcriptum, diuturnitas tamen temporis proſit ad diminuendam pœnam, dummodo tamen Reus in illo diuturno tempore laudabiliter, & inculpabiliter vixerit, aliàs ſecùs. *Clar. q. 60. Farin. q. 10, Guaz. cum alijs ab eo relatis in def. 2. c. 3. nu. 1. & ſeq.* Et diuturnitas in propoſito ſecundùm aliquos inducitur ſpatio decem annorum, ſecundùm verò alios ſpatio octo annorum, & debet eſſe continua, & numerari à die commiſſi delicti, ut præfati Doctores docent. Et hoc procedit in delictis, in quibus pœna non eſt in Iure taxata; at ubi pœna eſt à Iure determinata tutiùs erit, ut Iudex non deveniat ad talem diminutionem pœnæ, niſi

priùs

priùs conſulto Superiore ſupremo. *Clar. Bajar. & alij apud Bitt. q. 94. n. 11.* Idemque dicendum eſt in lunga, & diuturna Carceratione, quæ in totum, ſive in partem minuit pęnam. *l. omnes Cod. de pœnit. Vinc. de Franch. deciſ. 317. num. 4. in 2. par.* ubi *ſub n. 5.* ſubdit, quòd ità Sac. Conc. multoties judicavit, ut Carcer cedat in pęnam, vel in eius diminutionem; quia licèt carcer non ſit ad pęnam *l. aut damnum §. ſolent. ff. de pœnis.* habet tamen in ſe pęnam, & dicitur mala manſio. *Honded. conſ. 102. n. 57. lib. 1.* & habet in ſe ſpeciem torturæ. *ibid.*

§. 4. Et nè lites fiant immortales, nevè nimis in longum protrahantur in præjudicium partium, lex ſtatuit Accuſatoribus, & Iudicibus tempus biennij incipiendo à litis conteſtatione, vel ubi lis non conteſtatur à primo actu, qui ſolet fieri poſt litis conteſtationem, & hoc tàm de Iure Canonico, quàm civili. *Clar. q. 51. verſ. alia etiam Tuſch. concl. 202. n. 1. Scacc. de appellat. q. 15. n. 343.* Quo biennio expleto inſtantia tàm Accuſatoris, quàm Fiſci perempta eſt, ſive Iudex procedat ad inſtantiam partis, ſive ex officio, & ſive ſit Iudex Ordinarius, ſive Delegatus non poteſt ampliùs contra Inquiſitum procedere; nec Inquiſitus poteſt ampliùs puniri de delicto punibili. *l. fin. Cod. intra quam tempus. l. proponendum Cod. de Iudic. & ibi Gloſ. & Doctores communiter, relati à Clar. q. 30. Scacc. de appellat. q. 15. Guaz. def. 2. c. 6. Bitt. q. 94.* Quæ inſtantia adeò perimit per lapſum biennij in criminalibus, ut non requiratur alia ſententia abſolutoria, vel ab obſervatione Iudicij, ut Iudex non poſſit ulteriùs procedere in cauſa. *Gloſ. in l. proponendum. §. ſin autem ubi Bart. Salicet. & Bald. C. de Iud.* Hoc tamen intelligendum eſt, quando inſtantia perit ex culpa, & negligentia Actoris, vel Iudicis; in quo caſu Reus ipſe debet abſolvi ab obſervatione Iudicij, & hæc ſententia habet vim diffinitivæ, cùm Reus ab Actore ampliùs moleſtari non poſſit, immò neque à Iudice, ut ſupra diximus. *Guaz. def. 2. c. 5. nu. 19. 20. & 22.* Et ſi in Cauſa criminali lis fuerit conteſtata per Reum, & fuerit proceſſus agitatus, & fuerint producti teſtes, non debet abſolvi ab obſervatione Iudicij, prout contigit ante agitatum proceſſum, ſed debet abſolvi diffinitivè à tota cauſa, non autem ſimpliciter ab obſervatione Iudicij. *Gram. not. 31. n. 11. Ioa. de Amicis conſ. 139. n. 9.* Quòd verificatur etiamſi Iudici fuerit datum plenum arbitrium. *Bald. lib. 4. conſ. 226. Tuſch. tom. 4. concl. 204. nu. 6.* Nec vigore dicti arbitrij poterit Iudex poſt lapſam inſtantiam reſtituere Actorem, ſed benè ante lapſum inſtantiæ poterit prorogare illam vigore dicti arbitrij, ut poſt alios, quos allegat declarat Eug. *conſil. 1. n. 2. Guaz. ibid. n. 26.* Et perempta inſtantia omnia deindè acta ſunt nulla, adeò ut Iudex non poſſit ampliùs in cauſa ſe ingerere, niſi declarando, quòd inſtantia ſit perempta. *Guaz. loc. cit. n. 30.*

§. 5. Si autem ex aliqua alia ratione contingeret, quòd Cauſa intra biennium non potuerit terminari, tunc inſtantia non perit. *Marant. par. 5. n. 3.* Et idem eſt dicendum, ſi Reus ante lapſam inſtantiam faſſus fuerit delictum in Iudicio; quia cùm confeſſio inducat publicum Iuris poterit condemnari etiam poſt lapſam inſtātiam. *Roland. conſ. 94. n. 1. 2. lib. 3.* ubi plures cumulat. *Bajard. q. 51. n. 23;* hoc tamen non verificatur de confeſſione facta ex eo, quòd Reus ſit contumax. *Rol. ibid. Bajar. loc. cit.* Et in cauſa appellationis datur appellanti annus ad proſequendam litem; & ex cauſa dantur duo anni. *cap. Cùm ſit Romana de appellat. Tuſc. ibid. concl. 209.*

cl. 209. *n.* 1. *& concl.* 217. *n.* 1. ubi ſubdit, quòd ſenteniat lata à Iudice appellationis, elapſa inſtantia eſt ipſo Iure nulla. Et quandocumque impedimentum etiam modicum contingens in primo anno, facit ſuccedere ſecundum annum, & ſic ſufficit impedimentum unius menſis, vel unius diei. *Tuſch. ibid. n.* 5. *Coſta de ſubſid. remed. remed.* 94. *n.* 4., ubi dicit ſufficere quamlibet Cauſam etiam coloratam, & non verificatam.

§. 6. Abſolutus de uno delicto, non poteſt ampliùs de illo moleſtari. *l. ſi cui.* §. *ejuſdem. ubi Bart. ff. de accuſat. c. de his. de accuſat. Farin. q.* 1. *n.* 51. *& q.* 4. *nu.* 1. *ubi concordantes inducit. & teſtatur de communi.* Undè Advocatus poteſt ſuum Clientem defendere, opponendo exceptionem rei Iudicatæ; quòd poteſt contingere; vel quia fuit abſolutus ſimpliciter, vel quia fuit punitus. Quòd non poſſit inquiri pro delicto contra illum, qui fuit abſolutus, conſtat ex cap. *de his. de accuſat.*, *& ex l. Qui de crimine. C. de accuſat.* & ex aliis legibus. Semel enim abſolutus ſemper poteſt ſe defendere per exceptionem rei judicatæ contra novam Inquiſitionem. *l. fin. C. de cuſtod. reor. l.* 3. *C. de except. rei judicatæ.* Et idem dicitur de illo, qui ſemel fuit punitus; quia injuſtum eſt, ut quis pro eodem delicto pluries puniatur. Major difficultas eſt in illo, qui fuit abſolutus ob defectum probationum, eò quia crimen non fuit probatum, in quo caſu reſolvendum eſt cum Guaz. *def.* 2. *cap.* 7. *n.* 5., quòd non poſſit agi contra ſic abſolutum etiam ſi nova ſuperveniant indicia, ex eo quòd talis abſolutoria, *Quia non fuit probatum delictum &c.* ſit diffinitiva, & dicatur tranſiſſe in Iudicatum. *Boſſ. tit. de ſent. n.* 76. *verſ. quæro quis ſit abſolvendus. Foller. in pract. crim. canon.* 35. *nu.* 8. *Clar. q.* 57. *nu.* 3. *Cabal. in qq. crim. caſ.* 96. *n.* 4. *& ſeq.* ubi reprobato Romano, & nonnullis aliis contrarium tenentibus, firmat hanc opinionem eſſe veriſſimam, & opinionem Romani, & ſequentium eſſe falliſſimam. Quando tamen delictum eſt mixti fori, ſi non fuit ſufficienter punitus ab uno, benè poteſt ab alio puniri. *Marant. p.* 4. *diſtint.* 1. *n.* 13. *& p.* 6. *n.* 92. *Clar. q.* 57. *Farin. q.* 4. *Scac. de Iud. lib.* 1. *c.* 12. *nu.* 88. Hoc ſupplementum tamen debet eſſe tale, ut ex eo non conſurgat pœna gravior illa, quæ de Iure debetur. Advocatus tamen hîc advertat, quòd ſemel punitus ab uno Iudice in pœnis afflictivis, non poteſt ab alio Iudice ampliùs puniri. *Cavalc. de brach. reg. p.* 4. *n.* 281. ex traditis per Bald. Fel. & Put. Item advertat, quòd licèt multoties idem delictum graviùs puniatur de Iure civili, quàm de Iure Canonico, & è contra. Nihilominus Reus punitus pœna condigna in illo foro in quo judicatur; quia verè eſt punitus ſufficienter, quamvis pœna ſit mitior, non poteſt ampliùs puniri à Iudice alterius fori. *Paſſar. loc. cit. n.* 141. Et Reus ſufficienter punitùs dicitur, quando ei inflicta fuit pœna pro illo delicto taxata vel à Iure communi, vel à Statuto, vel à conſuetudine; ſeù his defficientibus juſtè arbitrata. Sicuti è contra, non ſufficienter diceretur punitùs, quando minor pœna prædictis imponeretur. *Scacc. & Guaz. def.* 2. *c.* 7. *n.* 6. Niſi fortè ex juſta Cauſa Iudex pœnam minuiſſet, quia ſic ſufficiens diceretur.

§. 6. Si verò Reus non fuit ſimpliciter abſolutus, ſed tantùm ab inſtantia, vel ab obſervatione Iudicii cum clauſulis. *Ex hactenùs deductis*, vel *Rebus ſic ſtantibus &c.* in hoc caſu novis ſupervenientibus indiciis, non obſtante priori abſolutione

Reus

Reus iterùm in Iudicio vocari, & ab eodem Iudice Iuris ordine ſervato puniri poteſt. *l. libellorum. §. quod ſi belli. ff. de accuſat. l. qui de crimine. Cod. de accuſat. Guaz. def. 2. c. 7. nu. 7.* Qui *n.* 18. benè advertit, quòd indicia, ex quibus poteſt procedi contra jam abſolutum ab obſervatione Iudicii debent eſſe diverſa ſpecie, vel ſubſtantia àb illis, quæ in proceſſu ante abſolutionem fuerunt examinata, & non ſufficit, quòd eorumdem indiciorum adveniat nova probatio: Idem dic, quando Reus fuit condemnatus in pœnam extraordinariam, eò quod ad ordinariam infligendam probationes non pertingebant. Si fuit abſolutus cum ſequenti clauſula. *Rebus ſic ſtantibus abſolvimus ab ordinaria delicti pœna, de quo fuit Inquiſitus.* attenta tali ſententia cum prædicta clauſula poterit iterùm moleſtari. Quanto autem tempore duret. Ius iterùm procedendi poſt abſolutionem cum dictis clauſulis, dicendum eſt, quòd ubi proceditur ex officio eſt ſpatium viginti annorum à die litis conteſtatæ. *Guaz. ibid. n.* 20. Si verò proceditur per viam Accuſationis, vel Denunciationis tempus eſt decem annorum inter præſentes, & 20. inter abſentes. *Paſſar. q.* 16. *a.* 11. *n.* 148. Cabal. verò *qq. crim. caſ.* 93. *n.* 30. *& ſeq.* tenet, quòd ſit verior opinio, ut tanto tempore poſſit inquietari per ſupervenientiam novorum indiciorum, quanto tempore durat Ius accuſandi, vel inquirendi, quia lata ſententia ab obſervatione Iudicii, vel cum illis clauſulis non pereunt acta ordinaria, quorum effectus jam erant conſumpti per litem conteſtatam in illo Iudicio factam; ſed durant adeò, quòd tempus, quod antea lapſum fuerit, non habetur in conſideratione, ſed adhuc ſupereſſe intelligatur illud totum, quod à lege conceditur ad procedendum: cùm præſcriptio jam incæpta, fuerit interrupta per litis conteſtationem, & talis interruptio non pereat, perempta inſtantia per dictam ſententiam abſolutoriam.

§. 8. Dantur etiam alii caſus; in quibus non obſtante prima abſolutione, Reus iterùm moleſtari poteſt. Et primò, ſi quis condemnatus, vel abſolutus fuit ignorante illo qui habet intereſſe in cauſa; nam ſi iſte probata ignorantia, (quæ in defectu aliarum probationum probatur ejuſdem ignorantis Iuramento) inſiſtat coràm Iudice, ut ſuam, vel ſuorum injuriam proſequatur, auditur, & ſecunda accuſatio admittitur. *Paſſar. loc. cit. n.* 143. *Guaz. ibid. n.* 47. Secundò, ſi delictum, de quo fuit abſolutus diverſificatur. v. g. Si quis abſolutus fuit de adulterio, denuò moleſtari poterit ſuper inceſtu, & abſolutus de homicidio poterit moleſtari de ſacrilegio, dum homicidium fuit in Eccleſia perpetratum, *Guaz. ibid. n.* 21. Tertiò, ſi quis abſolutus ab obſervatione Iudicii poſt ſententiam extrajudicialiter fatetur delictum, poteſt ex hac confeſſione iterùm proceſſari, ac torqueri, immò & puniri, ſi Iudicialiter fateatur. *Farin. q.* 4. *n.* 3. *Guaz. ibid. n.* 56. Si verò fuit diffinitivè abſolutus etiam ex ſupervenientibus indiciis non poteſt moleſtari ex tali confeſſione: Undè ſi torqueretur, & fateretur, confeſſio eſſet nulla, eò quòd eſſet per injuſtam torturam extorta. *Paſſar. loc. cit. n.* 153. Quartò, ſi quis ab uno Iudice minus punitus fuit defectu Iuriſdictionis, à Iudice habente poteſtatem poterit puniri pœna ordinaria. *l. placet. verſ. ſi quis, & ibi communiter Doctores.* Quintò, quando cauſa non eſt finita per ſententiam, ſed per pacem, & tranſactionem Iuridicam factam cum parte, tunc licèt ſic abſolutus non poſſit à primo Accuſatore am-

pliùs accuſari, poteſt tamen accuſari à tertio, & Iudex ex officio poteſt contra illum procedere. Inter nos tamen, quando cauſa eſt finita per compoſitionem, Reus non poteſt ampliùs moleſtari ex noſtris Statutis *in 4. ſubſt. n. mihi* 136.

§. 9. Si ex tenore ſententiæ non appareat ex quo capite Reus fuerit abſolutus, nempè vel ob non commiſſum crimen, vel ob non patratum delictum: tunc communis opinio eſt, ut ſimplex abſolutoria intelligatur lata ex ea cauſa, quæ ex actis colligitur: Et ideò ſi ex proceſſu apparet de non commiſſo delicto ſecundùm Caball. *in qq. crim. caſ. 93. n. 39.* tàm de Iure communi, quàm ex practica Curiarum ſententia abſolutoria erit diffinitiva, itàut non poſſit Reus ampliùs moleſtari. Si verò ex proceſſu ſolùm conſtet crimen non eſſe probatum contra reum ſententia erit tantùm ab obſervatione Iudicii, & ſic poterit iterùm moleſtari novis ſupervenientibus indiciis. *Guaz. cum aliis ab eo relatis def. 2. c. 7. n. 11.* Et ſi ex actis non conſtet ex qua cauſa talis ſimplex abſolutoria lata fuerit, ſcilicèt, an ob non commiſſum crimen, an ob non probatum delictum, in dubio præſumitur ob non probatum crimen, & conſequenter ſecundùm communem praxim Curiarum, iſto caſu, ex novis ſupervenientibus indiciis poterit Reus ſic abſolutus iterùm moleſtari. *Cabal. ibid. n. 42.*, licèt de Iure communi tamquam diffinitivè abſolutus ampliùs inquietandus non eſſet. *Tuſch. in lit. S. concl. 168. n. 16. ubi de communi opinione teſtatur.*

§. 10. Gratiatus à Principe, ſeu Superiore, non poteſt ampliùs moleſtari. *l. 1. & per totum Cod. de ſent. poſt. l. fin. C. de general. abſolut. Pariſ. lib. 4. conſ. 1. n. 59.* Et ideò Advocatus producat in Actis gratiam à Principe, ſeù Superiore obtentam, & ſi illam præ manibus non habeat, alleget ipſam in actis. Et ſi gratia fuerit deperdita, poterit probari per teſtes. *Guaz. ibid. c. 9. n. 5.* Item ſemel compoſitus de uno delicto cum Fiſco, non poteſt ampliùs de illo moleſtari, ſive proceſſus fuerit conſtructus per accuſationem, ſive per Inquiſitionem, dummodo pars offenſa notitiam habuerit, & compoſitioni non contradixerit, *Guaz. ibid. n. 8.*, ubi *n. 10.* firmat, quòd majus privilegium habet compoſitus, quàm abſolutus ab obſervatione Iudicii; quia nec etiam novis ſupervenientibus indiciis ampliùs moleſtari poterit, cùm abſurdum ſit, quòd delicta ſemel per compoſitionem dimiſſa in ultionem iterùm redeant. *cap. ſi illis 23. qu. 4.* Secùs in gratuita obligatione; quia tunc poterit ex novis ſupervenientibus indiciis moleſtari. *Farin. quæſt. 5. num. 1. verſ. amplia præfatam.*

De defenſione quoad perſonam Iudicis.
Regula Quarta.

§. 1. PRæmiſſis ſupraſcriptis tribus Regulis generalibus ad defenſionem Reorum ſpectantibus, reſtat modò agendum de Regulis particularibus: & primò de nullitate proceſſus ex defectu Iuriſdictionis proveniente, quæ reſpicit perſonam ipſiuſmet Iudicis, quòd ſit, v.g., incompetens: ut deſtructo fundamento omnia indè pariter corruant; proceſſus enim ex defectu Iuriſdictionis eſt prorſus

nullus,

nullus, & invalidus etiam parte non opponente, nam ab eo judicatum non dicitur, qui Ius dicendi non habet. *l.* 1. §. *hæc autem. ff. quod quiſque Iuris. Anch. Dec. Guaz. Farin. & alii communiter*. ità quòd non poſſit convalidari per ſpontaneam prætenſi Rei confeſſionem. *Marſil. ſing.* 20. *Gomez. tit. de delict. cap.* 22. *num*. 8. *verſ. nec obſtat. latè Rimin. Iun. lib.* 2. *conſil.* 126. *num.* 15. *Bajard. ad Clar. quæſt.* 64. *numero* 9. *in fine. Clar. quæſt.* 55. *verſ. præterea. qui teſtatur de communi*. Ità quòd ſanatis omnibus aliis nullitatibus cum clauſulis quantumcumque prægnantibus non intelligitur ſanatus defectus Iuriſdictionis. Et licèt contra tres ſententias conformes non poſſit opponi aliqua exceptio, donec fuerint executioni demandatæ. *Clem. ut calum. de re jud.* poterit tamen opponi exceptio ex defectu Iuriſdictionis. *Vant. in tit. de nullit. ex defect. Iuriſd. n.* 6. *Ubi alios cumulavit. Scac. de appellat. q.* 17. *lim.* 9. *n.* 2. *& ſeq.*

§. 2. Multipliciter autem Iudex poteſt eſſe incompetens ex defectu Iuriſdictionis: Vel quia ſimpliciter Iuriſdictionem non habet, neque Ordinariam, neque Delegatam, ſed illam uſurpat, & de hac nulli eſt dubium, quòd proceſſus à tali Iudice conſtructus eſt ipſo Iure nullus: Vel quia habens Iuriſdictionem in cauſis civilibus tamen vult contra aliquem criminaliter procedere. *Ang. de malef. in verb. per Iud. malef. n.* 1. *Corrad. in pract. tit. de Inquiſ. n.* 6. *Farin. q.* 1. *n.* 56. *Vant. ibid. n.* 54. Et licèt nonnulli Doctores à Guaz. cit. in def. 1. *c.* 13. *n.* 2. *& ſeq.* videantur in contrarium ſentire, & diſtinguant inter Iudicem Ordinarium, & Delegatum, ſunt tamen intelligendi, ut inquit idem Guaz. *ibid. n.* 7, ut Iudex Civilis poſſit cognoſcere de crimine coràm eo emergente, quandò illud crimen, vel Cauſa criminalis eſt taliter principali cauſæ connexa, ut ſine ea principalis cauſa definiri non poſſit, aliàs ſecus, ut declarat etiam Menoch. *q.* 91. *n.* 9. *Farin. q.* 1. *nu.* 58. Vel ſi eſſet Delegatus, quia non oſtendit litteras ſuæ Commiſſionis, nam eius Iuriſdictio conſtare debet per publicam Scripturam, & ipſi credendum non eſt in præjudicium tertii etiam ſi fuerit Cardinalis. Gloſ. *in cap. Sicut in fin. in verb. alio modo de ſent. excom. Abbas in cap. cùm à nobis. verſ. nota pulcrum de teſt. Egid. dec.* 636. *Vant. in tit. ibid. n.* 9. *& ſeq. Maſc. de probat. concl.* 140. Et ſi Reus fuerit citatus à Delegato non tenetur comparere, ſi in citatione non apponeret copiam Delegationis. *Innoc. in cap.* 1. *verſ. ulterius de dilat. Ang. conſil.* 8. *Dec. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 12. Et ſi iſte Delegatus alteri committeret cauſam, hoc erit illi objiciendum, cùm Delegatus non poſſit ſubdelegare in cauſa criminali. *Clar. q.* 41. *num.* 2., ubi concordantes allegat, & teſtatur de communi, quòd maximè procedit, ſi in commiſſione eligeretur induſtria illius, ut alibi adnotavimus, ità quòd, ut nec partes poſſint conſentire in prorogatione Iuriſdictionis Iudicis ſubdelegati. *Guaz. ibid. n.* 17. *& cap.* 7. *n.* 1.

§. 3. Item quando ab alio Iudice exercitio Iuriſdictionis fuit legitimè præventus; quia dum unus Iudex fuit ab altero præventus, in primo Iudice præveniente Iuriſdictio dicitur collocata, & ab omnibus alijs abdicata. *l. ſi quis poſtea de Iud. c. penult. de foro competen. Dec. in tract. crim. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 22. *n.* 1. *Feder. de Senis conſ.* 97. *n.* 1. *&* 2., ubi teſtatur de communi. *Tuſch. tom.* 6. *concl.* 446. *n.* 1. *&* 2. In hoc tamen Advocatus debet eſſe cautus, ut excipiat de incompetentia Iudi-

cis; quia ineptè excipiet, cùm ſit Iudex competens, nec excipiat de privilegio fori; quia etiam ſimiliter ineptè excipiet; ſed debet excipere contra illius proceſſum, allegando, quòd eius Iuriſdictio fuit præventa per cognitionem alterius Iudicis, ut poſt Bald. benè docent Marian. Socc. *in cap. Propoſuiſti de foro compet. nu.* 35. *Dec. ibid. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 22. *num.* 2. Et idem dicitur ſi re adhuc integra moriatur Delegans, in tali caſu Delegatus procedens ſine Iuriſdictione procedit. *Maſtril. decif.* 6. *n.* 12. *Burg. q.* 867. *nu.* 10. quia ſi res eſt adhuc integra in morte Delegantis, expirat Iuriſdictio Delegati. *Fel. in cap. licet de offic. ordin. n.* 8. *Dec. ibid. c.* 25. *nu.* 20. Et etiam dicitur Iudex incompetens ſi ex juſta, & legitima cauſa fuit ſuſpectus allegatus; quia ut ſic non poteſt ampliùs progredi in cauſa, cùm eius Iuriſdictio remaneat ſuſpenſa, dummodo ſuſpicio non ſit notoriè iniuſta, vel inepta. *Paſſar. qu.* 25. *a.* 7. *n.* 68. Et proceſſus deindè factus per Iudicem recuſatum eſt nullus, & ſententia nulla. *Bart. in l. quia poterat ff. ad Trebell. Tuſch. ibid. concluſ.* 913. *Cavalch. de bracch. reg. p.* 3. *n.* 274., ubi dicit, hoc procedere in Iudice Ordinario, ut ſola allegatio cum juramento ſuſpendat Iuriſdictionem, ſecùs in Iudice bracchij Regij; quia in iſto requiritur, ut conſtet de legitima cauſa. Et licèt Innoc. *in cap. ſpeciali de appel.* contrarium teneat, Communis opinio tamen eſt, ut ſi poſt recuſationem effectualiter Iuriſdictio Iudicis in alium ſit translata, vel per recurſum ad arbitros, vel per appellationem, tunc proceſſus ſit omninò nullus, juxta ſententiam Bart., & omnia veniant revocanda per viam attentatorum, etiam ſi appellatio fuiſſet deſerta, vel etiam ſi de deſertione notoriè non conſtet in actis. *Lancel. de attent. c.* 6. *& c.* 12. *n.* 1. *Addit. ad Farin. conſ.* 17. *in lit. A.* ubi firmat, quòd ità tenent Doctores ſine aliqua controverſia, & ibi Farin. *in eod. conſ.* 17. *n.* 1. ubi teſtatur de magis communi.

§. 4. Et ſimiliter proceſſus eſt nullus, & ſententia nulla ex incompetentia Iudicis, ſi Ordinarius procedat ut Delegatus. *Fel. cap. cum officij. n.* 28. *de præſcript.*, & ſub *n.* 31. dicit hanc opinionem eſſe communem. *Dec. c.* 25. *n.* 23., ubi poſt Felin. ibi limitat, quando Ordinarius ſciret Delegationem eſſe nullam, vel niſi Iudex procederet cum clauſula *Omni meliori modo. Burg. dec.* 27. *nu.* 2. *p.* 1. *Cavalch. ibid. p.* 1. *nu.* 164. Et ordinarius habens Iuriſdictionem ordinariam, & delegatam, in dubio cenſetur procedere, ut Delegatus. *l.* 3. *ff. de milit. teſt.*, & maximè ſi in ſententia adeſſet dicta clauſula *Omni meliori modo. Felin. in cap. cum ex offic. n.* 34. *de præſcript. Dec. lib.* 2. *reſp.* 41. *n.* 26. *Cavalch. ibid. nu.* 264. etiam ſi expreſſiſſet ſe ordinarium, quia cenſeretur demoſtrationis gratia, ſe id expreſſiſſe. *Felin. ibid. n.* 35. Et ſi ſupervenerit Iuriſdictio, vel poteſtas in Delegato, ſi à principio nullam, & invalidam haberet, non convaleſceret. *Vant. de nullit. ex def. Iuriſd. de legat. nu.* 31. ubi alios concordantes allegat. Et ſi Reus fuit interrogatus à Iudice incompetenti putans illum eſſe competentem per talem interrogationem non dicitur prorogata Iuriſdictio, nam conſtito de errore omnia poſſunt revocari. *ità Doctores in l.* 1. *ff. de Iuriſd.*, quia per ignorantiam facti impeditur prorogatio. *Dec. tom.* 1. *lib.* 6. *c.* 23. *n.* 13. Et idem dicitur ſi Delegans procedere velet, ut Ordinarius. Sit exemplum v. g. de Viſitatore ad aliquam Provinciam viſitandam miſſo. Iſte enim cùm ſit tantùm Iudex Delegatus ad Religioſos illius Provinciæ, ad quam viſitandam

miſſus

miſſus fuit, non poteſt ſuam Iuriſdictionem prorogare ad Religioſos alterius Provinciæ, etiã ſi in ipſa Provincia delinquerent; quia talis punitio ſpectat ad Provincialem qui eſt Iudex Ordinarius in tali Provincia, ut alibi diximus. Niſi forſan ipſi Religioſi Advenæ in eius perſonam delinquerent: tunc enim poteſt illos punire, ſi tamen per hoc contingat ſuam Iuriſdictionem turbari. *cap. 1. & ibi Gloſſ. final. Abb. n. 1. & 6. Felin. n. 1. 14. & 15. de offic. Deleg. cap. Prudentiam. cap. Præterea. cap. Suſpicionis. cap. Paſtoralis §. idem, & §. final.* Secùs autem ſi per talem offenſam illius perſonæ factam non contingeret ſuam Iuriſdictionem turbari; nam in tali caſu ex duplici capite eſſet incompetens, & ex defectu Iuriſdictionis, & ex inimicitia, ut infra in ſequenti §. clariùs, & evidentiùs patebit.

§. 5. Certum eſt enim, quòd quotieſcumque agitur de Cauſa propria Iudicis, Iudex ipſe eſt incompetens. *cap. 1. qu. 4. l. ſi quis Cod. unde vi, & Cod. ne quis in ſua cauſa.* Undè ſi Iudex in Cauſa offenſionis propriæ velit procedere tali pacto agens nulliter facit etiam parte non opponente. Immò qui Ius ſibi dicit in re ſibi debita cadit à Iure ſuo. *l. extat ff. quod met. & cau.*, nimirùm de offenſa vel illi, vel alicui ex propria familia illata. In hoc enim caſu nedum non poteſt Iudex offenſus de hujuſmodi cauſa cognoſcere. *l. 1. C. ne quis in ſua cauſa. l. qui in Iuriſdict. ff. de Iuris. omn. jud.* ſed à multis dicitur proceſſus ipſo Iure nullus, quos refert Vant. *de nullit. ex defect. Iuriſd. nu. 96. quem ſequitur Guaz. def. 1. c.* 18. Et tunc cauſa dicitur propria Iudicis, quando commodum, vel incommodum illius ſpectat ad perſonam Iudicis principaliter. Nihilominùs alij diſtinguendo dicunt, quòd ſi agatur de offenſa facta Iudici ratione particularis odij, & perſonalis offenſæ proceſſus eſt ipſo Iure nullus; ſed ſi agatur de offenſa facta alicui de familia proceſſus non eſt nullus, niſi parte opponente. Sed ſi offenſa facta eſt Iudici contemplatione officij: Si offenſa eſt notoria notorietate permanente, & pœna contra delictum eſt certa, & determinata in Iure, poteſt Iudex in ea procedere, aliàs minimè. *Clar. q. 55. Farin. q. 17. nu. 4. Guaz. ibid.* Quòd maximè procedit, quando notorium eſt facti tranſeuntis; nam quia tunc indiget probatione, & Iudex in hujus notorij probatione poteſt gravare partem, benè poteſt quoque in hoc caſu tãquam ſuſpectus recuſari, cum multa dicantur notoria, quæ verè, & realiter notoria non ſunt. *Panorm. Franch. in cap. cum veniſſet de Iud. quos ſequitur Bajard. ad Clar. q. 55. n.* 30. Parte tamen conſentiente, & non recuſante Iudicem, ſi ipſe cognoſcat cauſam, proceſſus nec erit nullus, nec irritandus, poteſt tamen ſemper excipere de incompetentia Iudicis, ſi in eo aliquid iniuſtitiæ expertus fuerit, & ex quacumque alia ſimili cauſa, etiam quòd ab initio ante litis conteſtationem non exceperit. *Paſſar. q. 25. a. 7. n. 68.*

§. 6. Viſa competentia, vel incompetentia Iudicis, debet prudens Advocatus conſiderare ante omnia, an Iudex ſervavit in ſuo proceſſu ſubſtantialia Iudicij, & qua forma ſit conſtructus. An, ſcilicèt, per Accuſationem, Denunciationem, vel Inquiſitionem. Et quis ſit Accuſator, Denunciator, Exceptor, Infamia, Notorietas, & cætera huiuſmodi generalia vices Accuſationis, vel Denunciationis gerentes, cùm ſine iſtis nemo condemnari poſſit. Et licèt Prælati Regulares punire poſſint ſine Accuſatore, vel Denunciatore delicta levia, & gravia Subditorum, eò quòd puniantur ſine proceſſu: In cauſis tamen gravioribus, & graviſſimis, quæ

non

non poſſunt agitari ſine proceſſu, & infamia delinquentis, non poſſunt Prælati procedere, & punire ſine Accuſatore, vel Denunciatore vero, vel ficto, qui vicem illorum gerat. *cap. Nihil 2. q. 1. cap. Dignum 3. q. 1. c. 1. de accuſ. Cap. Forus §. in omni negot. de verb. ſignif.* Et ubi non conſtat de Denunciatore, vel Accuſatore in proceſſu, primus teſtis, qui reperitur examinatus habetur pro Denunciatore. *Dec. lib. 2. reſp. 93. nu.* 125. & idcircò, ut Denunciator non probat, ad quod benè advertere debet Advocatus, ut inquit Bertaz. *lib. 2. conſil. 251. n. 103.* qui exclamat contra Iudices aliter facientes.

§. 7. Si verò Iudex proceſſit ex officio per ſpecialem Inquiſitionem videat Advocatus, an præceſſerit infamia, & ſit probata in Actis; quia ſi non præceſſit, aut non ſit probata, proceſſus eſt nullus, ut infra ſuo loco diffuſiùs explicabimus. Item conſiderare debet interrogationes factas tàm teſtibus, quàm Reo; an, ſcilicèt, ſint ſuggeſtivæ, nec nè, quia ſi ſuggeſtivæ ſunt, proceſſus eſt ipſo Iure nullus. *Clar. q.* 21. Et in dubio præſumitur ſuggeſtio. *Bord. q. 68. n. 20.* Quæ nullitates in quocumque genere ſint; ſeù mali proceſſus, ac etiam procedendi modi coràm Iudice Delegato non ſanantur neque per ſpontaneam Reorum confeſſionem, nec talis confeſſio ipſis Reis nocere poteſt, *ut habetur in tex. in l. 1. §. Divus Severus ff. de queſt. Brun. de indic. p. 2. q. 5. n. 42. Boſſ. tit. de confeſ. reor. n. 1. & 18. Foller., de Bictis. Guaz. Cavalch. de brach. reg. p. 3. nu.* 188. ubi inſuper addit, ut procedat etiam ſi non fuerit expreſsè revocata: Et inſuper Doctores communiter affirmant hoc procedere etiam ſi confeſſio fuerit jurata, & juramento ſubſcripta. *Marſ. in l. queſtiones. n. 67. Moſc. concl. 353. Bertaz. conſ. 39. n.* 8. *Burſat. conſ. 206. num. 24. Honded. conſ. 108. nu. 29. & 32.* ubi firmat eſſe concluſionem ab omnibus approbatam, & etiam quamvis ageretur de crimine læſæ majeſtatis. *Rol. conſil. 12. num. 94. lib. 3. Mod. Rom. q. 83. nu. 6.* cum mille alijs, & in alio quocumque crimine graviſſimo. *Marſ. conſ. 14. n. 20. Addit. ad Farin. in conſil. 19. in lit. A. verſ. item.*

§. 8. Nec mihi hîc prætermittendum videtur, quòd cùm proceſſus contineat, vel continere debeat ea omnia, quæ in proſecutione Cauſæ deducta fuerint: hinc eſt, quòd Iudex ante publicationem proceſſus pronunciativam, ſeù inſinuativam dictum proceſſum nemini pandere debet: Et ſi ipſe, vel Notarius ſecreta, & merita cauſæ ante dictam publicationem panderent, inciderent in pœnam falſi, & pœna extraordinaria eſſent puniendi. Cavalc. qui alios citat. de teſti. *p. 5. n. 221. & ſeq.* Immò nec teſtis ipſe poteſt ſuam depoſitionem alteri propalare. *Dec. in tract. crim. tom. 3. lib. 7. c. 15. n. 15. Cavalc. ibid. n. 226.* Et licèt ille, cui oſtenſa, ac propalata fuerunt, nulla pœna puniatur. *Ang. lib. 1. conſ. 20. Bajar. §. falſum. nu. 221. ad Clar.*, tamen ſi & ipſe aperiret & alteri propalaret tales atteſtationes, eſſet puniendus pœna arbitraria. *Cavalc. loc. cit. n. 225. Guaz. def. 24. c. 1. nu.* 12. Nec talis publicatio proceſſus offenſivi eſt neceſſaria, ſed tantùm ſufficit, quòd in criminalibus tribuatur copia illius, etiam ſi per viam Inquiſitionis procedatur, vel per viam Notorij: vel ſaltem eſt neceſſarium quòd fiat oblatio dictæ copiæ, licèt non petatur, ex officio ipſius Iudicis, cùm ipſe teneatur ex officio quærere de innocentia Inquiſiti, quidquid alij in contrarium doceant. *Guaz. ibid. c. 2. nu. 5.* Et cum dicta copia, debet etiam dare tempus ad indicia purganda.

De

De Defenſione quoad Corpus Delicti. *Regula Quinta.*

§. 1. REcognitio corporis delicti eſt ita de eſſentia proceſſus, ut reus non poſſit damnari, niſi conſtito de illo ſi eſt facti permanentis. Et talis proceſſus, in quo priùs non conſtat de dicto corpore delicti eſt ipſo Iure nullus. *l. 1. §. item illud. ff. ad Syllan. Clar. q. 4. n. 1., ubi teſtatur de communi. Rol. lib. 1. conſ. 51. nu. 10. Burſat. lib. 2. conſ. 166. n. 27. & conſ. 201. num. 30.* Et Honded. *lib. 1. conſ. 107. n. 9.* dicit, quòd eſt concluſio Iuris indubitata, ità ut non poſſit deveniri ad aliquem actum, niſi priùs conſtet de corpore delicti. Et Pet. Cabal. poſt alios quos allegat *in cent. 3. caſ. 255. nu. 3.* docet, hoc procedere etiam ſi per teſtes de delicto quis eſſet convictus, quòd etiam verificatur in caſibus, in quibus proceditur ex abrupto. *Burg. de mod. proced. ex abrupt. q. 22. n. 3. & ſeq.* Et non conſtito de corpore delicti, omne quod deſuper ædificatur dicitur nullum. *Guaz. def. 4. c. 1. nu. 5. Rum. lib. 4. conſ. 80. n. 3. Honded. lib. 1. conſ. 102. n. 8.* & eſt communiſſima opinio. Undè non conſtito de corpore delicti, non poteſt Iudex contra imputatum devenire ad ſpecialem Inquiſitionem. *Rol. lib. 1. conſ. 51. nu. 11. Honded. ibid. conſ. 107. n. 7.* Immò nec citare *Dec. reſp. 96. n. 11. Burg. q. 22. n. 8.* Minuſque poterit illum examinare. *Mod. Rom. q. 2. n. 1. & ibi Doctores.* Neque poteſt procedere ad capturam. *Farin. Gom. Boſſ. Guaz. ibid. nu. 6.*, & alij quos citat, & ſequitur de Bictis. *q. 12.* inter quos Bonacorſ. teſtatur de communi. Et ſi capiatur Clericus, vel Religioſus non conſtito de corpore delicti. Iudex incidit in excommunicationem. *Farin. q. 2. n. 2.*

§. 2. Nec convalidatur proceſſus ex eo quòd poſt ſententiam conſtet de corpore delicti, cùm ſententia ex novis probationibus non convaleſcat. *de Bictis q. 89. Bajar. ad Clar. q. 66. n. 9. Guaz. ibid. c. 1. nu. 21.* Nec minus per confeſſionem Rei, cùm ſit regula tritiſſima, ut non ſuppleatur corpus delicti per confeſſionem, cùm quis non ſit Dominus membrorum ſuorum. *l. liber homo ff. ad legem Aquilam & l. non tantùm ff. de pœnis. Gram. conſ. 60. Boſſ. tit. de delict. n. 15.* ubi dicit, hoc nullam habere difficultatem; quòd in tantùm eſt verum, ut confeſſio nullum afferat præjudicium confitenti, niſi priùs conſtiterit de corpore delicti, ut confitens debeat abſolvi. *Clar. q. 55. n. 10.* & ratio eſt, quia ubi lex de aliqua re diſponit debet priùs de illa conſtare. *l. Divus ff. de teſtim.* Et qui vult probare qualitatem, debet priùs probare ſubſtantiam ſupra quam fundatur illa qualitas. *l. ſi arbitr. ff. de prob.* ac etiam ejus qualitates, & circumſtantias. *Farin. in prax. q. 2. nu. 4.* Et quamvis hæc diligentia de qualitatibus, & circumſtantiis ſit neceſſaria ad majorem perfectionem Iudicii, non tamen eſt neceſſitas abſolutè ſubſtantialis, ità quòd ea deficiente proceſſus ſit nullus. *Paſſar. q. 20. a. unic. n. 7.* Sufficit enim tantùm probare corpus delicti, & quòd doloſè, & ſceleſtè fuerit perpetratum. *l. 1. §. item illud ff. ad Syllan. Farin. q. 2. n. 1. & 4. Scac. tract. crim. q. 93. n. 6. Guaz. ibid. c. 2. n. 1.* Et in dubio an delictum fuerit ſcelere patratum per ſe loquendo, ſumenda eſt inter-

terpretatio ſceleris excluſiva. *l. meriti. ff. pro ſocio*. Et debet conſtare non per ſolas præſumptiones, & indicia, ſed liquidè, & per plenas probationes. *l. 1. §. item illud ff. ad Syllan. & l. ſi quando* C. *unde vi*, & docent communiter Doctores. Immò per evidentiam facti ſi id fieri poteſt, ità quòd ſaltem veſtigium relictum per ſenſum innoteſcat, & oculis ſubjiciatur, & id per viſum, & repertum judicialiter probetur, ut tradunt. *Clar. q. 4. Scac. c. 85. n. 17. Farin. q. 2. n. 6.*, & alii communiter. Vel per teſtes de viſu, vel per famam, quando aliter conſtare non poteſt. *Cavalc. de brach. reg. p. 3. n. 13.*

§. 3. Advertat tamen Advocatus, quòd quando Doctores dicunt Corpus Delicti poſſe probare per famam, hoc eſſe intelligendum, quando cum fama concurreret Rei confeſſio, nec poſſet aliter conſtare. *Guaz. def. 4. c. 4. n. 3.* Undè poterit idem Advocatus pro totali exculpatione ſui principalis deducere famam non eſſe legitimè probatam, & non habere ſua requiſita, prout requiritur, *ut tradit Brun. à Sole in ſuo unic. tract. conſ. crim. n. 50.* Vel poterit probare contrariam famam per validiores probationes per quas eliderecur contraria fama Fiſci. *Natt. conſil. 262. n. 10. lib. 2. Cravet. conſ. 8. n. 8. Bertaz. lib. 2. conſ. 283. n. 25*. Quòd etiam procederet, ſi teſtes deponentes de non mala fama eſſent numero pauciores illis, qui deponerent de mala fama. *Dec. reſp. 104. n. 20. lib. 5. Honded. lib. 2. conſ. 51. num. 38.* Immò iſta mala fama de corpore delicti abſque alio adminiculo, & ſine confeſſione Inquiſiti non ſufficit, niſi ad inquirendum ſuper delicto, & non ad torquendum. *Foller. in pract. crim. in verb. item quod ſuffucavit. n. 16. & 20. Mod. Rom. q. 2. n. 29.* Et generaliter numquam Iudex devenire poteſt ad torturam non conſtito de corpore delicti etiam ſub prætextu cujuſcumque facultatis, vel arbitrij ſibi conceſſi à lege, vel Statuto, ſeù à Principe. *Bald. in l. ſi quando. Cod. unde vi. Brun. de Ind. Burſat. lib. 2. conſ. 201. n. 89. & ſeq. Guaz. def. 4. c. 3. n. 14.* Quòd verificatur etiam ſi Inquiſitus eſſet aliàs de delicto legitimè indiciatus. *Boſſ tit. de Ind. n. 14. Mod. Rom. q. 38. n. 2. Burg. q. 22. nu. 11. Guaz. ibid. n. 15.* Nec tortura juſtificabitur; ſi deindè ſupervenerit corpus delicti, cùm fuerit illata Iuris ordine non ſervato. *Gl. in l. 1. Cod. de queſt. & in l. 1. in princip. ff. eodem.*

§. 4. Eſt autem ità neceſſaria iſta recognitio, ſeù probatio corporis delicti, ut defectum illius nec ſuppleat Rei confeſſio ſpontanea, vel in tortura, ità quòd non poſſit, ut ſupra diximus damnari, niſi conſtet de corpore delicti, ſed Reus debet abſolvi cum clauſula *Rebus ſic ſtantibus*, vel etiam ex capite Innocentiæ, ſi facta tota diligentia conſtat non adeſſe delictum. *Guaz. ibid. n. 5.* Quæ probatio delicti debet conſtare per peritos, ităut non ſufficiant teſtes non periti. Undè Advocatus clientem ſuum defendere poterit, probando teſtes ſuper dicto corpore delicti examinatos non fuiſſe de illo delicto expertos, vel peritos; & ideò non poſſe ſequi condemnationem, licèt Reus faſſus fuerit delictum. *Alex. conſ. 155. n. 3. & ſeq.* Et quandò adhiberentur teſtes non periti, dicitur conſtare de corpore facti, & non de corpore delicti. *Scac. q. 83. n. 16.* Et ſi in loco ſunt plures periti, & unus ſolus fuit adhibitus, corpus delicti non dicitur verificatum. *Maſc. de prob. lib. 2., concl. 674. n. 20. & n. 21.* dicit, quòd ſaltem duo periti requiruntur. Nec ſufficit, ſi dixerint ſe eſſe peritos, ſed debet conſtare per alios teſtes ipſos eſſe peritos, ut poſt

alios,

alios, quos allegat firmat Rim. Iun. *conſ.* 571. *nu.* 32. *lib.* 5. *Guaz. ibid. cap.* 5. Ad quod Advocatus benè advertat; quia ex iſto capite poſſunt annullari proceſſus.

§. 5. In delictis verò difficilis probationis, ſeù facti tranſeuntis ſufficit probare corpus delicti per conjecturas, & præſumptiones, & talis probatio debet eſſe certa, cùm Iudex non poſſit probare delinquentem, de quo eſt dubium, an deliquerit. *Mod. Rom. q.* 2. *n.* 12. *Clar. q.* 66. *Paſſar. loc. cit. n.* 18. Quare benè ſit cautus Advocatur, nè in defenſione ſui clientis decipiatur à Doctrina Clar. *q.* 55. fundata in auctoritate Boſſ. *tit. de delict. n.* 15. qui videtur concludere, quòd in delictis facti tranſeuntis per ſolam querelam partis dicitur conſtare de corpore delicti, itaut ſi ſequatur confeſſio Rei, etiam ſequi poſſit eius condemnatio: quia nullo modo talis opinio eſt recipienda, & multò minus admittenda; cùm in hujuſmodi delictis facti tranſeuntis probari debeat ejus corpus per aliquas conjecturas, præſumptiones, & indicia, ut benè advertit Mod. Rom. *q.* 2. *n.* 3., & ſequitur Bajard. *q.* 55. *nu.* 22. dummodo tamen iſtæ præſumptiones, & indicia ſint valida, & à Iure approbata. *Foller. in pract. crim. in verb. capiat informationem. num.* 78. *Mod. Rom. loc. cit. num.* 12.

§. 6. Indicia autem cujuſcumque generis ſint, nulla reputantur, niſi quòdlibet ipſorum per duos ſaltem teſtes integros probata ſint: *l. fin. verb. de indic. C. familiæ. Gomez. Maſc. Clar. q.* 20. *n.* 1. *Farin. q.* 37. Et eadem indicia unuſquiſque in ſua claſſe, & in quocumque genere debent eſſe luce meridiana clariora, certa, & non dubia, non æquivoca, concludentia, & delictum inferentia; itàut ſola Rei confeſſio deeſſe videatur: Secùs acta erunt nulla, & Iudex ad famæ reſtitutionem, & ad omnia damna tenebitur. Et adverte quod probatio præſumptiva rei, ut alibi diximus, tollit veram præſumptionem fiſci;ità quòd ſi probationes fiſci in aliquo excederent probationes Rei, Reus nihilominùs abſolvi debet, & pronunciandum erit contra Fiſcum. *Maſc. concl.* 36. *n.* 29. *Dec. lib.* 2. *reſp.* 93. *n.* 56. Immò ſi indicia inquiſiti ſint debiliora, adhuc operantur ad diminuenda urgentiora fiſci. Et Farin. cum nonullis ab eo citatis *q.* 37. *n.* 112. aſſerit, quòd ubi ſunt hinc indè indicia pro Reo, & contra Reum, ad hoc, ut poſſit devoniri ad torturam, (& idem dic de condemnatione) ex indiciis contra Reum exiſtentibus, illa debent eſſe multùm urgentia, ut ſuperent indicia faventia ad excuſationem ipſius Rei.

§. 7. Cùmque probationes ſint de Iure Divino teſte Marant. *in ſpec. p.* 4. *diſt.* 9. *n.* 10. hinc eſt, quid nemo poteſt poni inter Reos, & multò minus torqueri, aut condemnari ſine legitimis indiciis, & probationibus, quæ apud nos debent ſaltem pertingere ad ſemiplenam probationem, ut volunt Ordinis ſtatuta; Et ſententia ſine probationibus non ſolùm eſt injuſta, ſed & nulla. *Gabriel. lib.* 2. *tit. de ſent. concl.* 9. *nu.* 5. *&* 14. Undè qui habent facultatem judicandi ſola facti veritate inſpecta, intelligi debet de illa veritate, cui Ius patrocinatur. *Bald. in l. nemo circa finem Cod. de ſent. & Interl. Nat. deciſ.* 11. Et quando cauſa de ſua natura non eſt ſummaria, ſed ex privilegio, erit ſummaria quoad Ordinem, non quoad probationem. *Natt. conſ.* 252. *n.* 9. *Rim. Iun. lib.* 2. *conſ.* 115. *n.* 62. *Roman. conſ.* 191. *in fine.* Et licèt liberum arbitrium datum ſit, intelligitur datum quoad perſonas, non quoad dicta examinatorum. *Cavalc. de brach. reg. p.* 3. *n.* 77. ex *Bald. lib.* 5. *conſ.*

115.

115. *nu.* 4. *& Cravet. lib.* 1. *conſ.* 13. Ad quæ omnia benè advertere debet Advocatus; quia multi Iudices inexperti ſub prætextu procedendi ſummariè, vel ſola facti veritate inſpecta, vel libertatis arbitrii omittunt ea, quæ de Iure omittere non poſſunt, vel ſibi uſurpant majorem Iuriſdictionem, quam illis à legibus, ſeù Statutis conceditur; & ſic invalidos reddunt proceſſus, & ſententias nullas.

De Defenſione quoad modum procedendi. Regula Sexta.

§. 1. Circa modum procedendi à Iudicibus præcipuè Regularibus poteſt Advocatus multa lucrari ad favorem ſui principalis. Et primò, quoad modum procedendi per viam Inquiſitionis generalis animadvertat idem Advocatus, quòd Prælatus, ſeù Iudex Regularis in Generali Inquiſitione non poteſt inquirere de aliqua particulari perſona ſpecialiter an hoc, vel illud crimen commiſerit, intellige de gravioribus, & graviſſimis, neque cuiquam præcipere poteſt, ut ſibi tamquam Iudici occultum aliquod crimen patefaciat, niſi præceſſerint indicia, vel aliqua diffamatio de illo. *Rol. conſil.* 24. *n.* 9. *Clar. q.* 6. *Marſil. ſing.* 14. *Rimin. Iun. lib.* 6. *conſ.* 647. *n.* 2. *& ſeq. & lib.* 2. *conſ.* 817. *n.* 22. *Scac. c.* 84. *nu.* 15. Et dato etiam, quòd poſtea ſupervenerint indicia, vel diffamatio; non juſtificabitur Inquiſitio, vel proceſſus, ut poſt Bald. Specul. Ruin, Marant. Carer, & alios Marcabrun ad Anguill. *conſ.* 50. *n.* 11. teſtatur de communi, ità quòd ſi teſtes probarent delictum, & non diffamationem, non nocerent Inquiſito ex traditis per Marſ. *conſ.* 25. *num.* 6. *conſ.* 48. *num.* 10. *conſ.* 53. *num.* 15. *Soc. Iun. lib.* 2. *conſ.* 37. *& conſ.* 127. *num.* 6. *Gram. conſ.* 38. *n.* 22. *& conſ.* 42. *n.* 18. Et Inquiſitio, quæ ſupra hujuſmodi diffamationem inſtitueretur, nulla eſſet eo ipſo, in tantùm, ut ſi quis de occulto crimine à Iudice in generali inquiſitione interrogatus illud detexerit, delinquens ex illius depoſitione nullatenùs ſecundùm Iura puniri poſſit. *Bover. p.* 2. *c.* 3., ubi firmat, quòd illud dicitur occultum, quod quamvis teſtibus probari poſſit, nulla tamen de eo infamia percrebuit, Et Innoc. 3. *cap. Inquiſitionis de accuſat.* dicit, non poſſe Iudicem inquirere, & ex officio procedere, etiam ſi duo, vel tres cum juramento deponant, vel in Iudicio, vel extra aliquem, qui priùs non ſit diffamatus, quia non poteſt infamari: undè non ſufficit, ut per aliquos probari poſſit delictum, niſi etiam apud multos ſit diffamatum. *Bellegrand. tract.* 2. *q.* 1. *n.* 9. *in fin.*

§. 2. Quæ diffamatio aperit viam ad inquirendum in ordine ad Actorem fictum conſtituendum, ut indè Iudex ex officio procedere poſſit. Utrum autem ad hoc, ut Inquiſitio generalis ſtet pro Actore ficto, ſufficiat diffamationem præcedere abſque eo quod de iſta prævia diffamatione legitimè conſtet; an potiùs & ipſa debeat eſſe legitimè probata? controvertitur inter Doctores. Communis tamen, & verior opinio firmiter tenenda, eſt, quòd non ſit opus de prævia infamia legitimè conſtare, ſed ſufficere, ſi aut delictum, aut delinquens notificetur Iudici, ſive in Inquiſitione generali, ſive per litteras legitimè ſcriptas, ſive quovis alio modo ad aures ip-

ſius

ſius pervenerit. *Farin. q.* 1. *n.* 49. *& q.* 9. *n.* 18. *&* 21. *Clar.* §. *fin. q.* 5. *verſ. poterit. Bicſt. q.* 11. *n.* 9. *& q.* 13. *n.* 13. Undè ad conſtruendum proceſſum per Inquiſitionem generalem tres teſtes ſufficiunt, quorum primus aperiens, & notificans ſtet pro Actore, alij verò duo conteſtentur. At in Inquiſitione ſpeciali, & ex prævia infamia ad minus quatuor teſtes omni exceptione majores ſunt neceſſarij ad hoc, ut poſſit ſequi condemnatio; quorum duo primi comprobent de infamia, alij verò duo conteſtentur; cùm actor non poſſit eſſe ſimul, & teſtis, ut alibi diximus etiam ex noſtris Statutis *in* 3. *ſubſt. n. mihi* 118. Et idem dicendum eſt, quando crimen Prælato tanquam Patri fuit delatum; nam in tali caſu prorsùs abſtinendum eſt à ſpeciali Inquiſitione, cùm via judicialiter procedendi ex fraterna dilatione illi penitùs intercludatur, niſi delictum eſſet in publicum damnum.

§. 3. Quoad Inquiſitionem verò ſpecialem, quæ ut plurimum ex generali deducitur, niſi infamia præceſſerit per duos ſaltem teſtes legitimos initio proceſſus probata, nullo modo fieri poteſt. Et Acta aliter facta nulla ſunt, niſi Reus præſens de hujuſmodi probatione non excipiat, ut ex ipſo Iure colligitur. In qua ſententia omnes ferè conveniunt, exceptis Aretino, & Hoſtienſi apud Clar. *q.* 6. *verſ. ulterius ſcias.* confirmat idem Clar. *ibidem. Far. n. q.* 1. *nu.* 1. *& ſeq. uſque ad* 12. *Innoc. Bart. Ancar. & alij apud Felin. in Repertor. verb. Inquiſitio. Bover. par.* 2. *c.* 5. *Bicſt. q.* 13. *nu.* 10. Et huic ſententiæ favere videtur. Cap. *Inquiſitionis.* §. *ad hæc.* ubi ſic ſtatuitur. *Nullum eſſe puniendum de crimine ſuper quo aliqua non laborat infamia, ſeu clamoroſa inſinuatio non præceſſerit.* Nec loquitur in ordine ad condemnandum, cùm ex ſola infamiæ probatione non poſſit deveniri ad condemnationem, eò quia non facit ſemiplenam probationem, ſed loquitur in ordine ad procedendum, cujus ratio eſt; quia delatio alicujus delicti ad aures Iudicis, de quo nulla extat diffamatio, non tàm eſt delatio, quàm detractio, uti arguebant Nav. Innoc. & alij cum Boverio, ſed potiùs à Iudice incipit diffamatio in gravamen delinquentis: non enim parum gravatur quis, ſi contra ipſum ſpecialiter probationes ſumantur, de cujus delicto adhuc non eſt diffamatio; & ita Iudex fit ſimul, & Actor, quòd expreſsè cavetur *in cap. Hely de Simon.* §. 1. hiſce verbis. *Non tanquam ſit idem Accuſator & Iudex, ſed quaſi fama deferente, vel denunciante clamore ſui officij debitum exequatur.* Et tunc clamor pervenit ad Prælatum, cum per publicam famam, & inſinuationem frequentem ſubditorum ſibi referuntur exceſſus. *Idem cap. Hely ibid.* Et talis infamia, ſeù diffamatio debet habere ortum à perſonis fide dignis, & non à malevolis, ſuſpectis, ſeù infamibus. *Scac. c.* 84. *n.* 25. *& ſeq.* & habetur etiam in noſtro modo procedendi *in* 1. *ſubſt. n. mihi* 89. Nec poteſt Princeps, ſeù Superior committere Iudici, ut procedat ad Inquiſitionem ſpecialem non præcedente diffamatione. *Felin. in c.* 1. *n.* 5. *reſcript. Scacc. cap.* 84. *nu.* 21. Et multò minus poterit Iudex per ſe ipſum vigore arbitrij id præſtare *Socc. Iun. conſ.* 37. *n.* 2. *in fin. lib.* 4. *Menoch. de arbit. q.* 77. *n.* 2. *Scac. ibid. n.* 12., cùm talis probatio infamiæ non ſit de ſolemnitate, ut aliqui exiſtimant, ſed de ſubſtantia, ut infra dicemus.

§. 4. Undè prudens Advocatus diligenter conſideret in defenſione ſui Clientis, an præceſſerit, vel non talis infamia, ſeù diffamatio? quia ſi Inquiſitio facta eſt

ordine inverſo, ut priùs de crimine, & poſteà de infamia inquiratur, tunc proceſſus non tenet. *Felin. in Repert. verb. Inquiſitio; & citat Innoc. Bart. Anchar. & ſe ipſum c. qualiter. & quando, 1. de accuſat.* Et ſi præceſſit; an ſit, vel non probata ut ſupra; quia etiamſi præceſſiſſet, & poſteà non fuiſſet probata, proceſſus eſſet pariter nullus (dummodo tamen Reus non ſit confeſſus, cum confeſſio ſanet hanc nullitatem, ut patet per textum expreſſum *in c. 1. de accuſat. in 6.*) & de tali nullitate debet proteſtare, nè Acta nulla ex eius taciturnitate coaleſcant. *Alex. lib. 7. conſ. 320. n. 2. Rim. lib. 4. conſ. 80. nu. 3. Bajar. q. 64. nu. 31.* Et ſic poſſunt concordari Iura, & Canones, quæ ſibi contraria videntur, quatenùs aliqui docent valere proceſſum etiam non probata infamia, cùm talis probatio ſit potiùs de ſolemnitate: alij verò dicunt invalidum eſſe ſi excipiatur; eò quia probatio infamiæ in favorem Rei inducta fuit, & conſequenter reſpectu ipſius non eſt de ſolemnitate, ſed de ſubſtantia, ità ut Reo excipiente nullus ſit proceſſus, Reo verò præſente, nec reclamante validus permaneat; quia tacitè Iuri ſuo renunciare videtur. Nec ſuffragatur privilegium Bonifacij VIII. eximentem Regulares quoad ea, quæ ſunt de ſolemnitate, cùm probatio infamiæ ſolùm dicatur de ſolemnitate ſecundùm quid, & ex ſuppoſitione, quòd Reus præſens non appellet, nec excipiat, vel quòd ſit confeſſus; nam ſi eſt confeſſus, vel non excipiat valet proceſſus, ſecùs eſt nullus. *Belleg. tract. 2. qu. 7. n. 33.* Item animadvertat Advocatus à quibus infamia ortum habuit; quia ſi à malevolis, ſuſpectis, & infamibus non tenet, Reo tamen incumbit hoc probare, & ſi probat, neceſſariò velut ex indigno fundamento totus proceſſus corruit. excipe tamen quando agitur de re turpi, & in loco turpi patrata, ut in Lupanari; quia tunc tenet proceſſus, etiam quòd ortum habeat ab indignis.

§. 5. Nec credendum eſt Iudici aſſerenti præceſſiſſe infamiam, niſi ex actibus conſtet, *ut habetur in textu cap. Quoniam contra extra de probat. Clar. qu. 5. verſ. ſcias etiam.* Et debet eſſe legitimè probata per teſtes judicialiter receptos. *idem Clar. q. 31.* non enim ſufficiunt notificationes extra judiciales, alioquin proceſſus erit nullus. Et quia Iudex ante completam informationem, & teſtium publicationem non tenetur tradere copiam probationum, & ſi petantur, ſufficit, quòd aſſerat conſtare legitimè de fama; in hoc caſu & ex tunc Advocatus, & Reus Iudici aſſerenti credere tenentur, ſed ſi verè non conſtaret, invalidè procederet, & inquiſitionem tranſmitteret, ſuggeſtivè agens ex D. D. apud Bict. *q. 80. n. 49. & q. 102. n. 5. & q. 105. n. 3.* Quæ probatio infamiæ non ſolùm debet eſſe in ordine ad delictum, ſed etiam ad delinquentem; itàut Iudex ante Inquiſitionem ſpecialem ſaltem per duos Teſtes probet famam tàm delicti, quàm delinquentis præceſſiſſe; quia cùm fama præcedens tàm delicti, quàm delinquentis una ſit ex probationibus, quæ ad Rei condemnationem concurrunt, hinc infertur utramque famam in proceſſu de neceſſitate tanquam unum ex ſubſtantialibus probandam eſſe. Nec ſufficit, quòd poſteà ex Teſtium probationibus appareat, ſed ante proceſſum conſtare debet, ut diximus ſupra, aliter proceſſus erit nullus. Et idem dicitur ſi diffamatio ſequeretur poſt Inquiſitionem, vel Carcerationem. Et teſtes deponentes de fama, debent reddere ſufficientem cauſam, veriſimilem rationem, & probabilem conjecturam de ipſa, nominando illos à quibus ortum habuit, ſeù audierunt, cùm pondus infamiæ de-

 pendeat

pendeat ex qualitate dicentium, & ultra nominatos deponere quoque debent ab omnibus, ſeù à majore parte populi, vel Conventus id publicè dici, quæ omnia debent eſſe in Actis legitimè probata. *Bict. Clar. Marſ. concl.* 895. *n.* 9. Et inſuper debent ſcire, quid ſit fama, nempè, quòd ſit rumor ſparſus inter multos &c. Et ſi de hoc interrogati, reſponderent ſe neſcire, nihil probant. *Clar. q.* 21. *verſ. poſtremò ſcias*. Et tandem ad hoc ut probent, depoſitio ſuper infamia debet eſſe uniformis.

§. 6. Quoad modum verò procedendi per Denunciationem, & Accuſationem, Advocatus pro defenſione ſui principalis attentè conſiderare debet, an Denunciatio procedat à probis, & honeſtis viris; quia ſi à malevolis, & inimicis in Iudicium producta fuit, non eſt acceptanda, cùm exceptionem malevolentiæ, & inimicitiæ præſeferat, quæ ipſos reddit inhabiles ad Denunciandum, & teſtificandum. *Cap. per te; & cap. licet Hely de Simon. Ghiſl. qui plures allegat in arbit. Iud. crim. c.* 3. *p.* 2. *de accuſat. nu.* 6. *verſ. inimicus etiam*. Et proceſſus ſuper tali Denunciatione conſtructus etiam parte non opponente eſt nullus, quòd maximè procedit, quando Denunciator, & teſtes convenirent, ut unus Denunciet, & alij teſtificent; in quo caſu in ſententia Boverij Conſpiratores dicuntur; Undè iſti à lege *Cod. teſtes, & cap. ſuſp.* 2. *q. conſtituimus* 3. *q.* 5. *Farin. q.* 56. *num.* 128. omninò repelluntur, ut inimici. Et ſi adeſt locus, deducat Advocatus in favorem ſui clientis, quòd Iudex proceſſit ſine aperto Denunciatore, vel Accuſatore, ſe per ſecretas Denunciationes, vel notificationes, & ideò quamvis delictum eſſet plenè probatum adhuc Inquiſitus debet abſolvi. *Clar. q.* 5. *n.* 2. *Boſſ. tit. de accuſat. n.* 3. *& ſeq.* Cùm proceſſus ſit ipſo Iure nullus. *Mod. Rom. conſil.* 86. *n.* 54. *& in q.* 1. *n.* 49. Et in omnem caſum Advocatus deducat, non dato aperto Denunciatore, vel Accuſatore, ut primus teſtis, qui reperitur examinatus, habeatur pro Denunciatore, ut firmat Dec. *lib.* 2. *reſp.* 93. *n.* 125; & ideò ut Denunciator, non probat. *Bertaz. conſ.* 251. *num.* 103. *lib.* 2.

§. 7. Si cauſa ſit actitata per viam Accuſationis, caveat Advocatus, ut exceptionem opponat contra Accuſationem, ſi qua eſt, aliter proceſſus deindè fabricatus valebit. Corrad. *in pract. tit. de accuſat. n.* 14. *Alex. in l. penult. nu.* 362. *& ſeq. ff. de pub. Iud. Farin. q.* 12. *n.* 54. *Dec. in tract. crim. tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 36. *n.* 106. Et ſi exceptio provenit de Iure civili, opponi debet ante litis conteſtationem; ſi verò provenit de Iure naturali, vel gentium poteſt opponi etiam poſt litem conteſtatam. *Bald. in l.* 2. *n.* 6. *Cod. qui accuſ. non poſs. Farin. ibid. n.* 55. Et exceptio illegitimæ perſonæ circa accuſationem reddit totum proceſſum nullum, & invalidum, ut non poſſit ſequi ſententia, niſi in favorem accuſati. *Marſ. conſ.* 49. *n.* 9. *& ſeq. Ro'. lib.* 1. *conſ.* 31. *per totum. Farin. conſ.* 65. *n.* 1. *Dec. ibid. tom.* 7. *lib.* 3. *c.* 3. *n.* 2. ubi dicit, quòd ſi legitimus non fuerit Accuſator, fruſtra fatigatur accuſatus, & allegat Oldr. *conſ.* 124. & poteſt opponi in quocumque tempore etiam poſt mille annos. *Vant. de nullit. ex defect. mand. n.* 58. Et licèt de Iure ſubſcriptio ad pœnam talionis ſit neceſſaria in accuſatione. *l. ſi cui ff. de accuſat. Farin. q.* 16. *n.* 12. De conſuetudine tamen fuit ſublata. *Farin. ibid. n.* 3. *Caball. in qq. crim. caſ.* 167. *num.* 2. *Scacc. in tract. crim. cap.* 51. *n.* 14. cum alijs cumulatis. Undè licèt de conſuetudi-

ne

ne non imponatur accuſatoribus dicta pœna talionis, extraordinariè tamen arbitrio Iudicis puniuntur. *c. ſuper his de accuſ. Covar. l b. 2. variar. reſol. c. 6. n. 1. Boſſ. tit. de accuſat. n. 17. Menoch. de arbitr. lib. 1. q. 79. n 5. & lib. 2. caſ. 322. n. 3. Maſc. de probat. lib. 1. concl. 24. n. 2.* Quæ conſuetudo procedit etiam in Curia Romana teſte Guaz. *def. 3. c. 3. circa finem.*

§. 8. Item accuratè animadvertere debet Cauſæ Defenſor. An querela, vel Denunciatio, ſeù Accuſatio, aut facti narratio continens delictum appareat in Actis clara, certa, ſpecifica, & in ſcriptis redacta ſicuti apparere debet *ex Clem. ſæpè §. eo. de verb. ſignificatione. Zabarel. in d. Clem. ſæpè §. non ſic tamen. Menoch. de arbitr. q. 18. n. 8. qui alios citat.* Et licèt libellus non continens locum, & tempus, videatur quod ſit admittendus apud Regulares, cùm ſint Iuris poſitivi, quæ in Cauſis ſummarijs relaxantur, ut dicunt Alex. *lib. 3. conſ. 6. & lib. 5. conſ. 94. nu. 15. Afflict. dec. 250.* Contrarium tamen quòd non ſit abſolutè admittendus in cauſis etiam ſummarijs, aliàs Accuſatio, vel Inquiſitio eſſet nulla etiam parte non opponente, tenent Cl*ar. q. 12. n. 6. & q. 31. n. 7. & ſeq. Farin. q. 1. n. 15.* ubi teſtatur de communi. Boſs. *tit. de Ind. n. 98. Roman. conſ. 191. in fine.* & ibi Apoſtilla, quæ adducit opiniones pro utraque parte, & concludit hanc eſſe veram opinionem, & ſequitur *Tuſch. lit. S. concl. 892. n. 13. & lit. L. concl. 320. nu. 35. & ſeq.* Ità quòd ſi non probetur locus delicti, ſequi debeat abſolutio. C*lar. q. 12. & q. 30. n. 11. Boſſ. ibid. n. 90. Magon. Deciſ. Lucenſ. 54. nu. 16. & ſeq.*, ubi teſtatur, quòd Rota declaravit Benè appellatum, & male Iudicatum; quia non fuerat expreſſus locus delicti. *Plot. conſ. 52. n. 14. Rimin. Iun. lib. 6. conſ. 723. n. 86.* Quando tamen conſtat de ſubſtantia veritatis, quòd, ſcilicèt, Reus crimen commiſit, & ipſe nihil in contrarium oppoſuit, poteſt puniri, quamvis libellus ſit ineptus. *Pariſ. de ſindic. in verb. ſent. c. 5. n. 5.* & Biard. ad Clar. *q. 12. nu. 5.* dicit; quòd locus, & tempus poteſt ſuppleri ex probationibus ſequentibus.

§. 9. In Inquiſitione tamen formata per Iudicem tàm ex officio, quàm ad inſtantiam partis, requiritur ſpecificatio loci, & temporis, aliàs non valeret. *Angel. conſ. 178. n. 198. Tuſ. h lit. T. concl. 320. n. 14. Peguer in pract. crim. c. 12. n. 7. Guaz. def. 3. c. 3. n. 9.* quòd maximè procedit, quando Reus petit dictam expreſſionem loci, temporis, & diei, aut poteſt illi in aliquo coadiuvare ad ſuas defenſiones faciendas, aliàs proceſſus eſſet nullus, niſi Iudex ignoraret diem commiſſi delicti, nam tunc Inquiſitio ſuſtineretur. *Pguer. ibid. nu. 9.* Hoc tamen intelligendum eſt de delictis, quæ temporis momento committuntur; non autem de illis, quæ habent tractum ſucceſſivum, in quibus locus, & tempus eſt incertum, & indeterminatum. *Bart. in l. libellorum n. 10. & 16. ff. de accuſat. Farin. qu. 1. nu. 17. Guaz. ibid. n. 13. verſ. Sed Doctores, ubi alios citat.* In his enim non eſt neceſſaria expreſſio loci, & temporis.

De

De Defenſione quoad perſonas Teſtium. *Regula Septima.*

§. 1. DIcta Teſtium, ut ſint idonea debent eſſe clara, certa, & ſpecifica, non autem generalia; ità quòd ſi non ſpecificent ſpeciem criminis, & eius ſeriem non probant. *Boſſ. tit. de Inquiſ. n. 30. & 75.* quia probatio debet concludere per neceſſe, non per poſſibile, vel ex fallibili. *l. non hoc Cod. unde legitimi. Marſil. in rub. de probat. n. 350. & ſeq. Bertaz. conſ. 3. n. 13. & conſ. 283. n. 6. & ſeq.* qui alios citat, & inſuper dicit, hoc magis procedere, quando delictum infamiam irrogat. *Soc. Sen. conſ. 8. n. 4. Honded. conſ. 96. n. 32. lib. 2. Cravet. conſ. 262. in princip.* Non enim probat hoc eſſe, quòd ab homine contingit abeſſe. *l. neque Natales. Cod. de probat. & ibi Salicet. Gabr. c. 56. n. 15.* Verba autem dubia, & obſcura referuntur à Farin. & ſunt. Vel ſi teſtis deponit per verbum *circiter, fortè, forſitan, ſi benè memini, vel non recordor; vel prima fronte, vel ni fallor, vel ſalva veritate* vel per verba alternativa. *Seù, aut*, niſi concludant maleficium, nempè, ſi dicat, *Vulneravit cum ſica, aut gladio.* Vel per verbum *Circa*, quando eſt vis in tempore præciſo. Vel per verba *Plus*, vel *Minus*. Vel per verba. *Mihi videtur*, aut *non videtur*. Vel per verbum. *Meo judicio videri*, vel *ſecundùm meam conſcientiam*; vel *teneo rem ità ſe habere*; vel per verba *Poterat*, vel *poteſt eſſe.*

§. 2. Quòd adeò verum eſt, ut liberum arbitrium datum Iudici ſupremo adhibendi fidem teſtibus, procedat quoad perſonas, & non quoad dicta teſtium. *Caval. lib. de brach. Reg. p. 3. n. 77.* ubi ſubdit, quòd nec magna caterva teſtium poteſt ſanare defectus, qui inſunt in dicto teſtium, nec tollere, minuſque ſupplere, & Idem voluit *in pract. de teſt. p. 5. n. 45.* Et inſuper debent deponere circa ea, quæ neceſſariò inferunt delictum concludenter, vel ſaltem præſumptivè, ut alia non poſſit haberi, neque excogitari præſumptio, quæ excludat delictum, aliàs enim non ſufficeret eorum depoſitio ad condemnandum. *Bertaz. conſ. 283. n. 20. Rim. Iun. conſ. 470. n. 9. conſ. 684. n. 24. Maſc. de probat. concl. 36. n. 64. Mazol. conſ. 47. n. 66.* & reddere debent congruam rationem per unum ſenſum corporis. *Burſat. conſil. 216. n. 40.* ubi teſtatur de communi, ac deponere de certa ſcientia, & non de credulitate. *Gom. tit. de delict. c. 12. n. 10.* Et inſuper debent ſuo examini ſe ſubſcribere, vel ſi neceſſe ſubſcribere, ſaltem ſignum Crucis in calce examinis apponere debent. *c. poſt ceſſionem, ubi Abb. n. 5. de probat. Caſſan. conſ. 44. n. 20. deciſ. Avenion. 33. n. 17.* Ubi tamen ſubdit, hoc Iure cautum non reperiri: & ideò ſi fuerit omiſſa talis ſubſcriptio, non vitiaretur depoſitio.

§. 3. Et non ſolùm dicta Teſtium debent eſſe certa, clara, & non ambigua, ſed etiam jurata, & hoc ante examen, & debent jurare de veritate dicenda tactis corporaliter Sac. Scripturis, vel tacto pectore, ſi eſt Sacerdos. *Farin. q. 74. n. 1. & 31. Barboſ. in c. frater. n. 6. de teſtib. Caval. de brach. reg. p. 3. n. 55.* Et ſi non appareret an priùs, vel poſteriùs fuerit delatum juramentum, in dubio eſt præſumendum

pro

pro validitate examinis, ut præceſſerit. *Crot. in tract. de teſt. n. 232. poſt Cyn. & Bald. in l. cum in teſtamento §. hæc verba ff. ad hæred. inſtituere Maſc. de prob. lib. 3. concl. 1362. n. 13.* Et non obſtante facultate procedendi ſummariè, de plano, ſine ſtrepitu, & figura Iudicii teſtes ſine juramento non probant, & eorum dictum eſt nullum. *cap. hortamur 3. q. 14. Clar. q. 21. n. 12. & q. 53. n. 5. Viv. opin. 96. n. 8. lib. 1. Bajar. §. falſum n. 58.* Ubi ſubdit etiam ſi Teſtis eſſet Religioſus, Epiſcopus, & Cardinalis. *Guaz. def. 14. c. 3. n. 1. & 8. ubi alios cumulat.* Et Cavalc. *p. 3. n. 40. & 44.*, tenet, quòd Iuramentum ſit de Iure Divino in teſtibus, & quòd nec per Imperatorem, nec per Pontificem poſſit diſpenſari, ut teſti non jurato credatur. *Crot. ibid. num. 229.* ubi Moncad. *lit. B.* ſubdit. Etiam ſi teſtis eſſet magnæ fidei, & Religionis. *Maſc. de prob. lib. 1. concl. 5. n. 81. & lib. 3. concl. 1362. nu. 4. ubi alios allegat Mod. Rom. q. 74. n. 46. qui etiam alios cumulavit. Caval. de teſt. p. 3. n. 44. ubi concordantes citat, & teſtatur de communi.* Et licèt aliqui limitent in Iudice habente liberum arbitrium procedendi tàm in civilibus, quàm in criminalibus, omiſſa Iuris ſolemnitate, ſummariè, de plano &c. nempè, quòd in teſtibus integritate vitæ conſpicuis, illuſtribus, & nobilibus poſſit talis Iudex adhibere fidem ſine juramento; tamen prima opinio eſt magis communiter recepta, quam etiam ſequitur Menoch. *de arbitr. q. 26. n. 1. & ſeq. lib. 1.* Nec in teſtibus juramentum præſumitur ad effectum probandi, niſi de illo expreſsè appareat, cùm ſit ſolemnitas extrinſeca. *Burſ. lib. 2. conſil. 192. n. 35. Maſc. de prob. lib. 2. q. 5. n. 82. & 113. Farin. q. 74. n. 72. & 76. Barb. ibid. n. 6.* Et ſi Notarius in actis ſcripſerit. *Teſtis juratus &c.* niſi etiam dixerit *in forma*, vel *Tactis corporaliter Scripturis.* non præſumitur juramentum ſolemniter præſtitum. *Grat. deſep. for. c. 60. n. 9. cum aliis ab eo citatis. Maſc. ibid. n. 113.* Quam opinionem Rota Romana ſequitur, ut per Caputaque *deciſ. 123. aliàs 5. n. 1. p. 2. & deciſ. 346. aliàs 4. p. 2.* ubi teſtatur, quòd licèt Notarius ſcripſerit. *Tactis Scripturis &c.* fuit examen annullatum, ac etiam quando dixit, *Talis teſtis juratus tactis &c. & in deciſ. 285. aliàs 22. p. 3.* dicit, quòd Notarius debet de Iuramento, & de tactu Scripturarum facere mentionem diſpoſitivè, non autem enunciativè. Apud nos tamen dicta Sæcularium, ſi haberi poſſunt jurata, recipiantur, ſin autem attenta qualitatem perſonarum, quæ ſint omni exceptione majores, habeantur ad arbitrium Iudicis, qui tamen advertere debet, ſicut & Advocatus dictum talium Sæcularium etiam in Actis relatum, eſſe tantùm dictum unius teſtis ſingularis auditum extra judicium, & non juratum, etiam ſi plures tale dictum referant. Sic enim cantant Statuta Ordinis *in 4. ſubſt. n. mihi 123.*

§. 4. Et quia Teſtibus, non teſtimoniis creditur, ut inquit *Albert. de Roſ. rub. de teſt. n. 116. l. teſtium. n. 21. Cravet. conſ. 6. num. 22.* idcircò fides in Iudicio, nullam fidem facit, ut alibi diximus. quòd procedit in teſtibus non ſolùm præſentibus in loco Iudicii, ſed etiam in abſentibus, qui fides, litteras, vel Scripturas tranſmittunt Iudicibus ſuam depoſitionem continentes. *c. à nobis, extra qui matr. Dec. lib. 2. reſp. 51. n. 1. & ſeq. Mod. Rom. q. 80. n. 30. & ſeq.* ubi de communi, & teſtatur hoc magis procedere in criminalibus. Quando tamen factum eſſet valdè implicatum, & involutum, tunc benè poſſunt teſtes tradere illorum depoſitiones

in

in ſcriptis, dummodo illas priùs Iudici perlegerint. *Crot. ibid. n.* 373. *Covar. variar. reſolutio. lib.* 2. *c.* 13. *n.* 9. *Mod. Rom. ibid. num.* 36. Et idem dicendum erit ſi pars non opponat, in quo caſu tale teſtimonium in ſcriptis promulgatum valebit, *Albert. de malef. in tract. de teſti. c.* 7. *n.* 71. *Dec. reſp.* 51. *n.* 96. *& ſeq.* ubi ampliat etiam quòd pars ſibi reſervaverit Ius opponendi, dummodo in ſpecie non oppoſuerit; ad quod Advocatus accuratè animadvertere debet, ſicuti etiam ad conſuetudinem; quia ſi adeſſet conſuetudo in contrarium, ſicuti de facto extat Venetiis teſte Alex. Stiat. *in pract. jud. c.* 6. *n.* 76. *in* 2. *fallent*, tunc talis depoſitio per Scripturam valeret. Sicuti etiam valeret in perſonis nobilibus integræ opinionis, & omni exceptione majoribus; iſti enim poſſunt per Scripturam deponere, ut declarat. *Dec. ibid. reſp.* 51. *n.* 101. & exemplificat in Canonicis, Advocatis, Procuratoribus, & Notariis &c. Et tandem valebunt tales depoſitiones, quando ità Iudici videbitur, dummodo concurrat in conſignatione Scripturæ, vel Fidei juramentum, ſine quo teſtimonium non valet. *Præp. in c. teſtes. verſ. tamen Iudici videbit.* 3. *q.* 9. ut refert. *Mod. Rom. loc. cit. n.* 53. Et in noſtro modo procedendi *in* 2. *ſubſt. n. mihi* 96. *in fin.* ſtatuitur tales fides nullo modo poſſe, vel debere admitti ad quemcumque effectum, niſi ab ipſo Iudice fuerint immediatè in actu Iudicii receptæ.

§. 5. Oppoſitio contra perſonas, & dicta Teſtium, quando fieri poteſt eſt magnum defenſionis lucrum, quæ oppoſitio debet eſſe ſpecialis, & non ſufficit generalis, nempè, quòd ſint inimici, ſed inſuper requiritur, quòd inimicitia probetur in ſpecie, & debet eſſe graviſſima, vel ſaltem gravis. *Cavalc. de teſt. p.* 4. *nu.* 221. Et qui allegat teſtem falſum depoſuiſſe, quia ſubornatum fuit, utrumque probare tenetur, vel ad ſummum debet probare unum. *Gloſ.* Bart. Bald. *Caſtren. in l. ſi ex falſ. Cod. de tranſact. Alex. in l. Divus Adrianus n.* 12. *de re jud.* Baiar. *q.* 53. *n.* 7. Et inhabilitas teſtium eſt probanda extare vel tempore juramenti, vel tempore depoſitionis, aliàs probatio non relevat. *Mod. Rom. q.* 62. *n.* 12. *& n.* 308. ubi allegat Doctores adductos per *Maſc. concl.* 26. *n.* 5. Eſt etiam alius modus tollendi, vel minuendi vim probationum, ſcilicèt, objicere contra Teſtes aliquod delictum ſive ſit publicum, ſive privatum etiam ſecretum, quo verificato teſtis vel non probat, vel minus probat. Hoc tamen fieri non poteſt, quoad delicta ſecreta, præterquam in caſu, quòd Reus, vel ejus Advocatus ad hoc faciendum non ſit neceſſitate ductus; quia, ſcilicèt, alitèr ſe defendi non poteſt, niſi revelando crimina illa occulta, & dato quòd non revelaret, illi magnum damnum eveniret cùm ſit de Iure naturæ, dicta teſtium, quantum fieri poteſt labefactere, deſtruere, & invalida reddere. Aliter ſi talis objectio, ſeù criminum oppoſitio non juvat, non habet vim defenſionis, ſed detractionis, & vindictæ. *Bannes.* 2. 2. *q.* 70. *art.* 3. *Serra.* 2. 2. *q.* 69. *diſp.* 1. *art.* 2.

§. 6. Et quamvis Fiſco non concedatur repulſa contra teſtes examinatos ad defenſionem Rei. *Paris de Put. in tract. de Synd. in verb. Inquiſ. c.* 2. *nu.* 1. Reo tamen datur repulſa contra teſtes per Fiſcum examinatos cùm ſit ſpecies defenſionis. *Clar. q.* 23. *n.* 1. *Marant. in ſpec. p.* 6. *a.* 13. *nu.* 16. *Cravet. rit.* 144. *nu.* 8. *Honded. lib.* 1. *conſ.* 100. *n.* 36. *Menoch. de arbitr. q.* 32. *n.* 1. *Scac. de Iud. lib.* 1. *c.* 97. *nu.* 1. Attamen ſi cum Fiſco adeſſet etiam inſtigator, tunc ei, & fiſco daretur quoque ter-

minus ad repulſandum teſtes Rei. *Pariſ. ibid. Clar. loc. cit. n. 3. Honded. conſ. 101. nu. 4.* Et nè detur repulſa in infinitum, non conceditur repulſa repulſæ. *Marant. ibid. n. 1. Burſ. lib. 1. conſ. 358. n. 11.*, ubi poſt alios quos allegat, dicit, quòd ſolùm bis conceditur reprobare reprobatorios reprobateriorum & ibi concordantes allegat. Nec ſufficit repulſare generaliter, quòd ſint v. g. inimici, fures, falſarii, & ſimiles, ſed requiritur, ut probetur in ſpecie inimicitia, vel quòd fecerit tale furtum, vel delictum. *Caval. de teſt. p. 4. nu. 221.* Et talis repulſa conceditur etiam contra teſtes mortuos, cùm repulſa non fiat cum teſtibus, ſed cum parte, & fiat non ad effectum puniendi, ſed ad finem rei teſtificatæ repulſandæ. *Cravet. rit. 173. Bajar. q. 53. n. 10.*

§. 7. Inimicus capitalis etiam cum tortura non probat. *B. jar. q. 24. n. 8.* & omninò repellitur à teſtimonio ferendo contra inimicum. Inimicus autem non capitalis licèt non repellatur à teſtificando, non tamen dicitur teſtis integer, ſed ei diminuitur de fide tantum, quantum patitur qualitas inimicitiæ Iudicis arbitrio. *Farin. q. 53. nu. 54.* Et non ſolùm repellitur inimicus manifeſtus, ſed etiam ſuſpectus, & occultus, qui ſe fingit amicum. *Farin. ibid. n. 24.* Et licèt aliqui dicant inimicitiam debere eſſe evidentem, & manifeſtam, ut repellat teſtem à teſtificando, hoc tamen non eſt verum de inimicitia, ſed de probatione inimicitiæ, quæ debet eſſe manifeſta, & concludens. Et dicitur manifeſtè, & concludenter probata, ſi de cauſa appareat, quamvis odium, rancor, & effectus inimicitiæ ſint occulti, ut poſt Dec. aſſerit Farin. *ibid. n. 26.* Eadem de cauſa repellitur etiam teſtis odioſus, aut non benevolus, & non diligens eum contra quem deponit. *Idem ibid. n. 30.* Item repellitur à teſtimonio ferendo conſanguineus inimici, etiam quòd conſanguinitas procedat ex linea tranſverſali, & affines uſque ad quartum gradum affinitatis, etiamſi converſati fuerint ſimul; quia ſufficit ſubeſſe cauſam inimicitiæ *Farin. loc. cit. nu. 34. 35.* nam ex offenſione conſanguinei infra quartum gradum contrahitur inimicitia. *Dec. tract. crim. lib. 2. c. 25. n. 27. & ſeq.* Et idem dicitur de amico, ſocio, domeſtico inimici, & de illo qui fecit legam cum inimico, & qui ſunt contrariæ factionis. *Alex. lib. 7. conſ. 2. n. 9. & 10.* Et ſi iſti non repellantur in toto; ut vult Farin. tamen eiſdem diminuitur de fide. Et tandem repellitur inimicus de recenti reconciliatus; quia in ipſo præſumitur etiam nocendi animus. Et dictum inimici tempore depoſitionis non validatur per ſecutam reconciliationem.

§. 8. Teſtes inhabiles, ut ſunt v. g. minor 20. annorum, Mulier, Laicus contra Religioſum, Pauper, Perſona vilis, ut ruſtici, hiſtriones, buffones, Iaculatores &c. Hæretici, Apoſtatæ Publicani, Criminoſi, Conſpiratores, Calumniatores, Infames, Meretrices, Excommunicati, Socii criminum &c. ad hoc ut admittantur ad teſtificandum plura concurrere debent. Et primò, quod delicta ſint excepta, & difficilis probationis, ità quòd veritas aliter haberi non poſſit per teſtes idoneos. Secundò, ut inhabilitas ſit extrinſeca; nam ſi ex inimicitia, & odiis oriatur, repelluntur etiam in criminibus exceptis. *Bertaz. conſ. 528.* Tertiò, requiritur, ut deponant cum juramento, etiam quòd ſint Rei, quando deponunt contra ſocios; quia tunc funguntur officio teſtium. *Clar. q. 21. num. 12.* Quartò, quando producuntur ad facti ſubſtantiam comprobandam, non autem adminicula. *Farin. q. 37. n. 18.*

n. 18. Quintò, quando proceditur per viam Inquiſitionis, & ex officio, non autem Accuſationis. *Farin. q.* 62. *n.* 71. Sextò, quando plures teſtes inhabiles inducuntur: Et ſic duo ſocii criminis cum adminiculis faciunt indicium ad torturam, & ſufficiunt ad condemnandum Reum pœna extraordinaria. *Guaz. def.* 32. *cap.* 8. Item ut mulieres faciant indicium ad torturam etiam in delictis difficilis probationis duo concurrere debent. primò, quod ſint plures, ſecundò, quod deponant immediatè ſuper delicto, & non ſuper remotis, cùm de Iure Can. non admittuntur ad teſtificandum in criminalibus. *Farin. q.* 59. *num.* 1. Et ideò duæ mulieres non ſufficiunt ad condemnandum. *Idem ibid. n.* 26. *& ſeq.* Et teſtes inhabiles admitti debent cum tortura, quæ ſuppleat eorum defectibus ſive famæ, ſive ſtatus. *Clar. q.* 25. *n.* 1. Inhabiles tamen inhabilitate non vitioſa, ut affines, conſanguinei, Domeſtici, familiares, Compares, Minores, fœminæ pauperes, viles &c. admittuntur ſine tortura, *Guaz. def.* 19. *c.* 10. *nu.* 10. Eorum verò probationes arbitrio Iudicis remittuntur. Sciendum tamen eſt, quòd tortura totaliter non purgat inhabilitatem, ſed tantùm in parte: Undè quando teſtes non integri admittuntur aliqua ratione ſpeciali ſolum aliqualem probationem faciunt, quæ aliqualis probatio per inhabilibus, eſt minus, quàm ſemiplena. *Farin. q.* 62. *n.* 73.

§. 9. Advertat tamen Advocatus, quòd ſi in prima inſtantia non fuerunt repulſati teſtes, non poſſunt ampliùs repulſari in aliis inſtantiis. *Cravet. ad Veſtr. in pract. lib.* 5. *c. fin. n.* 32. *Baiar. ibid. nu.* 5. niſi producantur novi teſtes in cauſa appellationis, vel niſi in prima inſtantia fuiſſet objectum de falſitate, & probata non fuerit falſitas; quia poterit probari in cauſa appellationis, vel niſi repulſa fuerit petita in prima inſtantia ad objiciendum contra teſtes aliter quam per falſitatem, & prima inſtantia non fuerit conceſſa; quia tunc in cauſa appellationis deberet concedi. *Afflict. dec.* 266. *Baiar. ibid. n.* 5. 6. *& ibi communiter Doctores.* Et quia reprobatio dicitur odioſa, idcircò in materia repulſæ teſtes reprobatorij repelluntur non ſolùm propter urgentem, ſed etiam per leviſſimam exceptionem, vel defectum. *Gram. conſil.* 12. *n.* 31. *& conſ.* 32. *n.* 10. ubi poſt alios, quos allegat, dicit, affines, conſanguineos, & ſimiles non eſſe idoneos ad repulſam, cùm modicus defectus vitiet teſtes reprobatorios. *Surd. lib.* 1. *conſil.* 132. *n.* 44. Et Mod. Rom. *conſil.* 44. *n.* 8. dicit, quòd teſtes reprobatorii debent eſſe inculpabiles in ſuperlativo gradu, & ſine ulla prorsùs macula, & ſuſpicione. Et Gram. *deciſ.* 28. *nu.* 7. inquit, teſtes repulſos nullam probationem facere, nec minus indicium ad torturam teſte Rimin. Iun. *lib.* 4. *conſ.* 361. *n.* 45.

§. 10. Poteſt etiam Advocatus probare varietatem, ſeù contrarietatem teſtium, & cum eadem varietate, & contrarietate ſuum clientem defendere, cùm teſtes varii, ac inter ſe contrarii, etiam ſi mille eſſent, ac omni exceptione majores, nihil probent, immò ſe invicem deſtruant, quòd maximè procedit, quando inter ſe coaptari non poſſunt. *Farin. q.* 65. *n.* 7. Variatio enim in teſtibus eſt ſubſtantialis importantiæ, ità quòd vigore prædictarum, Iudex non poſſit procedere ad ullam ſententiam pro ea parte, qua teſtificati ſunt. *Innoc. in cap. Præterea de teſtib. cogend. Aug. in concl.* 257. *& Alex. in conſ.* 364. *in cauſ. appellat.* Et regulariter falſa præſumuntur teſtimonia, quando teſtes de eadem re interrogati contraria in ſubſtan-

tialibus ſunt atteſtati. *Pariſ. conſ. 53. n. 20. & conſ. 61. n. 10. Ricc. deciſ. 125. n. 1. p. 2.* Item opponere poteſt, & probare vacillationem, vel falſitatem teſtium, cùm ſit evidens in Iure, quòd iſti non probant, nec faciunt indicium ad inquirendum, maximè ſi vacillatio eſt in eodem examine circa factũ principale, vel illius circumſtantias principales, & cauſam juſtam, ſeù rationabilem talis contrarietatis non afferant, & idem dicitur, quando variant in circumſtantiis cohærentibus: v.g. loco, & tempore, non autem pronomine, cognomine, & patria, ut Mod. Rom. exemplificat *in q. 79. n.* 14. Secùs in non ſubſtantialibus *Farin. q. 66. nu.* 20. Variatio facta per errorem, & ignorantiam non tollit fidem; & juſta cauſa erroris eſt oblivio, quæ per biennium præſumitur; & cauſa ignorantiæ in ruſtico, & idiota efficit, ut non poſſit puniri de falſo ob variationem: nec tollit fidem variatio modica etiam in ſubſtantialibus. *Farin. ibid. n. 32. & ſeq.* Et ſola ſuſpicio falſitatis ſufficit ad negandam fidem teſtibus. Immò ſufficiunt conjecturæ, & præſumptiones de falſo, ad hoc, ut teſtis non probet. *Farin. q. 67. num. 56. 58. 62. & 75.* Si falſitas eſt ſuper circumſtantiis reſpicientibus negotium, de quo agitur, vel ſuper connexis, ſive ſuper diverſis depoſitio illius in utroque caſu corruit, & nihil probat. *Clar. qu. 53. n. 6. & verſ. ſed quæro. Maſc. de prob. concl. 743. n. 1. 2. & ſeq. lib. 1. Guaz. d. f. 29. c. 15. n. 14. & 15.* ubi alios cumulat. Et idem dicitur de circumſtantiis nullo modo negotium principale tangentibus, dummodo teſtis juraverit reſpondere ſuper tota cauſa, vel ſuper omnibus, de quibus fuiſſet interrogatus pro veritate; quia etiam ſi eſſent commiſſa falſitas ſuper circumſtantiis, & non neceſſariis, nec facientibus ad cauſam, tota eius depoſitio redderetur nulla. *Maſc. ibid. n. 22. Baiard. q. 53. n. 21. Rim. Iun. lib. 3. conſ. 344. nu. 42. & ſeq.* Secùs ſi tali pacto non juraſſet. *Clar. ibid. n. 9. Maſc. loc. cit. nu. 11.* Quamvis teſtis ſimpliciter jurans, teneatur ſuper tota cauſa jurare. *Ant. Gab. lib. 7. concl. 4. n. 14.*

§. 11. Teſtes, qui deponunt de credulitate, & nihil certi, & de cauſa ſcientiæ, vel credulitatis affirmant, nihil probant, nec præſumptionem faciunt. *Marſil. ſing. 19. n. 1.*, & multò magis ſi deponant titubando; quia teſtium depoſitio debet de neceſſitate concludere præſertim in Criminalibus. *Boſſ. tit. de oppoſit. cont. teſt. nu. 45.* Reddunt etiam ſe valdè ſuſpectos illi teſtes, qui nimia animoſitate deponunt, & multò magis illi, qui ſpontè ſe offerunt ad teſtimonium dicendum. *Marſ. ſing. 14. Gram. conſ. 27. n. 6. Dec. lib. 2. reſp. 97. n. 25. Maſc. de prob. lib. 2. concl. 817. nu. 53. & ſeq. Rim. Iun. lib. 5. conſ. 524. n. 21.* Spontè autem dicitur teſtis deponere, quando Curiæ ſe præſentavit nulla præcedente citatione, vel requiſitione ſibi facta. *Dec. lib. 3. reſp. 48. num. 26. & ſeq.* Et etiam quando aliquid deponeret, quòd ab alijs veriſimiliter ſcire non poterat. *Dec. loc. cit. reſp. 93. n. 125.* Vel quando ſine aliqua Iudicis interrogatione de aliquo particulari facto deponeret *Dec. ibid. reſp. 96. num. 37. & lib. 6. conſil. 725. num. 43.* Quando tamen teſtes deponunt per verbum *Credo* in favorem defenſionis, creditur ipſis, & fidem faciunt. *Bertaz. conſil. 26. num. 1. conſil. 18. num. 12. & conſil. 21. num. 2.* Ac ſimul probant ad defenſionem Reorum, etiamſi nullam reddant cauſam ſcientiæ, vel credulitatis per ſenſum corporeum concludentem. *Barb. in cap. Quoties n.* 8. Et quod dictum eſt de teſtibus deponentibus per verba dubitativa, verificatur etiam de illis, qui deponunt

de

de audito alieno, qui nec ipſi regulariter probant, cùm non deponant per proprium ſenſum, nec de cauſa ſcientiæ, & in criminalibus nec faciunt præſumptionem, aut indicium. *Farin. q. 69. nu.* 19; quia teſtes reddere debent congruam rationem per unum ſenſum corporis, quando agitur de condemnatione. *Gom. tit. de delict. c.* 12. *n.* 19. *Burſ. lib.* 2. *conſ.* 216. *nu.* 40. ubi teſtatur de communi. *Maſc. de prob. concl.* 560. *n.* 5. alios allegans.

§. 12. Unus teſtis ſine altercatione non ſufficit ad condemnandum, quia probatio ex eo reſultans non dicitur vera probatio. *Bald. in l. fin. Cod. de probat.* Marſil. *ſing.* 433. *& ſing.* 112. dicit eſſe peſſimi exempli dicto unius teſtis credere, & omni lege tàm divina, quàm humana deteſtatur, ut unius teſtimonio credatur, etiamſi eſſet omni exceptione major, & quamvis dignitate præfulgeret, ut communiter docent Doctores apud Guaz. *def.* 33. *c.* 14. *n.* 6. *Clar. q.* 53. *n.* 19. qui etiam ſe extendit ad Papam, & Imperatorem, & Dec. *reſp.* 93. *n.* 23. ad Epiſcopum, & Cardinalem. Cùm ſit vulgatum, quòd teſtis unicus, quicumque ſit, nec de Iure poſitivo, nec Divino planè probare nequit, ut alibi diximus *ex can. licèt univerſis. Can. veniens. & can. in omni negotio de Teſtibus. can. admittere* 33. *q.* 5. *& can. fin.* 35. *q.* 5. quòd magis eſt ampliandum in criminalibus, ubi agitur præſertim de gravi alterius præjudicio *l. fin. C. de quæſt. Maſcard. de probat. lib.* 1. *concl.* 120. *Farin. q.* 63. *n.* 3. *& n.* 7. quòd verificatur, etiam ſi Iudex judicet ſola rei veritate inſpecta, vel manu Regia. Benè plenè, & perfectè probat unicus teſtis ad favorem Rei contra Fiſcum. *Guaz. ibid. n.* 11. & maximè quando agitur de probanda illius innocentia. *Cravet. conſ.* 2. *n.* 16. *Maſc. concl.* 904. *n.* 10. *& concl.* 491. *n.* 17. 18. *Farin. conſ.* 60. *n.* 2. dummodo tamen probatio ad favorem Rei non eſſet de directo contraria probationi Fiſci, ſeù Accuſatoris. *Boſſ. tit. de excep. cont. teſt. n.* 17. *Farin. q.* 65. *n.* 43. Et idem dicitur de teſte unico in criminalibus pro informatione Curiæ examinato aliquid deponente in favorem Rei. Omnis macula, quantumvis minima, ſeù defectus in teſte, impedit, ut non dicatur omni exceptione major, ſive macula ſit in dicto, ſive in perſona. *Farin. q.* 36. *nu.* 255., ubi alios citat; quia modicus defectus, immò leviſſima præſumptio impedit ſemiplenam probationem; ad quæ omnia diligenter, & accuratè animadvertere debet Advocatus. Si teſtis primò examinatus affirmativè deponit, deinde in eodem facto, de quo depoſuit iterùm interrogatus dicit ſe non recordari nihil probat nec in criminalibus, nec in civilibus. Si verò primò dixit, ſe non recordari, & deindè dixit, ſe recordari, & ſcire; probat, dummodo reddat cauſam cur magis nunc recordetur, quam priùs, aliter redderetur ſuſpectus. *Farin. q.* 66. *n.* 139. *& ſeq.* Si abſolutè dicit ſe non recordari de eo, de quo veriſimiliter recordari debet, & præſertim ſi recordaretur de alijs, de quibus minus, vel ſaltem æquè meminiſſe deberet, tanquam ſuſpectus poteſt torqueri. *Cravet. conſ.* 9. *n.* 9. *Boſſ. tit. de oppoſit. cont. teſt. n.* 95. *in fin.* quòd tamen intelligendum eſt, quando teſtis dicit, ſe non recordari de facto principali. vel de qualitatibus, & circumſtantijs ſubſtantialibus, ſecùs de accidentalibus; quia tunc non poteſt torqueri. *Maſc. de prob. conc.* 1122. *n.* 31. *& ſeq.* ubi concordantes allegat.

De Defenſione, quoad Citationes. Regula Octava.

§. 1. NUllus eſt, qui ignoret, quòd triplex citatio de Iure eſt neceſſaria in quolibet proceſſu, nempè, ad reſpondendum, ad allegandum, & ad ſententiam, aliter proceſſus erit nullus, cùm ſint de ſubſtantialibus Iudicij. In quibus citationibus, licèt Regulares non teneantur ſervare Iuris ſolemnitates, ſed ſufficiat, quòd Superiores, vel Iudices per quemlibet Religioſum internuntium vocent Reos ſi ſunt præſentes, ſi verò abſentes per ſimplices litteras, nulla expreſſa cauſa vocationis, ne fortè arripiant fugam, nihilominùs illas prætermittere non poſſunt, & debent in Actis conſtare per ſua Decreta. Prima igitur Citatio eſt juridica vocatio Rei ad conſpectum Iudicis ob litis conteſtationem, ſcilicèt, ad reſpondendum ad interrogata. Undè iſta prima vocatio continet in ſe duo ſubſtantialia Iudicij, videlicèt, Citationem ad reſpondendum, & litis conteſtationem. Et ſic omiſſa citatione, quæ eſt Iuris naturalis, & ſpecies quædam defenſionis, ut nec per Principem tolli poſſit, proceſſus eſt ipſo Iure nullus. *Clem. Paſtoralis. de re jud. §. Cæterum. cap. Deus omnipotens 2. q. 1. Alex. lib. 4. conſ. 42. num. 4. Dec. in cap. Dilecti num. 4. de jud. Tuſch. lit. C. concl. 366. n. 2. & lit. S. concl. 890. n. 34.* Sic etiam omiſſa litis conteſtatione proceſſus eſt ipſo Iure nullus. *Gloſ. in cap. Dudum 2. de elect. verb. irritum duximus. & in l. prolatum,* Cod. *de ſent. & interloc. om. jud. Guaz. def. 35. c. 27. n. 6.* Et non poteſt deveniri ad torturam, niſi litis cum Inquiſito ſit conteſtata. *Bart. in l. ſi is, qui Reus ff. de public. Iud. Bald. lib. 2. conſil. 248. nu. 9. & lib. 4. conſ. 246. n. 6.* Et ſic Advocatus pro ſuo Cliente habet concluſionem, ut ſi non fuerit, citatus, ſeù citatio non fuerit legitima, proceſſus, & omnia, quæ ſequuntur, ſint ipſo Iure nulla. *Clar. q. 31. n. 1. Plot. conſ. 52., ubi concordantes allegat. Brun. conſ. 89. p. 1. n. 1.* Et hoc procedit etiam ſi delictum eſſet notorium. *Clar. q. 8. n. 3. ubi teſtatur de magis communi. Brun. ibid.* Ad hoc autem, ut citatio ſit legitima, debet in Actis conſtare de delicto ſaltem ſemiplenè, aliàs citatio apud nos erit illegitima ex noſtro modo procedendi *in 2. ſubſt. n. mihi 98.*

§. 2. Litis conteſtatio juxta deffinitionem Proſp. Fagnani *in 2. Decret. de lit. conteſt. cap. Olim. n. 5.* nihil aliud eſt, quam fundamentum Iudicii per petitionem in Iure propoſitam, & congruam reſponſionem ſequutam animo litigandi. Dicitur *fundamentum*, quia litis conteſtatio eſt exordium, & principium Cauſæ, ut notatur *in cap. ſuper quæſtionum §. Intentionis de offic. Deleg.*; ità ut anteà non dicatur lis mota *cap. ex parte 2. in fin. de verb. ſignificat. Bald. conſ. 150.* Undè litis conteſtatio non ſolùm eſt de proceſſu, ſed lapis angularis Iudicii, & eius fundamentum, *ut in Authent. de litig. §. omnem*, & fuit dictum Bald. in *cap. Olim nu. 2. & in cap. Dudum 2. n. 20. de elect. Oldrad. conſ. 12.* Et ſic ſententia lata lite non conteſtata eſt ipſo Iure nulla, cùm litis conteſtatio ſit de ſubſtantia Iudicii *l. Prolatam, & ibi Bart. Cod. de ſent. Bald. conſ. 362.* Adeò ut etiam ſi dicatur tranſiviſſe in rem Iudicatam, eò quòd fatalia ſint deſerta: nihilominùs non ſit exequenda, ſi ex proceſſu appareat litem non fuiſſe conteſtatam. *Bald. conſ. 225. in cauſa vertente in princip. lib. 5.* Dicitur ſecundo. *Per petitionem*; quia ſine illa non ſit litis conte-

ſtatio,

ſtatio, *ut in cap. Olim, & in d. cap. Dudum*. Undè ſi in libello fieret ſola narratio abſque petitione, & concluſione, tunc per reſponſionem non intelligeretur litis conteſtatio facta. *Rot. deciſ. 12. aliàs 2. in tit. de litis conteſt. non noviſ. n. 3. Butri. in cap. Olim poſt Hoſt. n. 13.* Adeò ut neque ex productione Actorum verè, vel interpretativè litis conteſtatio oriri poſſit, ſi nulla præceſſerit petitio. *Rot. apud Seraph. deciſ. 698. n.* 8. Stat ergo regula, ut per reſponſionem ad libellum narrantem non inducatur litis conteſtatio. *Butri. ibid. n. 13.*

§. 3. In Criminalibus autem apud Regulares, & præcipuè apud nos, qui non admittimus libellum, nec litis conteſtationem, loco ejuſdem libelli, ſeù petitionis ſuccedit examen Iudiciale, & reſponſio Rei mediante juramento facta: Et tunc lis dicitur conteſtata apud nos, quando Reus reſpondit ſub juramento, quæ omnia debent eſſe in ſcriptis redacta; & ideò ſubdit Fagnan. *per petitionem in Iure propoſitam*; quia extra Iudicium non fit litis conteſtatio §. *offeratur 3. q. 3. c. 1 ſupra tit. proximo, et l. voluit ff. de interrog. action.* Undè non ſufficit reſpondere in ſcriptis, & extra judicium, ſed oportet in Iudicio porrigere reſponſiones *cap. 1. de libell. oblat., et Authen. offeratur, et ibi notat Gloſ. 1. et Cyn. in fin. quaſt. Cod. de litis conteſt.* Nec ſufficit, qualiſcumque reſponſio, ſed oportet, ut ſit relativa ad libellum, ſeù ad Interrogationem, *ut notat Bald. in cap. Dudum 2. nu. 19. de elect.*, & ideò dicitur *congrua reſponſio etiam de Iure*, idèſt, Iudicialiter facta ſive negando, ſive confitendo. *Gloſ. in cap. Olim de lit. conteſt.* Et quamvis Bald. *in l. unica* teneat fieri per ſolam confeſſionem, ſeù reſponſionem Rei in figura Iudicii emanatam, licèt fuerit dubium, an hoc fecerit animo litigandi. Contraria tamen opinio eſt verior in ſententia Fagn. *loc. cit. n. 35. Imol. in l. ſi Dominus. §. qui confitetur. ff. de legat.* ubi dicit, ſervandam eſſe mentem confitentis ſi de illa conſtet, & ſi non conſtet non fieri litis conteſtationem. *Gloſ. l. Proindè §. 1. ad l. Aquilam, et in §. ſuſcepto in Authent. de exhib. reis. et in cap. Dudum.* Concluditur tandem definitio *Animo litigandi*. quia litis conteſtatio dependet ab animo Rei, *ut in Authen. de exib. reis. §. Illud, et dixit Rot. 2., quæ incipit ſi pars. nu. 4. de lit. conteſt. aliàs 12. in novis.* Undè litis conteſtatio non oritur, niſi reſponſio Rei fiat animo procedendi in cauſa, & ea intentione, & propoſito, *ut dicit Gloſ. in cap. Olim. verſ. quod eſt ita intelligendum. et Innoc. n. 1.* Quare, ſi reſponſio, vel negatio fiat ad Iuriſdictionem Iudicis, ſeù ad eius Iudicium declinandum, exinde non fit litis conteſtatio, *ut eſt textus notabilis in cap. ſi Clericus, et ibi poſt Goffred. Abb. Antiq. Hoſt. et alios.* Et eſt neceſſe præmittere verbalem proteſtationem; quia ſola intentio non ſufficeret. *Rot. in præalleg. deciſ. 2. de lit. conteſt. in novis.*

§. 4. Secunda Citatio eſt ad allegandum, idèſt, ad ſuas defenſiones faciendas, & Iudex debet aſſignare Reo tempus congruum ad illas producendas ſive petat, ſive non. *Clem. ſæpè §. non ſit. Puteus de Synd. in verb. condemn. c. 4. nu. 13. Bald. conſ. 340. lib. 1. Tuſch. lit. S. concl. 147. n. 17. Farin. q. 39. n. 3.* Qui terminus dandus eſt etiam Reo ſponte confeſſo, vel convicto, ac etiam convicto, & confeſſo, aliàs ſententia erit nulla, & poteſt prorogari uſque ad quartam dilationem Reo petenti. Et talis terminus ad dicendum contra, allegandum, & producendum dicitur ſubſtantialis, cujus omiſſio etiam in Cauſa ſummaria vitiat ſententiam, & idem dicitur

de

de termino ad ſententiam. *Caſſiod. deciſ.* 8. *de reſcript. Tuſch. lit. T. concl.* 75. *n.* 8. *& concl.* 77. *n.* 4. *& concl.* 147. *nu.* 1. *&* 19. Ubi loquitur de cauſa ſummaria, & in dilatione nimis brevi, quòd Reus non poſſit probare. Nec Reus poteſt in criminalibus renunciare terminum ad ſuas defenſiones faciendas, & ſi renunciaret, Iudex non debet admittere talem renunciationem, ſed debet expectare, quòd terminus ſit lapſus. *Clar. q.* 49. *n.* 19. *Farin. q.* 39. *n.* 51. *Guaz. def.* 27. *c.* 1. *& def.* 31. *c.* 1. Excipiuntur tamen Rei in fragranti crimine reperti, vel Notoriè delinquentes, qui poſſunt ſuis defenſionibus renunciare: Et etiam quando illis non irrogatur pœna corporalis, vel infamiæ. Semper tamen tutiùs erit expectare, quòd terminus aſſignatus dilabatur.

§. 5. Et cum dicto termino, copia quoque proceſſus erit ipſo Reo tradenda quoquomodo procedatur. *Farin. poſt alios ab ipſo citatos q.* 39 *n.* 2. *&* 17. *Guaz. qui alios citat def.* 24. *c.* 1. *nu.* 1. Quæ copia proceſſus danda eſt etiam ſi non petatur ex Paul. V. *ſub rub. de Iud. crim.* & tunc proceſſus dicitur publicatus. Et ſi Reus nolet recipere talem copiam, ſufficit, quòd Iudex formet Decretum de traditione illius pro validitate proceſſus, cùm non poſſit cogere Reum, ut dictam copiam accipiat. Et talis copia dari debet ſimul cum Defenſore, vel Advocato. *Farin. q.* 39. *n.* 95. *Guaz. loc. cit. c.* 2. *nu.* 8. *Bover. p.* 2. *c.* 17. *in direct.* Qui Advocatus ſit cautus in accipiendo dictam copiam cum Clauſulis. *Salvis exceptionibus, & repetitione, ac præter mortuos, & abſentes*; quia ſic effugiet omnes fiſcales diſputationes ſuper repetitione, & oppoſitionibus faciendis contra teſtes. *Guaz. ibid. cap.* 8. *n.* 9. Item cautela ſit pro Advocato, ſcilicèt, ut quando Iudex non concedit integram copiam proceſſus, & actorum, proteſtetur, quòd de petitis, & non obtentis nulla habeatur ratio, *ut tradit Foller. in pract. crim. in verb. detur copia capitulorum n.* 2. *& ſequitur Scacc. c.* 100. *n.* 11. Et etiam poteſt appellare Advocatus ſi Iudex deneget copiam proceſſus, quando de Iure eſt concedenda, cùm dicatur inferre gravamen. *Mod. Rom. q.* 39. *n.* 72. *Scac. ibid. nu.* 9. ubi ſubdit, ut poſſit appellare non ſolùm quando negat, ſed etiam quando tacet. Nam denegata tali pacto Reo, vel eius Advocato copia, proceſſus eſt ipſo Iure nullus, etiamſi conſtaret de corpore delicti, & Reus in tortura confeſſus eſſet delictum, & confeſſio eſſet adminiculata depoſitione aliorum ſociorum criminis. *Rot. Aven.* 15. *per totum. Farin. ibid. n.* 84. *Guaz. loc. cit. c.* 5. *n.* 14.

§. 6. Pendente termino Reo ad ſe defendendum dato, Iudex ſuperſedere debet in procedendo ad ulteriora. *text. in l. unius.* §. *cogniturum ff. de quæſt. & ibi Marſ. n.* 113. *Burſat. conſ.* 201. *n.* 75. *lib.* 2. *Caval. de brach. reg. p.* 3. *n.* 4. ubi dicit procedere etiam in Iudice habente bracchium regium. *Franch. in cap. ſignificante n.* 4. *de appel. Pariſ. conſ.* 106. *n.* 14. *lib.* 4. *Grat. conſ.* 77. *n.* 5. *& ſeq. p.* 2., & ratio eſt, quia facta pendente dilatione, dicuntur facta ab eo, qui carebat officio, ſeù exercitio Iuriſdictionis, nam in dicto tempore officium Iudicis conquieſcit. *Veſtr. in pract. lib.* 7. *c.* 1. *num.* 16. *per text. in l. ſive pars Cod. de dilat.* Bajar. *q.* 48. *n.* 4. *Guaz. ibid. c.* 4. *n.* 1. *Ant. Gab. lib.* 2. *de dilat. concl.* 1. *nu.* 1. An autem proceſſus in tali caſu ſit ipſo Iure nullus, vel veniat annullandus. Idem Gab. *ibid. n.* 3. dicit, quòd eſt ipſo Iure nullus, & allegat Gloſ. in *l.* 1. *in verb. nullus, ff. de ſerijs, Jaſon,* Bald.

et Franch. in locis per eum allegatis. Grat. conſ. 77. nu. 6. et ſeq. qui inſuper addit, quòd ſit ipſo Iure nullus etiam parte non opponente, nec poſſit de conſenſu partium ratificari, cùm conſenſus partium non poſſit operari, ut fingatur Iudicem non habentem Iuriſdictionem, neque eius exercitium retrò habuiſſe *l. obſervare fin. ff. de offic. proconſ. Bald. in l. penult. Cod. de arbitrar.*, niſi tamen in dilatione ſibi reſervaret poteſtatem ad ulteriora procedendi, & in tali caſu Iudex tenetur exprimere cauſam, ob quam receſſit à dilatione legali. *Cavalc. de teſtib. p. 5. n. 29. et ſeq.* Vel niſi Iudex expreſsè dilationem revocaret; quia tunc poterit procedere ad ulteriora, quòd tamen de rarò eſt faciendum, *ut inquit Mod. Rom. q. 38. nu.* 10. Et Cavalch. *de brach. reg. in p. 3. nu.* 4. dicit, quòd nec Iudex habens bracchium regium poteſt dictum terminum, vel dilationem revocare, & ſi aliquando eſſet revocanda ex aliquo urgenti caſu v. g. ad evitandum ſcandalum in populo debet citare Reum ad videndum revocare dilationem, & unico contextu illum citare ad videndum procedere ad ulteriora. *Guaz. def.* 24. *cap.* 4. *n.* 4. Adverte tamen, quòd quando Iudex procedit ex officio poteſt in tempore dictæ dilationis denuò examinare teſtes, quòd maximè procedit, quando fuerint producti ante dilationem, & Iudex omiſit illos examinare. *Guaz. ibid. c.* 7. *n.* 2. *et* 8.

§. 7. Tertia, & ultima citatio eſt illa, qua Reus vocatur ad audiendam ſententiam, quæ in facie ipſius Rei coràm Iudice, Actuario, & teſtibus debet legi, ſi eſt præſens; quæ citatio ad ſententiam, cùm ſit de ſubſtantialibus Iudicij, ſi prætermiſſa fuerit, reddit ipſo Iure ſententiam nullam. *Clem. ſæpè §. fin. de verb. ſignific. Bald. in l. final. Cod. de legib. Felin. in cap. Quem Eccleſiarum nu. 66. de conſt.* De ſubſtantia autem Citationis ſunt ſequentia. Primò, ut in ea exprimatur nomen Iudicis, ut appareat de illius commiſſione, quæ non præſumitur. *Guaz. deſ.* 10. *c.* 2. *Vant. de nullit. cit. n.* 4. quòd maximè proceditur in citatione ad comparendum, & reſpondendum, quando Inquiſitus eſt abſens, nempè, quòd Iudex Delegatus inſerat in dicta citatione, & tranſmittat copiam ſuæ Commiſſionis, dummodo tamen non timeatur de fuga in Reo, aliàs proceſſus eſt nullus, cùm Iudici circa id non ſit credendum, ut tradunt Bart. *in Authent. qui ſemel nu.* 12. *Cod. quomodo et quando Iudex Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex deſ. cit. n.* 47. *Menoch. conſ.* 100. *n.* 71. *lib.* 1. Si autem timetur de fuga, ſufficit illum vocare ſub alio prætextu, & poſteà cùm perventus fuerit Reus ad præſentiam Iudicis illi notam facere propriam commiſſionem. Secundò, ut exprimatur in ea nomen querelantis, ſi proceditur ad inſtantiam partis, vel fiſci, qui tenet locum Accuſatoris. *Clar. qu.* 63. *verſ. ſed certè. Guaz. ibid. n.* 5. Tertiò, deſcribendum eſt nomen citati, cum ſuo cognomine, & loco. Quartò, citatio debet eſſe perſonalis, & ſi eſt ſcripta debet tradi in manibus Rei citati, ſed ſi non eſt ſcripta debet reus moneri, ut compareat coràm Iudice, in quo caſu. Quintò, Nuntius debet referre Iudici, vel eius Notario ſe præſentaſſe citationem, vel monuiſſe Reum, ut ſe præſentet coràm Iudice, alitor citatio non eſt valida. Et ſi citatio iſta, & eius relatio non ſit facta ante ſententiam, ſententia eſt nulla.

§. 8. Non tamen de ſubſtantia eſt, ut hæc relatio fiat in ſcriptis, ſed ſufficit, quòd in proceſſu dicatur quod Reus fuit citatus, & ſi Reus comparet, & reſpondet

coràm Iudice, jam relatio citationis eſt comprobata, quæ relatio tamen nulla eſt, ſi fiat per alium, quàm per nuntium, cui in hoc creditur, cùm pertineat ad eius officium. *Bord. c. 65. n. 57.* Si verò Inquiſitus eſt abſens, & ignoratur undè ſit, talis citatio affigi debet ad valuas eius habitationis, ac Refectorij. Et tandem neceſſe eſt, ut in citatione aſſignetur quando eſt abſens, tempus congruum ad comparendum. Dies autem termini non computantur in termino. In his autem citationibus, & præcipuè in prima ad reſpondendum, prudens Advocatus conſiderare debet, ut alibì dictum eſt, ſi delictum, de quo imputatur ſuus principalis ſit ſaltem in Actis ſemiplenè probatum, vel per infamiam, vel per unum teſtem omni exceptione majorem, vel per inditia illi æquipollentia; An conſtiterit de corpore delicti; quia ſi non eſſet ſaltem ſemiplenè probatum ut ſupra, vel non conſtaret de corpore delicti, ſi eſt facti permanentis, & ſimiliter non conſtaret de citationibus, vel de ipſarum requiſitis, acta corruerent, & poſſet plures proceſſus ſubvertere, & ſuum principalem à magno periculo liberare. *Rot. deciſ. 16. alias 133. de reſcript. in noviſ. Scac. c. 32. n. 13. Guaz. def. 11. c. 2. n. 5. in fine.* Et tandem requiritur, ut in citatione exprimatur cauſa, ob quam Reus citatur, ut citatus plenè inſtructus, poſſit habere liberam facultatem contradicendi ſi voluerit. *Guaz. ibid. n. 6. cum aliis ab eo citatis.*

De Defenſione quoad Capturam, & Torturam.
Regula Nona.

§. 1. QUilibet Iudex habens merum imperium poteſt decernere capturam Reorum ſibi Subditorum, & ob id captura facta de mandato Iudicis Delegati, qui non habet merum Imperium, dicitur nulla ex defectu Iuriſdictionis, ità communiter Doctores citati per Farin. *q. 27. n. 7.* qui ſubdit, niſi timeatur de fuga, in quo caſu poteſt decernere capturam non ad puniendum, ſed ad cuſtodiendum, cùm ad hoc ſufficiat tantùm habere Iuriſdictionem. *Cavalch. de brach. reg. p. 2. nu. 1. & ſeq.* Hæc regula tamen fallit in Delegato Principis, qui poteſt decernere capturam, ſicut ipſemet Ordinarius *Bart. in l. 2. nu. 1. & ſeq.* Et Doctores allegati per Farin. loquuntur de Delegato ab inferiore à Principe, ut non poſſit decernere capturam, & quatenùs decernat, dicitur nulla. Et regula generalis eſt, quòd captura dicatur nulla, quando fuit facta, vel commiſſa à Iudice incompetenti. *Rol. lib. 3. conſ. 65. nu. 6.*, ubi teſtatur de communi cum alijs adductis per Mod. Rom. *q. 27. n. 4. Cavalch. ibid. p. 4. n. 329. & ſeq.* Immò Epiſcopi, & Superiores Regulares indebitè, & temerè carcerantes Clericum, vel Religioſum incidunt in excommunicationem. *Clar. q. 28. nu. 5. verſ. ità dicit, ubi Bajard. n. 6. ubi alios allegat. Prax. Archiep. Neap. cap. 29. n. 31.*, ubi firmat, quòd Clericus (& idem dicitur de Religioſo, & maximè apud nos vigore noſtrorum Statutorum) non debeat capi, niſi adſint indicia ad torquendum, nempè quòd ſaltem pertingant ad ſemiplenam probationem.

§. 2. Ad hoc autem, ut captura dicatur juſta, multa requiſita in criminalibus requi-

requiruntur. Et primò, quòd Iudex committens capturam habeat facultatem carcerandi, aliàs captura eſſet invalida, & nulla, ut ſupra probavimus; Secundò, ut perſona carceranda non ſit privilegiata. *Clar. q.* 28. *n.* 2. *Marſil. & alij apud Guaz. def.* 5. *c.* 3. *nu.* 3. Perſonæ autem privilegiatæ ſunt multæ, & inter alias quoad noſtrum propoſitum ſpectat, ſunt Clerici, & Religioſi, qui non ſunt carcerandi à Iudice Laico, niſi fuerint reperti in fragranti crimine; neque à Iudice Regulari, & Eccleſiaſtico, niſi de fuga forent ſuſpecti. *Scac. in tract. crim. q.* 42. *n.* 13. Multa enim per fugæ ſuſpicionem conceduntur, quæ aliàs non concederentur. *Peregr. Iannin. in tract. de citat. real. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 100. *Bald. in tract. de carcer. c.* 1. *n.* 9. Vel niſi præcedant legitima indicia contra imputatum de delicto, quòd eſt tertium requiſitum. Quæ indicia debent ſaltem pertingere, ut diximus, ad ſemiplenam probationem quoad perſonas Religioſas capiendas ob nobilitatem gradus, & conditionis, aliàs captura dicitur injuſta. *Marſil. §. conſtante nu.* 1. *in pract. crim. Clar. q.* 28. *n.* 2. De quibus indicijs conſtare debet in actis per depoſitiones teſtium examinatorum ſuper imputatione. *Marſil. ibid. n.* 11. *Clar. q.* 29. *verſ. Scias autem*; limita tamen juxta ſupra tradita in fragranti reperto, quando de fuga timeatur. Quartò, requiritur, ut conſtet de corpore delicti, ſi eſt facti permanentis, aliter captura erit injuſta. *Gom. tit. de delictis. c.* 9. *n.* 1. *Burſat. lib.* 2. *conſ.* 166. *n.* 2. *Scacc. in tract. crim. c.* 42. *num.* 6. *ubi alios allegat, & teſtatur de communi*, & ibi ſubdit, quòd clericum capiens (& idem dic de Religioſo) non conſtito de corpore delicti incidit in excommunicationem. *& Pereg. Iannin. ibid. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 42. ſubdit per Mod. Rom. *inq.* 2. *n.* 4. ut debeat etiam conſtare de qualitatibus, & circumſtantijs delicti. Et tandem requiritur, ut delictum, pro quo decernenda eſt captura ſit tale, pro quo irrogatur pœna corporis afflictiva. *Clar. q.* 28. *num.* 1. quem ſequitur Bonac *comun. opin. p.* 1. *verſ. captura ad hoc, ut committatur*. Ad quæ omnia diligenter attendere debet Advocatus, ut ſuum clientem eximere poſſit ab indebita, & injuſta carceratione.

§. 3. An autem injuſtè in carceribus detruſus non ſervato Iuris ordine poſſit impunè aufugere controvertitur inter Doctores, multi à Guaz. cumulati *in Def.* 5. *c.* 4. *n.* 11. affirmant, ex hac ratione, quòd Carcer dicatur mala manſio, & habeat in ſe cruciatum Corporis, & perſonalem offenſionem contineat, immò dicatur ſpecies torturæ, & licèt non detur ad pœnam, pœnam tamen in ſe habere dicitur. Alij autem negant. At idem Guaz. *ibid. nu.* 11. *verſ. ego autem*. tenet primam opinionem, & dicit, quòd iniuſtè captus poteſt impunè aufugere, & adire Superiorem, cùm iſta opinio ſit magis communiter à Doctoribus recepta, & approbata, & ibi refutat rationes per Petr. Cabal. in contrarium adductas. In caſu tamen dubio an captura, ſcilicèt, ſit, vel non ſit juſta adhæret opinione Caball., quia tunc præſupponendum eſt pro Iudice. Et etiam poteſt aufugere ruptis carceribus. *Maſc. de probat. lib.* 1. *concl.* 265. *n.* 16. ubi concordantes cumulavit, & teſtatur de communi. *Clar. q.* 21. *n.* 16. Immò etiam tenent, quòd poſſit impunè detentus aufugere ſine incurſu peccati mortalis. *Rim. Iun. lib.* 2. *conſ.* 135. *nu.* 24. etiam ſi Cuſtodibus ob dictam fugam detrimentum contingat. *Maſc. ibid. nu.* 27. Quinimmò Fachin. *controv. Iur. lib.* 9. *c.* 68. dicit, quòd ſi principalis aufugiendo nullam pœnam incur-

rit, quando eſt iniuſtè detentus ſecundùm communem opinionem, nec Cuſtos Carceris in pœnam incurrere debet, ne ſit deterior eius cauſa, quàm ſit obligatio, vel cauſa principalis, ad quod advertere debet Advocatus tàm pro defenſione principalis, quàm Cuſtodis.

§. 4. Quoad torturam verò, licèt Iudex poſſit de facto torquere Reum, contra quem habet legitima indicia, requiritur tamen Decretum, ſeù Interlocutoria ſupra dictam torturam, ut communiter docent Doctores apud Guaz. *def. 30. c. 1. num. 1.* A quo tamen Decreto ſciat Advocatus, quòd datur appellatio. *l. 2. Cod. de appell.* Et iſta appellatio admittitur ſine inſertione cauſarum gravaminis. *Clar. q. 64. verſ. ad quid agendum Scacc. de appellat. q. 17. limit. 47. memb. 1. nu. 147.* Et idem erit in repetitione torturæ, ut admittatur appellatio, quando in prima tortura non fuit appellatum, *ut tenuit Rot. Aven. teſte Laurent. in deciſ. 60. in fine Cavalc. de teſtib. p. 4. n. 159.*, ubi ſubdit, quòd ſi ſequatur confeſſio non nocet. Et etiam à comminata tortura licet appellare. *Clar. q. 64. verſ. ſed quid agendum. Muſcatel. de appellat. in Gloſ. 1. ſent. n. 16.* ubi firmat eſſe in ore omnium, quòd non ſolùm à Decreto, ſed à comminata tortura datur appellatio, & quòd liget manus Iudicis etiam ante inhibitionem, ità quòd nihil poteſt innovare: Et ſi Iudex non obſtante appellatione ad torturam proceſſerit, & à Reo confeſſionem extorſerit, erit talis confeſſio penitùs nulla, & inefficax ad condemnandum. *Gomez. de tort. reor. n. 25. Ang. de malef. verb. quod fama publica n. 110.* & in additione dicit, quòd talis confeſſio eſt ipſo Iure nulla. *Lancel. de attent. pend. temp. ad appel. c. 12. lim. 1. n. 99. Cavalc. ibid. p. 4. n. 139.*

§. 5. Ad hoc autem, ut tortura legitimè inferatur, multa requiſita à Doctoribus aſſignantur. Primum eſt, ut veritas facti aliundè, quàm per torturam haberi non poſſit, cùm tortura ſit remedium ſubſidiarium, *Boſſ. tit. de indic. n. 29. Marſ. de queſt. in princip. num.* 10. Secundum eſt, ut priùs conſtet de corpore delicti antequam deveniatur ad torturam, cùm tortura non poſſit inferri ad illud propalandum; quia aliundè conſtare debet. Tertium eſt, ut legitima præcedant indicia talia, quòd ſola confeſſio Rei deeſſe videatur. *Bald. lib. 1. conſ. 269. nu. 6.* Ubi dicit, quòd indicia debét eſſe luce clariora in ſua ſpecie indiciorum, probabilia, & veriſimilia, & non dubia, vel equivoca. *Guaz. ibid. c. 4. n. 3. verſ. quæ indicia.* Nec minus poteſt Iudex ſine legitimis indiciis præcedentibus reum terrere. *Marſ. de prob. lib. 1. concl. 352. n. 14. Farin. q. 37. n. 96.* Quartum, ut detur copia indiciorum, ac totius proceſſus cum congruo tempore ad ſuas defenſiones faciendas. *Farin. conſ. 103.* Et quòd Reus non commederit per novem, vel decem horas ante torturam. *Clar. q. 64. n. 29. Tuſch. in lit. T. conſil. 326. n. 17.* Quintum, ut reus non ſit membro debilitatus, quia tunc non poſſet torqueri, & ſi torqueretur, & confiteretur, talis confeſſio nihil ei nocebit. *Laderch. Imol. conſil. 183. n. 1.*, vel alia ſimilia mala relata à Guaz. *loc. cit. nu. 25.* In tortura autem Clerico, vel Religioſo inferenda præcedere debet infamia, aliàs non poterit torqueri; ità communiter Doctores adducti per Farin. *conſil. 38. n. 16. in princip.* cùm non ſufficiant indicia quantumvis fuerint legitima ad torquendum. *Maſc. ibid. concl. 350. nu. 14.* Guaz. qui multos cumulabit *ibid. c. 10. nu. 1.* Quæ opinio ſecundùm eundem

Guaz.

Guaz. *ibi. nu.* 2. *in fine*. procedit tantùm in delictis ordinariis, & quando Clericus, vel Religioſus non eſſet ſolitus delinquere, non autem in delictis gravibus, & enormibus, in quibus eadem tortura, & eo tormentorum genere, quo torquentur laici, torqueri poſſunt & Clerici, ſeù Religioſi. Benè quidem verum eſt, quòd ad torquendum Religioſum, & Clericum maximè in Sacris conſtitutum non ſufficiunt illa indicia ordinaria, quæ ſufficiunt contra Laicum propter illam præſumptionem bonitatis, quam habent Religioſi, & Clerici, *ut tenet Boſſ. tit. de tor. teſt. n.* 6. *Eug. conſ.* 76. *n.* 103.

§. 6. Et quando confeſſio indebitè fuit extorta; ſcilicèt, non legitimis præcedentibus indiciis, ſi deindè talia indicia ſuperveniant non convalidatur. *Gram. vot.* 6. *n.* 11. *Marſil. in l. penul. n.* 28. *& ſeq. ff. de queſt. & in* §. 2. *queſt. nu.* 2. *in pract. Clar. q.* 55. *n.* 13. *Bertaz. conſ.* 8. *n.* 50. *Gram. conſ.* 21. *n.* 20. *Burſat. lib.* 2. *conſ.* 201. *nu.* 4. ubi alios allegat teſtantes de communi. Et licèt aliqui voluerint, quòd confeſſio in tortura facta ſine indiciis convalidetur per confeſſionem extrajudicialem eiuſdem rei ſupervenientem factam ante torturam. Opinio tamen contraria eſt verior; quia ſi nō convalidatur per alia quæcumq; indicia ſupervenientia, ſic nec per dictam confeſſionem, cùm in utroque caſu militent Iura rationes, & auctoritates Doctorum ſupra allegatorum, qui indiſtinctè, & generaliter loquuntur in quibuſcumque indiciis ſupervenientibus, & conſequenter etiam in indicio reſultante ex confeſſione extrajudiciali ſi ſuperveniat, ut in terminis declarat Add. ad Farin. *conſ.* 19. *in lit. D. verſ. ſed certè*, & hanc opinionem ſequitur etiam Guaz. *def.* 30. *c.* 38. *n.* 3. Nec etiam convalidatur per ratificationem ſubſequutam. *Alex. lib.* 1. *conſ.* 5. *in princ.* ubi Add. *in verb. damnari* alios allegat, & ratio eſt; quia cum ab initio requiratur: ut præcedant legitima indicia de eſſentia, & ſubſtantia Iudicii, ac torturæ, ſic non poteſt convalidari per ſubſequentem ratificationem, ad quam non præceſſerint talia indicia; & ob id, non poteſt talis torturæ, vel confeſſio indebitè extorta, ac etiam ratificata convalidari per indicia, & probationes ſupervenientes. *Guaz. ibid. n.* 4. ubi cum Marſil. concludit, eſſe abſolvendum ab obſervatione Iudicii. Et Iudex debet formare novum proceſſum, ut poſſit illum legitimè condemnare. *Tuſch. concl.* 329. *in lit. T. num.* 36. *Bertaz. lib.* 1. *conſ.* 61. *Burſ. conſ.* 166. *n.* 32., *& alii quam plures apud eundem Guaz. ibid.*

§. 7. Quando quis fuit ſufficienter tortus ſuper aliquo facto, Advocatus inſtet pro abſolutione; quia per ipſam torturam dicuntur extincta indicia contra ſuum clientem laborantia. *Albert. in rub. de queſt. nu.* 9. *in l. edictum. n.* 2. *Cod. eodem*. Quæ opinio Alberti eò magis procedit, quando eſſent factæ defenſiones in favorem Rei torti, ut cenſeatur puram veritatem dixiſſe. *Bertaz. lib.* 2. *conſ.* 258. *per totum.* Et talis tortura eſt adeò efficax in favorem torti, ut ex ea dicantur ſublatæ probationes, & præſumptiones violentæ, & indubitatæ, quæ contra eum laborabant. *Cæpol. conſ.* 32. *n.* 2. *Boſſ. tit. de confeſ. per tortur. n.* 26. *Gram. conſ.* 64. *n.* 10. Immò ſi plenè convictus fuerit ità acriter tortus, ut per torturam dicatur omnis probatio ſublata, nec erit Reus pœna extraordinaria puniendus, ſed de Iure eſſet definitivè abſolvendus, licèt de conſuetudine obſervetur, ut abſolvatur cum illa clauſula *Rebus ſic ſtantibus* vel *Ex hactenùs deductis*. Nec obſtat, ſi inquiſitus fuerit tortus

cum

cùm illa clauſula *ſine præjudicio convictorum*; quia talis proteſtatio tamquam contraria facto, Fiſco non ſuffragabitur. *Cavalch. de brach. reg. p. 3. nu. 271. Boſſ. tit. de confeſ. n. 29. tit. de indic. nu. 3. Rimin. Iun. lib. 6. conſ. 704. nu. 20. Bertaz. lib. 2. conſ. 266. n. 2. Dec. lib. 2. reſp. 93. n. 74. Farin. conſ. 60. n. 31. & conſil. 11. n. 46.* Ac etiam ſi fuerit immoderatè tortus pro habendis complicibus, vel pro ulteriori veritate ſuffragabitur ei talis tortura ſuper negotio principali ſaltem ad effugendam pœnam ordinariam. *Farin. ibid. n. 35. Cæpol. conſ. 32. n. 19.* Ad quæ omnia benè advertere debet Advocatus in defenſione ſui principalis.

§. 8. Et inſuper idem Advocatus animadvertat, quòd ſi Reus fuerit tortus, qui de Iure torqueri non poterat, & faſſus fuerit delictum, non poſſit ex dicta confeſſione puniri, etiam ſi fuerit ratificata; cùm tortura illa ſit contra ordinem, & diſpoſitionem Iuris. *Gomez. tit. de delict. c. 13. n. 4. Marſil. in l. editum. nu. 25. & 30. ff. de queſt.* & generaliter loquuntur Doctores per Guaz. cumulati. *ibid. c. 18. n. 1.* Ac etiam cautus ſit Advocatus adeſſe concluſionem ad ſui principalis favorem, nempè, quòd tortura repeti non debeat. *Guid. de Suz. in tract. de indic. & tort. n. 3. & 75.*, ubi teſtatur de communi. *Burſ. lib. 7. conſ. 116. num. 115.* de magis communi: Et hoc eſt verum etiam in delictis attrociſſimis. *Cravet. conſ. 287. nu. 6. & ſeq. Brun. de indic. 2. p. q. 5. n. 58. 59. 60. & 62. Foller in verb. Confitebuntur n. 78.* ubi aliis relatis teſtatur de veriori, & magis Iuri conſona opinione. Quòd maximè procedit, ſi ex prima tortura purgata fuerunt indicia contra reum reſultantia. *Clar. q. 64. n. 46. Tuſch. in lit. T. concl. 331. n. 9. & 14.* Vel ſi indicia non fuerint proxima, vel propinqua, ſed remota, cùm regulariter indicia remota non ſufficiant ad torturam inferendam, *Boſſ. tit. de indic. nu. 5. & 71. Burſ. lib. 3. conſil. 316. n. 23.* ubi de communi teſtatur. Et confeſſio extorta per repetitionem torturæ, quæ repeti non debebat, nihil valet, nec confitenti nocet. *Gomez. ibid. c. 13. n. 25. Burſ. lib. 2. conſil. 201. n. 87. Tuſch. ibid. concl. 331. n. 10.*

§. 9. Sicut etiam nec ſufficit unum indicium ad inferendam torturam, ſed plura requiruntur. *Boſſ. ibid. n. 71.* ubi dicit, quòd ſaltem debent eſſe dua indicia proxima. *Clar. q. 64. Burſat. conſ. 336. n. 1.* Et licèt ſoleat etiam dici, quòd unus teſtis de indicio proximo, vel immediato ipſius delicti faciat indicium ad torturam de per ſe, etiam aliis non concurrentibus. Advocatus tamen videat, ſi iſte teſtis patiatur aliquam exceptionem; quia eo caſu non operatur indicium ad torturam; cùm debeat eſſe invulnerabilis, & omni exceptione major. *Gram. vot. 30. nu. 31. vot. 34. n. 10. Guid. de Suz. ibid. n. 92. Maſcar. concl. 894. nu. 8. Menoch. de præſump. 89. n. 10. Clar. q. 21. n. 2.* ubi teſtatur de communi *q. 22. n. 2.* Vel ſi aliqua conjectura reſiſteret; quia tunc minus facit indicium ad torturam. *Natt. lib. 2. conſ. 394. n. 34. Rimin. Iun. lib. 4. conſ. 361. n. 20. Farin. q. 37. n. 57. conſ. 39. nu. 14. ubi alios allegat. Bajar. q. 21. n. 16. in fine.* Et conjectura magna erit, ſi non deponat veriſimilia. *Boſſ. de indic. num. 16.* ubi ponit exemplum ſi deponerent de furto contra magnum Mercatorem. *Rol. lib. 1. conſil. 7.*, vel ſi non fuiſſet ritè examinatus. *Marſil. ſing. 342.* Vel ſi non redderet rationem ſui dicti. *Marſ. in pract. crim. §. diligenter. n. 32.* Et quælibet exceptio, vel macula tollit, non faciat indicium ad torturam: quia teſtis debet eſſe omni exceptione major, & invulnerabilis.

Rol.

Rol. ibid. n. 13. *Cravet. conſ. 6. n.* 22. *Rim. Iun. conſ.* 361. *n.*57. *& ſeq.* Ubi reprehendit Iudices aliter facientes: & hoc procedit in quocumque crimine graviſſimo, in quo ſolent admitti teſtes inhabiles. *Marſ. ibid.* §. *diligenter. n.*8. *Boſſ. ibid. n.* 11. *Mod. Rom. q.* 37. *n.* 60. ubi dicit verificari, ſive procedatur per viam Accuſationis, ſive per viam Inquiſitionis, & ubi etiam teſtatur hanc opinionem eſſe veriſſimam. Si verò teſtis pateretur plures defectus & exceptiones ſine difficultate non faceret indicium aliquod cùm tunc prorſus rejiciatur: ut nec minus faciat adminiculum, vel aliquam præſumptionem. *Natt. lib. 2. conſ.* 354. *nu.* 6., ubi dicit procedere etiam in pluribus teſtibus. Et dato etiam quòd teſtis eſſet omni exceptione major ad hoc ut faciat indicium ad torturam, requiritur, quòd immediatè deponat ſuper delicto. *Guaz. ibid. cap.* 30. *n.* 6. *Clar. q.* 22. *Farin. q.* 37. *num.* 70. *Burſat. lib.* 3. *conſ.* 336. *n.* 18. Ad quod benè advertere debet Advocatus, & inſuper quòd in indicii remotis non ſufficiat unum indicium ad torturam ſed plura requirantur. *Guaz. cum aliis ab eo citatis ibid. c.* 30. *n.* 7. ubi rejicit, & declarat Doctores in contrarium ſentientes.

De Defenſione, quoad Confeſsionem. Regula X.

§. 1. Quia contra confeſſionem poſſunt multa deduci, allegari, ac probari. Idcircò Iudex tenetur dare Reo etiam ſponte confeſſo terminum ad ſe defendendum. In quo termino debet Advocatus diligenter inſpicere, an Confeſſio Rei ſit dubia, vel obſcura; quia ad hoc, ut confeſſio poſſit afficere confitentem, requiritur, ut ſit ſicut Sol clara, & lucida, nec ullam patiatur labem, vel exceptionem, ac ſit omni exceptione major. *Felin. in cap. At ſi Clericus. n.* 1. *extra de Iud. Foller. in pract. crim. in verb. & ſi Confitebuntur n.* 59. 65. *Bertaz. conſ.* 55. *n.* 6. *& conſ.* 61. *n.* 9. *& conſ.* 215. *n.* 5. *& ſeq. Farin. q.* 81. *nu.* 32. *& conſ.* 60. *nu.* 11. ubi dicit, paria eſſe obſcurè, vel incertè fateri, ac nihil fateri: Et inſuper debet eſſe probabilis, veriſimilis, & concludens, ſivè fiat ſponte, ſivè in tortura antequam fiat ratificatio. *Maſc. ibid. concl.* 353. *Cavalch. de brach. reg. p.* 3. *n.* 185., & in dubio ſemper interpretatur ad favorem confitentis, & ſecundùm eius intentionem. *Rom. conſil.* 455. *n.* 5. *& ſeq. Bertaz. lib.* 1. *conſil.* 54. *n.* 2. *conſ.* 156. *n.* 53. *& lib.* 2. *conſ.* 449. *n.* 28. *Rim. Iun. lib.* 1. *conſ.* 88. *n.* 4. Et ſemper in meliorem partem, ut delictum excludatur, ut poſt alios, quos allegat firmat *Burſat. lib.* 2. *conſ.* 146. *n.* 27. *Honded. lib.* 2. *conſ.* 96. *n.* 52. Et idem dicitur de confeſſione conditionali, quæ non ſufficit ad condemnandum. *Farin. conſ.* 34. *nu.* 5. Et multò minus confitens poteſt condemnari non conſtito de corpore delicti, ut alibi diximus. *vulg. l.* 1. §. *item illud ff. ad Syllan. Clar. q.* 4. *n.* 1. *& ſeq. & q.* 55. *n.* 9. *& q.* 64. *verſ. debet etiam. Burſat. lib.* 1. *conſ.* 8. *n.* 42. *& conſ.* 166. *nu.* 3. *Farin. q.* 2. *nu.* 1. *& ſeq.* Et ſi ſententia ſequeretur, eſſet ipſo Iure nulla. *Dec. lib.* 3. *reſp.* 96. *nu.* 19. *&* 22. *Burſat. lib.* 2. *conſ.* 201. *n.* 3. Ac etiam verificatur in confeſſione facta reſultante ex contumacia. *Farin. ibid. n.* 7. ubi teſtatur de communi, & alios allegat. *Dec. ibid. n.* 16., ubi loquitur etiam præſuppoſitis Bullis Pontificum, per quas contumax habeatur pro confeſſo.

Et

§. 2. Et præcipuè debet Advocatus circa confeſſionem ſui clientis devenire ad medullam negotij, & non quieſcere in ſuperficie confeſſionis, ſed videre, an ex proceſſu reſultet aliqua Cauſa, per quam motus fuerit Reus ad committendum illud delictum confeſſatum, cùm cauſa ſit baſis, ſeù fundamentum cuiuſcumque criminis. *Caſſon. de indic. præmed. ante delict. c. 1. cum plurib. ſeq. Cravet. conſ. 6. n. 22. Eug. conſ. 76. n. 32. Rim. Iun. lib. 5. conſ. 550. n. 17. & ſeq. Dec. lib. 3. reſp. 4. nu.* 30. Et ob id ſi non conſtat de cauſa confeſſio non nocet confitenti. *Pariſ. de Put. de Synd. in verb. tort. c. 7. nu.* 12. ubi propterea dicit, quòd in dies videmus multos imbecilles animo confeſſos fuiſſe crimina, & deinde repertos mendaces, & idcircò admonet Iudices, & Advocatos, ut benè advertant ad eorum confeſſiones, ut in eis ſubſit delicti confeſſati veriſimilis cauſa. *Marſ. in pract. crim. §. poſtquam n.* 29. *& ſeq.* Blanc. *de Iud. n.* 35. Et hac de cauſa parum ſunt attendendæ certæ confeſſiones reorum incidenter in Iudicio emanatæ ſuper criminibus, quæ non ſufficiunt ad condemnandum. *Marſil. in prax. §. conſtante. n.* 49. Boſſ. *de confeſ. nu.* 41. *Rol. lib. 2. conſ.* 31. *n.* 2. B*ertaz. lib. 2. conſ.* 41. *n.* 10. ubi teſtatur de communi.

§. 3. An autem Confeſſio facta in Iudicio Civili poſſit præjudicare confitenti in cauſa criminali controvertitur inter Doctores apud Guaz. *def. 32. c. 7. nu.* 2. *Clar. q. 19. n.* 4. ubi dicit, quòd erit in cauſa Criminali inchoandus novus proceſſus, pro verificatione illius confeſſionis, & debent dari defenſiones deindè Reo, & alia fieri, quæ in proceſſibus criminalibus requiruntur, & quod ità aliàs in contingentia fuit judicatum. *Afflict. deciſ. 176; quem refert. Foller. in loco relato per* Clar. *ibid.* & dicit magis procedere, ſi emanavit in judicio ſummario ex allegatis per Maſcar. *de prob. concl. 348. nu.* 37. eoque magis procedit in confeſſione Procuratoris emanata in Iudicio civili, ac etiam criminali, ut non noceat principali in Iudicio Criminali. *Clar. q. 54. n. 4. Menoch. lib. 2. de arbit. caſ. 315. nu. 25. & ſeq. Honded. lib. 4. conſ.* 91. ubi teſtatur de communi. Et idem dicitur de confeſſione facta ab uno tertio in Iudicio tàm civili, quàm criminali, nempè, quòd non noceat alteri tertio; Si tamen talis confeſſio tertij eſſet adminiculata, aut alijs conjecturis, & veriſimilitudinibus corroborata valeret ad torquendum. ità communiter Doctores apud Guaz. *ibid. c. 8. nu.* 2. Quæ adminicula debent eſſe legitimè probata, unumquodque ſaltem per duos teſtes, prout omninò de Iure requiritur. *Clar. q. 22. n. 1. Gomez. tit. de delictis c. 13. n. 18. Honded. lib. 2. conſ. 87. num.* 120., ubi teſtatur de communi. Et benè ſciat in hoc deducere Advocatus, quòd, ut poſſit tertius ex nominatione ſocij criminis, vel ex alio adminiculo nominatus torqueri, opus eſt ut ex qualitate ſocij deponentis, aut ex qualitate nominati arguatur ipſum ſocium non mentiri, ut declarat *Gram. conſ. 38. nu. 26. Rol. lib. 1. conſ. 63. nu.* 25. qui loquitur de criminibus exceptis. *Eug. conſ. 76. nu.* 97. Si verò eſſent duo ſocii criminis ſine alio adminiculo facerent indicium ad torturam. B*oſſ. tit. de Inquiſ. nu.* 51. *Clar. q. 21. verſ. ſed* donec, dummodo tamen deponerent cum tortura. *Gomez. ibid. c. 11. n. 18. Farin. q. 43. n.* 39. alios referens.

§. 4. Quoniam non raro contingit, quòd vel ex nimia diligentia Iudicis, vel ex animi imbecillitate Rei, multoties extorqueatur confeſio, quæ ſit vel falſa, vel erronea; Ideò Advocatus debet invigilare ſuper revocatione dictæ ſententiæ; quia

ſi eſt

ſi eſt falſa, non afficit confitentem, ut communiter docent Doctores apud Guaz. *ib d.c.9.n.* 1. Immò in iſto caſu non requiritur revocatio dictæ confeſsionis; neque neceſſe eſt, quòd confitens alleget errorem. *Boſſ. tit. de confeſ. n.* 70. & ſi non eſt falſa in totum, ſed in parte, & adhuc non conſtaret de veritate alterius partis, præſumitur falſa in totum. *Soc. Sen. lib.* 3. *conſ.* 82. *n.* 2. quem ſequitur Dec. *conſ.* 536. *n.* 10. *Maſc. de probat. concl.* 384. *nu.* 2. ubi teſtatur de communi, & concordantes allegat; & hoc verificatur non ſolum ante, ſed etiam poſt ſententiam; Intantùm quòd Iudex tenetur ex officio illum liberare, etiam quòd ipſe non alleget errorem, neque inſtet pro abſolutione. *Mod. Rom. q.* 81. *n.* 25. *verſ. & præterea.* Si verò eſt tantùm erronea, habet regulam poſt ſe Advocatus, ut confeſſio, quamvis Iudicialis, & ſpontanea poſſit docto errore quandocumque revocari, ſecundùm communem opinionem, de qua teſtatur *Boſſ. ibid. n. 6. Clar. q.* 55. *nu.* 18. *& q.* 65. etiam quòd ſit juramento firmata; & revocata confitenti non nocet. *Gomez. ibid. c.* 1. *n.* 66. *Maſc. concl.* 345. *n.* 59. *Baiar. q.* 55. *nu.* 61. *& ſeq.* Immò etiam ſi confeſſio eſſet repetita, geminata, & ratificata adhuc conſtito de errore (quidquid alij in contrarium dicant) non nocet, cùm poſſit revocari, ut de æquiori, & magis communi teſtatur Anton. Gab. *lib.* 1. *tit. de confeſ. concl.* 5. *verſ. contr. tamen opinio. Clar. qu.* 64. *verſ. ſin autem reus in fin.* Benè verum eſt, quòd difficiliùs revocatur talis confeſſio geminata, quàm ſi non eſſet geminata; quia in tali caſu non ſufficit tantum probare errorem confeſſionis, ſed etiam tenetur probare, quare confitens motus fuit ad ſic confitendum. *Franch. in cap.* 1. *n.* 2. *de accuſat. in* 6. *verſ.* 3. dummodo tamen non ſit ratificata per torturam, cùm tunc ſufficiat probare errorem, vel rem aliter ſe habere, ut benè tradit Aret. *in cap. cum dilecti. n.* 29. *verſ. tu vero conſidera* juncto verſo, *& licet ipſe. & nu.* 30. *verſ. primo caſu extra de accuſat.* ubi firmat, quòd hæc limitatio habet in ſe magnam æquitatem, quamvis aliqui Doctores loquantur generaliter etiam in confeſsione emanata per torturam. Et hanc Aretini opinionem ſequitur Farin. *q.* 81. *nu.* 346. *& Add. ad eum in conſ.* 16. *in l. B. Cavalcb. de brach. reg. p.* 3. *n.* 208. ubi ſubdit, quòd Advocatus allegare debet cauſam erroris, quæ poſsit ſtare cum dicta confeſsione: ut ſi dicat v. g. *quòd ſuus principalis confeſſus fuit propter timorem torturæ;* Vel *per oblivionem*, Vel *quia neſciebat, quid diceret*, Vel *quia mens ſua erat ira turbata, & impedita* &c. quas excuſationes dicit eſſe veriſimiles.

§. 5. Et talis revocatio confeſsionis non ſolùm fieri poteſt incontinenti, idèſt, antequam ſit redacta in ſcriptis, vel ſi eſſet redacta, antequam Reus diſcedat à præſentia Iudicis, ut alibi diximus. Et ſi emanata fuit in tortura, antequam ratificetur, ſed etiam ex intervallo, nempè in termino defenſionis. *Anch. conſ.* 24. *Bajar. q.* 55. *n.* 59. *& ſeq.* & quandocumque etiam poſt concluſum in cauſa, & ante ſententiam docto tamen de errore, non obſtante juramento poteſt revocari. *Cavalc. ibid. nu.* 204. *&* 206. Immò quoque docto de errore revocari poteſt poſt ſententiam, quamvis fuerit juramento vallata. *Guid. de Suz. de indic. & tort. n.* 66. *Bajard. ibid. n.* 57. *Add. ad Farin. conſ.* 16. *in lit. A.* ubi concordantes allegat. Et multò magis revocari poteſt in cauſa appellat. *Aret. ibid. n.* 25. *Brun. de indic. p.* 2. *q.* 6. *n.* 14. *& ſeq.* Ac etiam poſt executionem *Bajar. loc. cit. n.* 58. Et idem dicitur de confeſsione

ne facta ſub ſpe gratiæ & impunitatis, niſi in ea confitens perſeveraverit, vel ratificaverit. *Pariſ. de Put. de Synd. in verſ. ſequitur quæſtio quotidiana. Monticel. in pract. crim. reg.* 20. *n.* 9. *Bajar. ibi. n.* 65; quia talis confeſsio cùm præſumatur dolo extorta non poteſt afficere confitentem. *Marſil. ſing.* 319. *Boſſ. tit. de exam. reor. n.* 17. *Clar. q.* 55. *n.* 6. *& ſeq. Mod. Rom. q.* 81. *n.* 276, qui alios concordantes cumulavit, & teſtatur de communi. Idemque erit dicendum de teſtibus inductis ad deponendum ſub ſpe impunitatis, ut eorum depoſitio non afficiat illum contra quem deponunt. *Boſ. ibid. n.* 15. Idemque erit, quando Iudex dicit reo, ut veritatem narret, quia nihil mali ſibi eveniet, atque etiam promittit, quòd liberabitur: in tali enim caſu ex confeſsione ſequuta, ſequi non poterit condemnatio, ut expreſsè voluit Suarez. *in addit. ad Ant. Gamez. ibid. c.* 12. *n.* 6. *in lit. C. reprobato Boſſio relato per Clar. in q.* 55. *verſ. circa ſecundum*, & cum hac opinione contra Boſsium convenit etiam Mod. Rom. *q.* 81. *n.* 205. *et Guaz. def.* 20. *c.* 24. *n.* 6.

§. 6. Et ſi confeſsio poteſt per Reum, ſeù Advocatum revocari, multò magis poterit per illos excuſari, declarari, & interpretari etiam ex intervallo. *Marian. Soc. in cap. qualiter, et quando il* 2. *nu.* 1005. *et* 1009. *et ſeq. de accuſat. Foller. in pract. crim. in verb. et ſi confitebuntur. n.* 128. *Bertaz. conſ.* 54. *n.* 3. *verſ.* 460. *n.* 11. *conſ.* 508. *n.* 10. ubi dicit, quòd quis confeſsionem dubiam poteſt declarare, atque etiam interpretari non docto de errore, cùm confeſsio dubia ad favorem confitentis ſit omninò interpretanda. *Bajar. q.* 55. *nu.* 63. Quidquid in contrarium dicant alij, quòd, ſcilicèt, confeſsio dubia præſumatur vera: Et ideò ſit cautus Advocatus, ut deducat in Actis confeſsionem fuiſſe factam per errorem, & ad tollendas omnes diſputationes, curet, ut talis declaratio fiat per ipſummet confitentem; quia ſi revocatio confeſsionis fieret ſimpliciter, non erit revocans audiendus. *Boſſ. tit. de confeſſ. n.* 64. *et* 65. *verſ. eſt etiam. Cabal. caſ.* 189. *n.* 9. Et poſtquam allegavit errorem, curet illum probare; quia non ſufficeret ſola allegatio erroris, & ſola confeſſionis revocatio, niſi etiam probaretur error. *Cabal. ibid.* Et error probatur, quando deducitur rem aliter ſe habere. *Alex. lib.* 1. *conſ.* 102. *Rol. lib.* 3. *conſ.* 69. *n.* 48. Confeſsio autem extrajudicialis ſi fuerit revocata ante cœptum iudicium, non requiritur, ut in eius revocatione allegetur cauſa erroris, neque etiam probetur error; ſed ſufficit, quòd ſimpliciter revocetur, ut non faciat indicium ad torturam, ità communiter Doctores adducti per Clar. *q.* 21. *n.* 19. *Bajar. loc. cit. n.* 124. poſt verò cœptum Iudicium non revocatur, niſi docto de errore.

§. 7. Cauſæ autem talis revocationis ſunt metus, ignorantia, oblivio, ira, fatuitas, mens non ſana, & perſuaſio. Et quoad primam, caveat Advocatus, ut deducat cauſam metus, quæ ſit probabilis, & neceſſaria, & cadat in conſtantem virum. *l.* 1. *§. metus ff. quod metus. Menoch. de arbitr. caſ.* 136., nec metus per ratificationem tollitur eadem metus cauſa ſubſiſtente. Ac etiam caveat, quòd in confeſsione facta metu tormentorum debet in ſpecie, & in individuo allegari metus, & non in genere. *Boſſ. ibid. n.* 37. *et ſeq. Maſc. de probat. concl.* 354. *et concl.* 105. Nec non cum ipſo metu debet concurrere aliqua alia cauſa probabilis, ut veriſimile ſit, quòd per metum confeſſus fuerit, alioquin ſi cum metu nihil aliud concurrat, ſed ſolùm allegetur, Reus tanquam variùs poſſet torqueri. *Boſſ. de tort. nu.* 46. Vel co-

netur

netur confeſſionem dubiam reddere ad evitandam condemnationem in pœnam ordinariam. Circa ſecundam cauſam ex ignorantia reſultantem Advocatus deducat ruſticitatem, & imperitiam confitentis, & præcipuè quòd ſit homo prorſus rudis, ità quòd neſciat quid dicat, & debet eſſe probabilis, & veriſimilis. *Guaz. def. 32. c. 13. nu. 3.* Quoad tertiam de oblivione idem dicendum eſt, ac de ignorantia. *Soc. reg. 219. Maſc. ibid. concl. 650. n. 5.* Ac etiam deducat ad favorem confeſſi, quòd ſit perſona ſimplex, & non verſutus. Et idem erit dicendum de ſurditate, vel fatuitate dummodo probari poſſint per teſtes. Circa quartam de ira, vulgare eſt dictum, quòd ira impedit animum, nè quis verum cernere poſſit. *l. quidquid calore ff. de reg. Iur.* Et ob id confeſsio per iram facta poteſt revocari. *Mod. Rom. q. 81. nu. 56.* ubi alios adducit, & teſtatur de communi. Undè Advocatus benè ſciat deducere iram in favorem confeſsi, nempè, quòd tempore emanatæ confeſsionis erat ira accenſus, & deducat illas conjecturas, & præſumptiones, per quas coadjuvetur, quòd veriſimiliter ille erat tali ira accenſus, ut potuerit decipi, & fateri per errorem, quòd ipſe non ſciebat, neque fecit. Quoad quintam de perſuaſionibus. Advocatus ultra dictas perſuaſiones aliquas alias conjecturas, vel præſumptiones adducat v. g. quòd ſit fatuus, vel ſemifatuus, vel quòd ei fuit pro ipſa confeſsione promiſſa impunitas, vel quòd blanditijs, aut ſuggeſtionibus illicitis fuit extorta confeſsio; hæc enim non poteſt afficere confitentem *Burſat. lib. 2. conſ. 201. n. 81. Fab. Turret. conſ. 66. n. 4. qui infinitos cumulavit. Cartar. de inter. reor. lib. 2. c. 8. n. 54. & ſeq. & ſub num. 62.* dicit hoc magis procedere ſi per ſuggeſtionem fuerit extorta in tortura. Poterit etiam adducere impatientiam carceris, aut vitæ tedium; ac etiam in totum, vel in partem conetur probare contrarium illius, quòd ipſe faſſus fuit.

§. 8. Et pro vera praxi in iſta materia revocationis tam utili pro Reorum defenſione. Advocatus ſciat illam deducere, & ſic antequam producat capitula, ſeù articulos priùs deducat in Actis. *Quòd etſi N. faſſus ſit tale delictum, & etiam poſtea illud ratificavit, nihilominùs erravit, & erraſſe dicit, & proteſtatur; verùm quia defenſionem ſuam parare nequivit, nunc eſt paratus, & ſe offert probare per teſtes errorem ſuæ confeſſionis &c.* Et ſic ſemper priùs revocet confeſſionem. *Dec. in cap. ſi Clerici. n. 131. de jud. Mod. Rom. q. 81. n. 58.* Et quamvis ſit regula communis apud Iuriſtas, quòd confeſſio validet nullitatem proceſſus, hoc tamen intelligendum eſt de ſpontanea confeſſione, non autem de extorta per torturam, quæ nunquam convalidat nullitatem ordinis proceſſus. *Clar. q. 55. n. 12. Foller. loc. cit. n. 88. Maſc. ibid. concl. 357. n. 4. Mod. Rom. q. 81. n. 83.* ubi ſubdit idem eſſe dicendum de confeſſione extorta metu tormentorum. Nec minus nullitas proceſſus ſanatur per confeſſionem factam coràm Iudice Delegato. *Maſc. in pract. §. poſtquam n. 14. concl. 46. n. 19. Foller. ibid. n. 5.* prout non ſanatur defectus Iuriſdictionis. *Baiar. q. 65. n. 9. in fine* ubi teſtatur de communi. *Maſc. de probat. concl. 252. n. 1. ubi alios allegat.*

§. 9. Et licèt confeſſio convalidet ineptitudinem accuſationis, & Inquiſitionis, quandò non habuerint debitas ſolemnitates, tamen non ſupplet defectum Accuſationis, & Inquiſitionis, ſi ipſæ non præceſſerint confeſſionem, ſaltem quoad pœ-

nam ordinariam. *Vulpel. reſp. 1. num. 4. Mod. Rom. ibid. n. 8. & ſeq.* Et quòd ob ineptitudinem Inquiſitionis confeſſus non poſſit puniri pœna ordinaria tenet. *Rim. Iun. conſ. 817. num. 31. lib. 7.* Et hoc multò magis verificatur in confeſſione facta coràm Iudice incompetente, etiam dato, quòd eius Iuriſdictio prorogari poſſit, cùm in Criminalibus Iuriſdictio non prorogetur, nempè quòd non afficiat confitentem ob defectum Iuriſdictionis, quia non ſanatur per ſpontaneam confeſſionem. *cap. at ſi Clerici extra de Iud. ubi communiter Doctores, & præcipuè Butr. n. 2. Abb. n. 5. Felin. n. 2. Dec. n. 6.* etiam ſi fuerit pluries ratificata, & repetita: *Bald. in d. cap. n. 1. Boſſ. tit. de confeſſ. nu. 48. Mod. Rom. q. 81. nu. 289. & ſeq.* Ac tandem ſciat Advocatus, quòd iſta nullitas ſemper ſuffragabitur, ut reus confeſſus non poſſit puniri pœna ordinaria delicti. *Ang. conſ. 178. nu. 2. & ſeq.* ubi refert ità in facto obtinuiſſe. *Mod. Rom. ibid. n. 91. Rimin. Iun. lib. 7. conſ. 81. nu. 31.* ubi dicit tutiùs fore ſi abſolveretur ab obſervatione judicii.

§. 10. Et quia perſæpè aliqui Iudices ob eorum imperitiam extorquent confeſſiones ab Inquiſitis ſine legitimis præcedentibus indiciis, idcircò prudens Advocatus multùm invigilare debet ſuper hoc; quia talis confeſſio non nocet, prout habemus apertum textum *in l. 1. §. Divus Severus ff. de queſt. Guaz. def. 32. c. 31. n. 1.* ubi plures concordantes cumulat. Nec minus talis confeſſio noceret confitenti, etiam ſi Iudex habuiſſet liberum arbitrium procedendi, cùm ſemper præcedere debeant legitima indicia. *Marſil. conſ. 14. n. 20. Clar. q. 64. Burſat. lib. 2. conſil. 201. n. 42. Bertaz. conſil. 8. n. 50. Cavalc. de brach. reg. p. 3. n. 123.*, qui loquitur de Iudice habente bracchium regium. Nec convalidatur per indicia deindè ſupervenientia. *Clar. q. 55. & q. 64. verſ. dixi etiam*, ubi teſtatur de communi. *Farin. q. 85. n. 6. Plot. conſ. 31. n. 14.* Et Advocatus non patiatur decipi, ſi deduceretur talem confeſſionem extortam ſine legitimis indiciis fuiſſe convalidatam, eò quòd Reus ſponte illam deindè ratificavit; quia etiam ſi millies fuerit ratificata, ſibi non nocet. *Ang. de maleſ. in verb. fama publica n. 36. Guid. de Suz. de ind. & tort. n. 69. Farin. q. 37. n. 110.* ubi teſtatur de communi. *Clar. q. 55. n. 13. Bertaz. lib. 1. conſ. 8. n. 48. & 52. Burſat. lib. 2. conſ. 201. nu. 21.* Et tandem ſciat Advocatus, quòd confeſſio, eò minus convalidatur per ratificationem, quando fuit indebitè extorta, tàm propter deficientiam indiciorum, quàm ob non ſervatam formam ſtatuti in procedendo, vel propter ſuggeſtionem, vel per alia ſimilia, ut poſt alios, quos allegat, firmat. *Burſat. ibid. n. 27.*

§. 11. Confeſſio extrajudicialis cùm ſit indicium remotum non ſufficit ad condemnandum, nec ad torquendum, maximè apud Religioſos, quibus tortura inferri non poteſt, niſi adſint indicia proxima, quæ ſaltem pertingant ad ſemiplenam probationem. *Surd. lib. 1. conſ. 425. n. 14. Marſil. in l. ea n. 20. ff. de falſ. Clar. q. 55. Maſc. de probat. concl. 497. n. 1. & ſeq. & concl. 347. n. 8* ubi alios allegat. Quinimmò nec etiam nocere poteſt, ad tradita per Natt. *conſ. 18. n. 10.*, & poteſt tamquam erroneus ſermo, & incautè factus revocari, etiam non juſtificato errore. *Giach. tract. de Synd. n. 179. per Felin. in proœm. Decret. n. 2. Idem Natt. conſil. 6. n. 4., & per Carrer. in prax. fol. 94.* Quando tamen concurrunt alia indicia, conjecturæ, & præſumptiones ſufficientes, tunc Reus poterit ſolùm in pœnam extraordina-

ordinariam condemnari. *Farin. q. 82. n. 2. & ſeq.* Immò ex tali confeſſione non poteſt contra Clericum, vel Religioſum procedere ad torturam, niſi præcedat diffamatio. *Foller. in verb. & ſi confitebuntur. n. 22. in fine. Maſc. concl. 350. n. 12. & 14.* ubi poſt alios quos allegat procedere dicit, etiam ſi ultra confeſſionem adeſſent mille indicia. Et inſuper requiritur, ut talis confeſſio extrajudicialis, per duos teſtes conteſtes, & omni exceptione majores de loco, tempore, & cauſa; quia ſingulares non ſufficiunt. *Foller. ibid. n. 2. Burſat. lib. 2. conſ. 166. n. 21.* ubi teſtatur de communi. *& lib. 3. conſil. 336. num. 18. Afflict. deciſ. 364. num. 7. & deciſ. 475. num. 5. Rol. conſ. 57. num. 34. Rim. Iun. lib. 3. conſ. 361. num. 27. & ſeq. & conſ. 237. n. 71.* Verum quidem eſt, quòd vicè verſa confeſſio extrajudicialis ad favorem Rei facta per inſtigatorem, vel Accuſatorem prodeſt ipſi Reo ad abſolutionem obtinendam. *Roman. conſ. 167. n. 6. Foller. ibid. n. 35. Maſc. loc. cit. concl. 498. n. 4. Bajard. q. 21. n. 123.* Et ideò Advocatus ſit cautus, ut poſſit extorquere dictam confeſsionem extrajudicialem pro obtinenda abſolutione ad favorem ſui Clientis.

§. 12. Et tandem, quando aliter non poſsit Advocatus ſuum principalem defendere ex confeſsione legitimè facta, recurrat ad illam defenſionem, quæ reſultat ex ſpontanea confeſsione; ut ſcilicèt, per ea confitens mitiùs puniatur. *Bertaz. conſ. 357. n. 4.* ubi de communi teſtatur. *conſ. 505. n. 27. Rim. Iun. lib. 3. conſil. 245. n. 57. & ſeq.* Dato etiam quòd talis confeſsio emanaverit metu probationum, *Hoſt. in cap. de hoc n. 1. & ſeq. extra de Simon. & ibi Anan. n. 6. Felin. nu. 6. Doctor. in cap. at ſi Clerici extra de Iud. et præcipuè Abb. nu. 8. Aret. nu. 9. Bertaz. conſil. 105. n. 29.* Si verò à principio negavit, & deindè ſpontè fateatur cum aliqua qualitate excluſiva delicti, licèt audiendus ſit ſuper delicto principali, tamen quoad diminutionem pœnæ non erit ampliùs audiendus. *Caball. caſ. 56. n. 83.* Et non ſolùm ex ſpontanea confeſsione reſultat beneficium minoris pœnæ, ſed etiam ex ea præſumitur ſine dolo deliquiſſe. *Imol. conſ. 95. Bertaz. conſ. 193. n. 14.* Et licèt aliqui voluerint, quòd in caſibus, in quibus pœna ipſo Iure imponitur non ſit vera iſta propoſitio, ut ſcilicèt, mitiùs cum ſpontè confeſso ſit agendum, quos refert. Mod. Rom. *q. 81. n. 181.* tamen ibi ſubdit contrarium alios tenere, & in ſpecie Dec. *in d. cap. ſi Clerici n. 56.* Et procedit in pœnis non ſolùm arbitrariis, ſed etiam à lege, vel Statuto taxatis. B*ero. d. c. n.* 88. *et ſeq.*, ſed ſub *n. 90.* dicit, hoc procedere in Iudice Ordinario, ſecùs in Delegato, qui ſolùm in arbitrariis poterit mitiùs agere cum ſpontè confeſſo. Et ſi Reus fateretur delictum, ſed negaret qualitates illud aggravantes, de quibus poſtea convinceretur adhuc gauderet dicto beneficio minoris pœnæ. C*abal. caſ. 56. nu. 29. ubi alios allegat*. Et multò magis verificabitur, ſi primò negavit, & poſtea in continenti faſſus eſt dictas qualitates. Immò etiam ſi fateretur dictas qualitates, poſtquam fuerit convictus, adhuc gaudebit beneficio diminutionis pœnæ, ut de communi teſtatur. C*avalc. in tract. comm. contra com. q. 416. ubi etiam concordantes cumulavit.*

De Defenſione quoad Sententiam. Regula XI.

§ 1. SEntentia ad hoc, ut poſsit ſubſiſtere, continere debet condemnationem, vel abſolutionem, aliàs non valeret. *Caſtr. lib. 1. conſ. 16. n. 7. Fulgoſ. conſ. 217. Ancb. conſ. 208. n. 3. Alex. lib. 1. conſ. 123.* Et ſi eſt condemnatoria, debet continere certam pœnam, aliter non valeret. *l. in ſumma ff. de ſent. & re jud.* Non deſunt tamen dicentes, ſufficere declarare delictum eſſe commiſſum, quando pœna de Iure communi, vel Statutario eſt determinata; quia tunc intelligitur etiam ad dictam pœnam condemnatus. B*ald. Scacc. & Guaz.* An autem in ea ſit exprimenda cauſa condemnationis, vel abſolutionis? controvertitur inter Doctores. *Farin. q. 17. n. 61.* Imola, & alii dicunt fatuum eſſe Iudicem in ſententia cauſam exprimentem; ſed ſufficere ſi dicat in genere Iuſtis de cauſis animum noſtrum moventibus &c. In quo caſu non eſt neceſſaria Cauſæ expreſsio. Praxis tamen communis eſt, ut cauſa inſeratur in ſententia criminali teſte Clar. *q. 93 n. 2.* Et ſi Iudex ſe referat in ſententia ad Acta, & in Actis non conſtaret de delicto, vel ſi Acta eſſent nulla, tunc ſententia erit ipſo Iure nulla, *ut de communi teſtatur. Tuſch. in lit. S. concl. 159. n. 8.* Item ad hoc ut ſit valida requiritur, ut publicatio ſententiæ fiat in termino ſuper quo cadit citatio ad ſententiam; quia ſi non publicaretur in dicto termino ſententia erit invalida, nec poteſt convalidari per publicationem poſt terminum lapſum. *l. 2. & 5. Cod. de ſent. ex pericul. recit. cap. fin. de re Iud. in 6. Clem. Sæpè ubi gloſ. in verb. in reſcriptis de verbor. ſignif.* & ità tenuit Rot. Rom. coràm Marcomoutio *in una Fiſulana Prioratus 15. Novemb. 1610.* Et ſimiliter debet publicari in præſentia &c. Et ſi eſt abſens, idèſt, contumax, tunc omni meliori modo ei intimetur, Actum citationis publicando, & ad Valuas cellæ ſuæ ſolitæ reſidentiæ affigendo, & tunc Reum afficere dicitur, ac ſi ad aures eius perveniſſet. *Gloſ. in Clem. ſæpè.* Nec ſufficit citare, niſi etiam exprimatur ad audiendam ſententiam.

§. 2. Et inſuper requiritur, quòd redacta in ſcriptis, & ſubſcripta à Iudice in dicto termino citationis viva voce proferatur. An autem ſit proferenda ab ipſomet Iudice, vel ab Actuario? controvertitur inter Doctores. Aliqui affirmant, quòd ſit nulla, ſi per ipſum Iudicem non proferatur, & eſt textus expreſſus *in cap. & ſi ſententia de ſent. & re jud. in 6. cum gloſa ibid.* Excipiuntur tamen Epiſcopi: *c. fin. cit.* & perſonæ Illuſtres ob reverentiam, & honorem. Alij verò negant, debere per Iudicem proferri, ſed ſufficere, ſi per Actuarium legatur, quòd eſt de conſuetudine Italiæ, ut inquit Clar. *q. 93.* quamvis contrarium de Iure ſit: ità tamen, ut Iudex poſtremò proferat ſubſtantialia, idèſt, *Condemno, vel Abſolvo.* Et ſola ſubſcriptio, & conſignatio Cedulæ non habet vim ſententiæ, *ut poſt Bald. Iaſ. in l. ſi ita ſtipulatus §. Chryſogonus. n. 15. ff. de verb. obligat.* Undè ſententia, in qua non dicitur, quòd fuit lecta, eſt nulla. *Farin. in cap. fin. nu. 11. de re jud. Bald. in l. fin. in fin. Cod. de ſiret recitand.* Et quamvis Gloſ. *in c. fin. verſ. Definitiva* aſſerat in Cauſis ſummarijs non eſſe neceſſe, ut de ſcripto proferatur ſententia definitiva, ſed ſufficere ſi ore tenus proferatur, ſicut & interloquutoria: attamen huic Gloſſæ adverſatur Clem. ſæpè *de verbor. ſignif.* in qua ſtatuitur, ut in ſcriptis proferatur,

feratur, & ponitur ab eodem Clemente inter ſubſtantialia, quæ nullo modo in cauſis ſummarijs, omitti poſſunt. Ni fortè dicamus Gloſſam citatam intelligendam eſſe, quando apud nos proceditur per viam Articulorum: Vel de ſententia præcepti, quæ ex abrupto à Iudice profertur, ſine cognitione cauſæ. Cæterùm in reliquis à Clementina non eſt recedendum: aliter ſententia erit nulla, niſi in ſcriptis redacta proferantur.

§ 3. Item ſententia, quæ in ſe continet majorem, vel graviorem pœnam, quàm delicti qualitas expoſtulat, eſt nulla, ità quòd executioni demandari non poſsit. *Plot. tom. 2. crim. conſ. 72. nu. 31. & ſeq.* Si verò pœna eſſet minor, quàm à Statuto ſit inflicta, ſi conſtat, quòd ex aliqua cauſa Iudex minoravit talem pœnam valet, ſi autem non conſtat, non tenet, eò quòd ſit lata contra Ius. *Scacc. lib. 2. de Iud. c. 12. n. 96. Guaz. def. 35. c. 14. n.* 8. Et idem dicitur de illa ſententia; quæ non continet certam pœnam, ut ſupra adnotavimus; cùm ex ſententia incerta Iudex non dicatur definire negotium. *Tuſch. tom. 7. lit. S. concl. 109. num. 1. & 3. & concl. 138. Guaz. ibid. c. 15. n. 6. in fine.* Quòd magis verificatur, quando pœna inflicta in ſententia eſt contra leges, & Canones; in tali enim caſu eſt ipſo Iure nulla. *l. 2. Cod. quand. prov. non eſt neceſſe. Ant. Gab. tit. de ſent. lib. 2. concl. 7. nu. 1. Tuſch. ibid. concl.* 141. *n.* 1. ubi teſtatur de communi. *Bertaz. lib. 2. conſ. 463. n. 4.* Nec excuſabitur Iudex, ſi dixerit leges, vel conſtitutiones neſcire, & maximè quando ſunt publicæ, ut ab omnibus ſcire debeant. *l. Sanctiſſimè Cod. de leg.* Item nulla erit ſententia, quando lata eſſet contra caſum, ſeù formam ſtatuti, & legis novæ, ſeù alicujus localis Conſtitutionis. *Gab. ibid. nu.* 5. ubi alios allegat. *Vant. de nullit. ex def. proceſſ. n. 124. Tuſch. ibid. n. 12. & ſeq.* Idemque erit, ſi fuerit lata contra conſuetudinem. *Gab. ibid. n. 15. Vant. loc. cit. n. 124. Tuſch. ibi. n. 29. Moſcatel. in pract. p. 7. Gloſ. condemnando. nu.* 23. qui omnes præſupponunt conſuetudinem notoriam.

§. 4. Et quando ſententia eſt nulla, Defenſ debet contra illam inſurgere in favorem ſui principalis, articulando, & probando, quòd ex ea nullus effectus produci poteſt; quia quòd nullum eſt, nullum effectum inducit. *Felin. in cap. ex tenore de reſcript. in cap. gratum: & in cap. tua nos de Iureiur. & in cap. nobis de Simon. Pariſ. lib. 4. conſ. 171. n. 2.* ubi ſubdit, quòd diſpoſitio intelligi debet de actu valido, & non de nullo. Et in tantùm ſententia nulla, nullum producit effectum, ut non dicatur ſententia, & habeatur pro non ſententia *l. 4. §. condemnatum ff. de re jud. Gram. deciſ. 29. n. 1. Bertaz. lib. 1. conſ. 79. n.* 4 & alii per Guaz. allegati *def. 35. c. 22. n.* 1. Et Lancell. de attentatis *p. 2. c. 17. num. 39. & ſeq.* dicit, quòd ſi interim aliquid ſit attentatum, privilegio attentatorum venit revocandum. Et ſententia nulla nunquam tranſit in judicatum. *Fel. in cap. quoniam contra n. 25. & ſeq. de probat. Conrad. in l. unica lim. 9. nu. 41. & ſeq. Cod. ſi de moment. Abb. lib. 1. conſ. 92. per totum. Tuſch. ibid. concl. 154. n. 4. ubi teſtatur de magis communi.* Quæ propoſitio verificatur etiam appellatione deſerta. *Anch. conſil. 36. Bald. lib. 4. conſil. 363. n. 2. Abb. lib. 1. conſ. 61. Alex. lib. 5. conſ. 47. in fin. conſ. 147. n. 8; & pleniùs lib. 6. conſ. 192. nu. 6.* Et eò magis ſi proveniat ex illis tribus nullitatibus, ſcilicèt, mandati, citationis, & Iuriſdictionis. *Th. Treviſ. deciſ. 68. lib. 1.*

lib. 1. Nec poteſt talis ſententia nulla ex conſenſu partium ſuſtineri in vim ſententiæ. *Felin. in cap. ſignificaſti n. 7. de foro competenti. Dec. conſ. 475. n. 35. Tuſch. d. concl.* 154. *num.* 10. Benè verum eſt, quòd ad hoc ut ſententia nulla numquam tranſeat in Iudicatum, debet eſſe evidenter nulla, ſcilicèt, quòd nullitas conſtet ex actis. *Farin. conſ.* 53. *n.* 13. *Alex. lib.* 4. *conſil.* 59. *n.* 17. *& lib.* 2. *conſ.* 77. *n.* 8. *cum aliis allegatis per Gabr. concl.* 10.

§. 5. Quando nullitas eſt in ſententia, non obſtante quocumque ſtatuto prohibente admitti appellationem, ſemper dici poteſt de nullitate. *Marſ. conſ.* 64. *n.* 20. *& ſeq.* Boſſ. *tit. de citat. n.* 15. *Vant. de nullitate ex defectu Iuriſd. n.* 4. *& ſeq.* quia ſtatutum prohibens appellationem non prohibet dicere de nullitate. *Scacc. de appellat. q.* 19. *remed.* 1. *concl.* 2. *n.* 7. *Tuſch. ibid. concl.* 154. *n.* 16. Et quandò ſententia eſt nulla, nulla redditur executio, & omnia alia geſta vigore dictæ ſententiæ nullæ. *Aneh. conſil.* 182. *in fin. Tuſch. ibid. n.* 27. Et ſufficit, quòd executio nullitatis proponatur vel per viam appellationis, vel exceptionis, vel principaliter, vel incidenter. Cautiùs tamen erit proponere nullitatem, ut alibi diximus, æquè principaliter cum ipſa appellatione ad hoc, ut impediat executionem, & maximè ſi ſententia fuerit irretractabilis. *Lancell. de attent. p.* 2. *cap.* 17. *num.* 68. *& ſeq.* Præterquam quòd facultas agendi de nullitate durat uſque ad triginta annos. *Bald. in l. data opera n.* 90. *Cod. qui accuſari non poſſunt, & ſequitur Salicet. in l. ſi Præſes n.* 6. *Cod. quomodo, & quando Iud. Alex. in cap. dilecto. q.* 15. *n.* 96. *Scacc. de appellat. q.* 15. *remed.* 1. *concl.* 7. *n.* 1. & loquitur de nullitate deducta principaliter in Iudicio per modum agendi: at ſi deducatur ſolùm per viam appellationis, tunc quoad tempus ſequitur naturam actionis. *Scacc. ibid. q.* 19. *remed.* 1. *concl.* 4. *nu.* 55. *& concl.* 7. *n.* 1. *in fine.* De nullitate autem ex defectu Iuriſdictionis, ſeù mandati dici poteſt uſque ad mille annos. *Scacc. ibid.* Et ſi nullitas proponitur per viam exceptionis, tunc perpetuò opponi poteſt; quia ea, quæ ad agendum ſunt temporalia, ad excipiendum ſunt perpetua. *Fran. in cap. dilecto. n.* 10. *& n.* 150. *de appel. Scac. loc. cit. Vant. tit. quoties & intra quod temp. n.* 8. Sed ſi ſtatutum præfigit terminum ad agendum de nullitate, tunc quamvis eſſet notoria in Actis, debet proponi infra dictum tempus. *Scac. ibi. Rol. lib.* 1. *conſ.* 83. *num.* 10. *Alex. lib.* 6. *conſ.* 105. aliter ſententia tranſiret in Iudicatum.

§. 6. Sunt tamen aliquæ Cauſæ ex quibus ſententia non tranſit in Iudicatum ex Guaz. *def.* 25. *c.* 24. *per totum.* Prima eſt quando ſententia Criminalis fertur non ex veris, & legitimis probationibus, ſed ex præſumptionibus; in tali enim caſu ex quocumque temporis lapſu non tranſit in Iudicatum. *l. eum qui adulteri. Cod. de adulter. Marſil. conſ.* 7. *n.* 32. *ubi de communi. Mod. Rom. conſ.* 39. *nu.* 120. *in fine. Natt. conſ.* 444. *n.* 6. *lib.* 2. Secunda, quando ſententia eſt notoriè iniqua. *Farin. conſ.* 53. *num.* 3. *& ſeq.* Tertia, quando ſententia eſt ipſo Iure nulla. *Scacc. de jud. lib.* 1. *c.* 97. *n.* 135. Quarta quando ſententia fertur in contumacia, iſta enim numquam tranſit in Iudicatum, etiam ſi vigore Statuti Reus habeatur pro confeſſo, & convicto. *Nat. conſ.* 444. *n.* 5. *Mazol. conſ.* 11. *n.* 11. Quinta eſt, ut ſententia lata ſuper relatione Medicorum, vel ad conſilium ſapientis numquam tranſeat in Iudicatum, ſed ſemper poſſit retractari habito Iudicio magis peritorum. *Marſil. ſing.*

427.

427. *Natt. ibid. n. 7. Rimin. Iun. lib. 1. conſ. 71. n. 29. Afflict. dec. 33. n. 5. & ſeq.* quòd procedit in peritis electis à Iudice ex officio, ſecùs ſi à partibus, ut benè declarat ibi *Rim. Iun. n. 30.* & etiam procedit in conſilio Sapientis electi ex conſenſu partium. Et tandem ſententia lata contra evidentiam facti nunquam tranſit in Iudicatum, licèt non fuerit ab ea appellatum, vel appellatio fuerit deſerta. *Iaſ. lib. 1. conſ. 21. Tuſc. ibid. concl. 173. n. 31.* Reſque judicata inducitur, ſi Reus infra decem dies non appellaverit. *Guaz. loc. cit. in fine.*

§. 7. Et ſimiliter non tranſit in Iudicatum, licèt ab ea non fuerit appellatum, quando ſententia fuit feſtinanter lata; quia iniquitas ſententiæ æquiparatur nullitati. *Iaſ. conſ. 21. n. 5. lib. 1., & lib. 3. conſ. 44. Tuſch. lit. S. concl. 147. nu. 17. Dec. conſ. 8. n. 5. Cabal. caſ. 286. n. 42. cent. 3.* Et licèt celeritas ſit ſervanda in Iudiciis maximè Regularium, non tamen talis, ut excludat Cauſæ cognitionem, & alia Iudiciis ſubſtantialia, aliter ſententia eſt ipſo Iure nulla. *Menoch. de arbitr. lib. 1. q. 46.* Et ſententia dicitur feſtinanter lata, quando fertur ſine probationibus, & ſine aſſignatione dilationis ad ſe defendendum. *Felin. in cap. ex parte de off. Deleg. Alex. lib. 4. conſ. 96. n. 4. Socc. lib. 4. conſ. 96. Bajar. lib. 1. conſ. 340.* ubi dicit, quòd ſententia ſine dilationis aſſignatione lata eſt ipſo Iure nulla. *Tuſch. ibid. n. 17. & ſeq.* Et hoc etiam procedit, quando fuit aſſignata dilatio nimis brevis, ità quòd non potuit probari; quia tunc dicitur lata, ſine cognitione cauſæ. *Abb. conſ. 46. lib. 2. Tuſch. ibid. n. 19. Rimin. Iun. conſ. 770. n. 10. lib. 7.* Et generaliter dicitur feſtinanter lata, & ſine cognitione cauſæ, quando pars non fuit citata, vel ad inſpectionem loci, vel ad ſententiam, vel ad actum præjudicialem. *Caſtr. lib. 2. conſ. 412. Tuſch. loc. cit. nu. 34.* Et procedit etiam, quando fuit datus tertius Iudex duobus jam electis, qui non citatis partibus, nec ſumpta alia informatione pronunciavit. *Caſtr. lib. 2. conſ. 81. nu. 2.* Advocatus tamen in hoc ſit cautus, quia ſi fuit aſſignata dilatio arcta, & brevis ſuo Clienti, debet appellare à brevitate termini, aliàs ſententia valebit. *Bald. lib. 1. conſil. 9. n. 2. in fine. Tuſch. ibi. n. 35. & ſeq.* ubi dicit, quòd caveant partes, ut, ſi fuerint præſentes prolationi ſententiæ, non taceant, ſed reclament, aliàs ſententia valida erit, ex traditis per Bald. *in l. prolatam. Cod. de ſent. interl.*

De Defenſione, quoad Appellationem. *Regula XII.*

§. 1. NE ſententia tranſeat in Iudicatum, prudens Advocatus curet interponere appellationem in ſcriptis intra ſpatium decem dierum, quod tempus nec Iudicis conſenſu, nec voluntate partium prorogari poteſt. *Grav. ad Veſtr. in pract. lib. 7. c. 3. n. 51.*, & hoc eſt verum in omni ſententia tàm definitiva, quàm interlocutoria. & in omnibus aliis actibus extrajudicialibus. *Moſcatel. in pract. de appel. Gloſſ. in verb. poteſt. n. 38.* Et licèt interlocutoria non tranſeat in rem Iudicatam ex parte Iudicis, ità quòd ex ſe illam ſemper revocare poſſit: attamen reſpectu partium poſt decem dies in judicatam tranſit, ut ad earum inſtantiam revocari non

poſſit. *c. quod ad conſultationum de ſent. & re jud.* Quando tamen gravamen eſt continuum poteſt interponi etiam poſt decem dies. *Marſil. in tit. de q. in princ. n. 4. Gomez. tit. de delict. cap. 9. nu.* 10. Gravamen enim continuum quamdiù perſeverat, perdurat & tempus ut ſi quis v. g. gravatus ſit ad carcerem appellare poteſt non à ſententia, quæ elapſo tempore in Iudicatam tranſit, ſed ab iniuſto præſenti gravamine. Quòd ſi per ſententiam legitimum illud gravamen declaratum ſit, tenetur intra decem dies à tali declaratione appellare. *Bellag. de appel. tract.* 11. *q.* 3. *n.* 3. Et idem dicitur de ſententia evidenter inıqua, & notoriè nulla à qua etiam elapſo dicto termino appellare licet, quia numquam in Iudicatum tranſit. *l. Unica Cod. ſi de momentanea poſſ.* Sicuti etjam ab excommunicatione ratione continuati gravaminis. Item quando impoſsibilitas adfuiſſet debito tempore appellandi, præmiſſa tamen, intra dictum terminum proteſtatione de impedimento.

§. 2. Et prohibita appellatione, non dicitur prohibita reclamatio, ſeù recurſus. *Gram. decıſ.* 35. *n.* 4. *Guaz. def.* 36. *c.* 3. *n.* 4. Undè Reus, vel eius Advocatus benè poteſt reclamare, & recurſum petere allegando propriam ignorantiam, & errorem, ac adverſarij circumventionem. Et in caſu, quo etiam prohibita eſſet reclamatio, & recurſus non erit prohibita ſupplicatio per viam gratiæ ad ipſum Iudicem ſupremum. *Contard. in l. unica q.* 8. *nu.* 16. 17. 24. 28. & 41. *C. ſi de moment. poſſeſſ.* Admiſſaque ſupplicatione, proceditur in ea, ſicut in Cauſa appellationis. *Contard. ibid. n.* 35. *Rol. conſ.* 94. *n.* 10. Supplicatio autem differt ab appellatione; quia appellare bis licet, ſed ſupplicare ſemel tantùm. Et benè ſit cautus idem Advocatus in concipiendo talem ſupplicationem, nè offendat Iudicem ſupremum, aut incidat in periculum illius indignationis, allegando, ut dixi, propriam negligentiam, vel ignorantiam, vel circumventionem adverſarij, ac petendo veniam proprij erroris: minuſque debet conqueri de errore Iuris in ipſo Iudice ſupremo, in cujus ſcrinio omnia Iura cenſentur inſita. Et licèt fuiſſet erratum in Iure, adhuc Advocatus deducat (ob reverentiam dicti Supremi Iudicis) fuiſſe erratum in facto. Si tamen talis Iudex ſupremus qualis eſt Papa, ſeù Imperator, vel Rex pronunciaſſet ad relationem alterius, tunc licèt non detur appellatio ab ipſorum ſententijs, daretur tamen à defectuoſa relatione facta. *Rom. conſ.* 521. *nu.* 1. & *ſeq.* Et tunc à Principe, ſeù Iudice malè informato appellatur ad eum melius informandum. Et idem dicitur de reclamatione, & recurſu, qui ſemper fieri debet ad eumdem Principem. *Capic. deciſ.* 111. *n.* 2. *Gram. deciſ.* 35. *n.* 4. *Pariſ. lib.* 4. *conſ.* 164. *nu.* 18. Et talis recurſus regulatur ſecundùm terminos Cauſæ appellationis. *Marſil. ſing.* 88. *in pract.* §. *opportunè n.* 65. *Capic. deciſ.* 28. *n.* 11. *Cabal. caſ.* 109. *nu.* 2. & *ſeq.* & poſt alios quos allegat, tenet, ut ſit ad inſtar appellationis non ſolùm quoad effectum devolutivum, ſed etiam ſuſpenſivum, licèt non nulli alij, quos ibi citat, contrarium ſentire videantur.

§. 3. Ultra prædictum recurſum, & reclamationem habet etiam Advocatus multa remedia in cauſa non appellabili pro defenſione ſui principalis; & primò, ut alibi adnotavimus poteſt dicere de nullitate. *Clar. q.* 94. *n.* 10., ubi facit concluſionem, ut pendente cauſa nullitatis, ſententia Criminalis non ſit executioni demandanda, licèt cognitio nullitatis requirat altiorem indaginem. *Boſſ. de nullit. num.* 4.

Veſtr.

Veſtr. in pract. lib. 8. *c.* 1. *n.* 6. *Anch. q.* 4. *n.* 11. *& ſeq. Dec. conſ.* 8. *nu.* 7. Secundo, ſi pœna eſſet exceſſiva; quia ab eius exceſſu datur appellatio etiam in notorijs delictis. *Maſc. lib.* 1. *concl.* 699. *n.* 1. *& ſeq. Lancell. de attent. p.* 2. *c.* 112. *lim.* 9. *n.* 10. Et tunc debet exprimi in appellatione cauſa ſpecialis exceſſus. Tertiò, in caſu, quo Iudex deferret appellationem in cauſa non appellabili, vel propter ignorantiam, vel propter aliam cauſam, tenet, & ampliùs non poteſt ſententiam executioni demandare: cùm ob delationem appellationis abdicaverit à ſe omnem Iuriſdictionem. *Gomez. tit. de delict. cap.* 13. *num.* 32., ubi dicit, hoc eſſe menti tenendum. *Lancel. de attent. p.* 2. *c.* 12. *lim.* 1. *n.* 70. *Scacc. de jud. lib.* 1. *cap.* 97. *n.* 124. Quartò, ſi ſententia fuerit notoriè injuſta, recipit appellationem, etiam in caſibus prohibitis appellare, ut alibi adnotavimus. *Afflict. deciſ.* 39. *n.* 5. *& alii multi apud Guaz. def.* 36. *c.* 4. *n.* 15.

§. 4. Et quia excommunicatio, interdictum, & ſuſpenſio non recipiunt appellationem; Ideò conſultum erit Advocato, ut non expectet ferri ſententiam excommunicationis contra ſuum principalem, ſed appellet à comminata excommunicatione, à qua benè datur appellatio etiam quoad effectum ſuſpenſivum. *Mod. Rom. q.* 101. *n.* 70. *Scacc. de appel. q.* 17. *lim.* 22. *n.* 47. in tantùm, quòd ſi ſententia excommunicationis feratur poſt interpoſitam appellationem, non ſortiatur effectum ſuum, & ſit nulla, etiam ſi appellatio fuerit extrajudicialis. *Scacc. ibid. n.* 54. *& ſeq.* Et inſuper advertat Defenſor ſive Reus, quòd aliud eſt appellare ab excommunicatione aliud à declaratoria Iudicis ſuper dicta excommunicatione, quando, ſcilicèt, pronunciat, vel declarat, Quem incidiſſe in excommunicationem; quia ab iſta declaratoria Iudicis datur appellatio, niſi tamen factum eſſet notorium, in quo caſu à declaratoria non datur appellatio. *Guaz. def.* 35. *c.* 6. *n.* 3. ubi alios allegat. Et ſciat pariter, quòd ſententia excommunicationis numquam tranſit in Iudicatum, undè poteſt revocari etiam poſt mille annos. *Scacc. loc. cit. q.* 12. *num.* 150. *& ſeq.* Et idem dicitur de qualibet ſententia cenſuræ tàm ſuſpenſionis, quàm interdicti. *Guaz. ibid. n.* 7. Et quia Baiar. *in q.* 94. *n.* 19. diſtinguit notorium in triplici ſpecie, nempè, quoad Iudicem & alios: quoad alios, & non quoad Iudicem; & quoad Iudicem, & non quoad alios *per Gloſ. in cap. fin. in verb. quoad ſe ipſum de cohabit. cler. & mulier & in cap. Conſulvit in verb. Notorium de appel.* Idcircò quando dicitur, quòd non datur appellatio in Notorio, neque à declaratoria Notorii debet intelligi de prima ſpecie Notorii, quod eſt facti evidentis, ſecùs de aliis duabus ſpeciebus reſpicientibus notorium Iuris. Undè cura erit Advocati, ſeù defenſoris quærere aliquam cauſam aſſertum notorium effuſcandi, in quo caſu admittenda erit appellatio ad utrumque effectum tàm ſuſpenſivum, quàm devolutivum. Et cautela etiam erit pro Advocato in omnibus delictis notoriis, ut admitti poſſit appellatio, quòd infra tempus à Iure aſſignatum, nè ſententia exequatur, appellet, & in ipſa appellatione cauſam gravaminis deducat: quia tunc admittitur appellatio, & ſuſpenditur executio. *Rom. conſ.* 324. *n.* 4. *Scacc. ibid. lim.* 4. *n.* 93. *Cabal. caſ.* 262. *n.* 14. *cent.* 3.

§. 5. Et quia aliquando ſolent Iudices à quo, etiam in cauſa appellabili rejicere appellationes, vel dare Refutatorios Apoſtolos, non per hoc Advocatus ſe affligere

debet; quia ad ipſum Iudicem à quo non ſpectat admittere, vel non admittere appellationem, ut habemus *in l. 1. ff. nihil novi appel. incep. Scacc. de appellat. q. 10. a. 1. n.* 10. ubi alios allegat, & ſic non obſtante tali denegatione, cauſa devolvitur ad Superiorem, & eius officium conquieſcit, ac ſi appellatio recepta eſſet, & interim à Iure inhibetur, quamvis Iudex à quo non receperit dictam appellationem. *Ang. in l. ſi cuius. n. 1. ff. de appellat. recip. Franch. in cap. Sæpè n. 14. & in cap. vi debitus ſub n. 42. de appellat. Rol. lib. 2. conſ. 77. num. 4. in fin. et n. 5. et ſeq. Scacc. ibid. q. 3. n. 19. et q. 10. a. 1. n.* 10. Et in iſto caſu cùm Iudex non dicatur concedere aliquem terminum ad proſequendam appellationem; idcircò appellans remanet in terminis Iuris communis, & de Iure communi habet annum, & ex cauſa biennium. *cap. cum ſi Romana, et ibi D. D. de appel.* Et Scacc. qui alios allegat *in tract. de appellat. q. 14. n. 1. et ſub n. 3. poſt Rot. Veſtr. et alios* dicit, quòd etiam in iſto caſu non poterit ampliùs Iudex à quo præfigere appellanti terminum ad eam proſequendam, cùm jam appellationem non admiſerit.

§. *6.* Si verò Iudex dederit Apoſtolos teſtimoniales, habet appellans etiam annum ad committendam Cauſam. *Tut. lib. 2. deciſ. 371. Scacc. ibid. q. 14. nu. 3. & 90.*, ubi reddit rationem; quia, ſcilicèt, dando teſtimoniales nullum præfigit terminum ad committendum, & proſequendum, & conſequenter remanet terminus, qui eſt unius anni. *Lancel. c. 1. in præfat. n. 72. Scac. ibi. nu. 60.* Si autem dederit Reverentiales Apoſtolos ſimpliciter ſine clauſula *In forma*, & ſic nullo præfixo termino appellanti ad proſequendam appellationem, habet etiam annum ad illam proſequendam. *Franch. cap. oblatæ ſub n. 4. Scacc. ibid. n. 4.* Quòd ſi admiſit appellationem, & præfixit terminum appellanti ad committendam appellationem: tunc appellans infra terminum ſibi præfixum curare debet cauſam committere. Et ſi non poteſt, debet proteſtari, & recipere teſtes ſuper hoc: & tunc ſi commiſſio non fuerit in tempore præſentata, ſibi minimè nocebit. *Rot. deciſ 25. aliàs 155. ſub num. 1. de appellat. in noviſs.* Nec ſufficeret, quòd ſemel tantùm procuraverit adire Superiorem, ſed debet pluries curare commiſſionem ſignari, & copiam habere Superioris. *Gram. deciſ. 13. ſub n. 4. Scacc. qui alios allegat de appel. q. 14. nu. 5.* Et inſuper admonet Procuratorem, ut proteſtetur de impedimento. Et practici Defenſores, ſi Sæculares ſunt, ſolent adire Regentem Cancellariæ; ſi verò Regulares ad Secretarium, ſeù Actuarium Iudicis ad quem, & faciunt ut ipſe in calce commiſſionis, ſeù appellationis diem illius præſentationis apponat per iſta verba. *Præſentata die . . . menſis &c. anni &c. ad effectum &c.* ut per dictam ſubſcriptionem conſtet de diligentia appellantis. *Lancel. de attent. p. 2. c. 12. in præfat. n. 65. Scacc. q. 14. n. 36.* Et ſic cauſa non efficitur deſerta, quamvis non fuerit expedita infra tempus aſſignatum. *Veſtr. in pract. lib. 3. c. 5. n. 4. Scacc. ibid. nu. 37.* Et habita dicta ſubſcriptione debet illam præſentare Iudici à quo, ut ſe abſtineat ab executione ſententiæ.

§. 7. Si verò dederit Iudex à quo terminum Iuris, tunc debet Advocatus infra decem dies curare cauſam committi; & ſi deindè obtineat ab eodem Iudice à quo terminum Iuris, tunc habet annum, & ex cauſa biennium ad committendam Cauſam appellationis, quamvis appellatus in ſecundo termino Iuris obtinuerit Appel-

lanti

lanti concedi Reverentiales cum termino decem dierum ad proſequendum, & in forma, & hoc fecerit appellanti intimari. *Lancel. ibid. nu. 71. & latius in lim. 13. ſub n. 5. Scacc. de appell. q. 14. n. 32.* Ex quo Iudex hoc caſu, non cenſetur appellationi detuliſſe. *Lancel. ibi. n. 78.* Sed habetur, ac ſi Iudex dediſſet Refutatorios. *Scacc. q. 13. n. 10. & 60. & q. 14. n. 32.* Et ſciat Advocatus, quòd, quando agitur de juſtificanda appellatione, ſicut appellans tenetur docere ſe appellaſſe infra legitimum tempus in ſcriptis, ac petijſſe Apoſtolos, ità quòd non ſufficiat dicto appellanti docere de gravamine, vel de nullitate ſententiæ, niſi doceret etiam de legitima appellatione, *ut inquiunt D. D. in cap. Dilecto de appellat. & præcipuè Ioa. And. num. 5. Franch. num. 3. Abb. num. 6., ubi de communi teſtatur.* Sic Appellatus tenetur ad tranſportationem Actorum: & eo ipſo, quòd non producit Acta, ſententia dicitur iniqua, & injuſta & venit retractanda. *Guid. Pap. quæſt. 20. Scacc. ibid. quæſt. 29. num. 8. Ant. Gab. lib. 2. de appellat. concl. 5. num. 1.* ubi de communi teſtatur, ità ut ſententia lata à Iudice Appellationis integraliter non tranſportata omnia Acta primæ inſtantiæ erit nulla. *Cæſar. de Graſſ. deciſ. 37. alioquin quæſt. num. 5. de cauſ. poſseſs. & propriet.* Immò ſecundùm Ant. Gab. *ibid. concl. 5. num. 7.* erit ipſo Iure nulla, etiam quòd dicta Acta facerent contra Appellantem. *Vant. de nullitat. tit. à quo & quibus num. 20. & 21. Scacc. ibid. quæſt. 20. num. 8.* ubi firmat procedere etiam ſi ſententia eſſet bona, & juſta, quæ non valeret non viſis, neque tranſportatis Actis. *Bart. in l. 2. num. 5. in 1. lect. Cod. de edend. Cæſ. de Graſſ. ibid. deciſ. 37. num. 7.* In tantùm quòd Iudex non poſſit ampliùs ſe ingerere in meritis Cauſæ, ſed ſolùm arctetur ad declarandam dictam ſententiam eſſe nullam parte inſtante. *cap. exhibita de Iud.*, & ità ſæpiùs tenuit Rota ut teſtatur Cæſar. de Graſſ. *ibid. num. 8. deciſ. 104. n. 3.*

§. 8. Et ſicut Iudex à quo pendente appellatione non poteſt aliquid innovare in cauſa ſub pœna nullitatis, ut inquit Lancel. *de attent. cap. 12. in præf.* niſi circa illa, quæ tendunt ad faciliorem exitum appellationis. Sic etiam caveat Advocatus, ut eadem appellatione pendente, nè quid ex parte ſui principalis innovet coràm ipſo Iudice à quo; quia ex hoc ipſo cenſetur appellationem deſerere: *Bald. in cap. ex part. verſ. item ſciat de teſtib.*

Ut igitur hucuſque dicta pro defenſione Reorum ad breve compendium redigamus. Sciat Advocatus, vel Conſiliarius, quòd deficiente innocentia Rei prætenſi; putà, vel quia non potuit probari factum licitè patratum, vel quia delictum non erat præſcriptum, nec inſtantia Criminalis perempta. Vel quia non potuit excuſari ex illis tribus cauſis generalibus, nempè ex ignorantia, vi & metu, vel ex aliis ſimilibus cauſis defendi. Tunc Advocatus recurrat ad nullitatem proceſſus, (ſi qua eſt) quæ ex pluribus capitibus provenire poteſt: & primò ob incompetentiam Iudicis ex defectu Iuriſdictionis, vel ex legitima recuſatione provenientem. Secundò ex omiſſione recognitionis corporis delicti, ſi eſt facti permanentis. Tertiò ex modo procedendi, ſive ſit per Inquiſitionem, ſivè per Denunciationem, ſive per Accuſationem, quando, ſcilicèt, in iſtis modis omittuntur ſubſtantialia v.g. infamia, vel indicia &c. quibus mediantibus aperitur via Iudici ad legitimè procedendum.

Quar-

Quartò ex inhabilitate Teſtium, ſi contra eos & ipſorum dicta excipiatur: vel ex ſuggeſtione eorumdem Teſtium, ac Rei. Quintò, ex non legitima ipſiuſmet Rei citatione, quandò, nempè, citatur non legitimis præcedentibus indiciis: vel ex eiuſdemmet Citationis omiſſione, quæ inter ſubſtantialia conumeratur una ſimul cum litis conteſtatione. Sextò, ex captura indebitè, & contra juſtitiam demandata: vel ex tortura illegitimè inflicta. Septimò, ex Confeſſione fraudolenter extorta. Octavò, ex omiſſione aliorum ſubſtantialium ad ſententiam ſpectantium. Nonò, ex actitatis poſt Appellationem, cùm hoc pendente nihil ſit innovandum. Et tandem ex aliis ſimilibus, de quibus ſatis diſusè dictum eſt in Regulis præcedentibus &c.

Forma redigendi in ſcriptis Defenſiones Reorum. *Vide ſupra cart. 239. & 240.*

FINIS.

INDEX

Rerum præcipuarum, quæ in hoc Epitome Theoricè continentur.

A.

ABſolutus de uno delicto non poteſt ampliùs moleſtari. Pag. 328
Abſolutus cum clauſula Rebus ſic ſtantibus &c. quando poſſit iterùm moleſtari, & quando non. 220
Item Vide. 311.329
Et quanto tempore duret Ius procedendi contra ſic abſolutum. ibid.
Accuſatio quid ſit, & quando poſſit repelli. 69.70
Accuſationis conditiones, & modus. 68.341
Accuſator legitimus quis ſit, et quando poſſit reaccuſari ab accuſato. 69.70
Accuſator quando eximatur à pœna. 70.341
Item quando poſſit, et quando non ab accuſatione recedere. 70
actuarius quando, et à quibus poſſit creari. 32.231
adminiculum quodnam ſit, et quid faciat. 124.133
affetionatus Teſtis non admittitur ad teſtificandum. 127
affinis quando admittatur ad teſtificandum. 125
affinis, & amicus inimici quando repellatur à teſtimonio ferendo. 121
ambitus, ſeù procuratio officiorum quomodo probetur. 38.§.8.
amor quando excuſet. 226.319
apoſtoli quando ſint petendi, & tradendi. 344.& ſeqq.
Item Vide. 371.& ſeqq.
appellans quomodo ſe gerere debeat in receptatione dictorum Apoſtolorum. 372.& ſeqq.
appellans an, & quando teneatur exprimere cauſam appellationis. 255
Item quomodo ſe gerere debeat in petitione Apoſtolorum. 276
appellandi Ius cui competat. 287
appellatio ex fraude, & malitia non admittitur. 265
appellatio quid ſit, & coràm quibus ſit interponenda. 254
appellatio à Decreto torturæ quando ſit interponenda. 169
appellatio à pœnitentia regulari, & quomodo apud nos puniatur. 221
appellatio copulata cum nullitate quid faciat. 232.264
appellatio ab excommunicatione, & aliis cenſuris quid importet. 234. *Item* 270.
Item. 371

Item

Item an detur, & quando à præcepto ſub pœna excommunicationis. 270
appellatio in Cauſis, quæ habent celerem executionem, an ſit admittenda. 261
appellatio in Capitulis quomodo ſit facienda, & de ſuo effectu. 268
appellatio ab Interlocutoria quando ſit facienda. 266. 234
Item quomodo Interlocutoria differat à diffinitiva. 267
appellatio inordinata inducit excommunicationem in appellante. 255
appellatio à Supremo Iudice quomodo ſit interponenda. 254. 370
appellatio à futuro gravamine an detur. 261
Item in gravamine continuo. 264
appellatio Iudicialis quomodo differat ab extrajudiciali. 268
Et quomodo conveniant. 269
appellatio interpoſita coràm honeſtis viris quot conditiones habere debeat. 259
Item quando poſſit coram illis interponi. ibid.
appellatio ſuſpenſiva non datur in cenſuris, niſi ante ſententiam. 270
appellatio etiam in pœnis paternali modo aſſignatis admittitur, ſi Prælatus excedat. 261
Et quomodo. ibid. & 274
Et idem dicitur de manifeſta iniuria. ibid.
appellatio an, & quando detur à declaratoria Iudicis ſuper excommunicatione. 270
Clauſula omni appellatione remota quomodo ſit intelligenda. 259. 273
Item Vide. 370
à pœna ſtatuta à lege non licet appellare. 265
Contra indebitè appellantes pœna. 260
appellatio numquam eſt prohibita, ubi non ſervatur forma ſubſtantialia Iudicialis. 262
Et quando eſt prohibita poteſt dici de nullitate. 233. & 262. *Item vide.* 370
appellatio in quibus caſibus non ſit admittenda. 264
1. *In confeſſo, & convicto, & quando.* ibid.
2. *In notorio crimine, & quando.* 265
3. *In contumacia.* ibid.
Neque à ſententia Arbitrum, niſi in certis caſibus. ibid.
4. *Quando ſubſcripſit, & acceptavit ſententiam.* 265
5. *Poſt decem dies à publicatione ſententiæ.* 262
Et appellando ultima die debet in appellatione apponere horam. ibid.
Si tamen gravamen eſt continuum poteſt appellare etiam poſt decem dies. 264
Et idem dicitur de excommunicatione. 370
Et de ſententia evidenter iniqua. ibid.
Et etiam in comminationibus maximè Carceris. 264
6. *Poſt tertiam appellationem non licet ampliùs appellare, & idem dicitur, quandò appellatur ex malitia, & fraude.* 265
appellatione admiſſa, etiam quod per ſe ſit nulla, tenet. ibid.
appellationes binæ interpoſitæ à qua illarum incipiant currere fatalia. 263

appel-

appellationis Iudicialis effectus. 270
appellationis conditiones quænam ſint. 254
  Item modus. 255
appellationis Iudicis officium, quodnam ſit. 277
  Item quomodo debeat ſententiare. 280
arbitrarius Iudex quis ſit, & de illius poteſtate. Et quando illi dari poſſit appellatio. 2
arbitraria pœna quænam ſit. 225
arbitrum electio quomodo ſit facienda. 147. 148
  Et à quibus recipiant Iuriſdictionem. ibid.
articula Iurata, eiuſque procedendi modus. 75
  Et quando in ipſis fiat litis conteſtatio. 78
  Statutum in dicto modo procedendi, quomodo ſit intelligendum. 76
articula pro Defenſione Reorum. 311. & ſeq.
  Et quomodo, ac quando ſint à Iudice admittenda. 217
aſtutia quid ſit. 228
auctor rixæ pœna ordinaria punitur. 221
augmentatio pœnarum quando ſit facienda. 223

B

BEnevolentia, ſeù Amor quando excuſet. 226
Blaſphemi in iracundia mitiùs puniri debent. 319
Binæ appellationes interpoſitæ à qua illarum incipiant currere fatalia. 263
Bini actus in delinquentibus ſufficiunt ad augendam pœnam. 225
Bini teſtes quando dicantur conteſtes. 107
Bona fama in pari probatione prævalet malæ. 136

C

CAlumniator quis ſit, & quomodo eximatur à calumnia. 72
Canonica purgatio quando ſit practicanda. 281
Capitalis inimicitia ex quibus Cauſis deducatur. 121
Capitalis inimicus non debet torqueri pro ferendo teſtimonio. 128
Capituli Generalis, & Provincialis poteſtas. 1
Captura Reorum quis illam demandare poſſit. 354. 355
Captus ad carcerandum, an ſit audiendus in appellatione. 157
Carcer ad torturam, & ad correctionem quid importet. 156
Carcer eſt gravamen continuum, & ideò ab illius comminatione, etiam quod ſit ad cuſtodiam poteſt interponi appellatio poſt decem dies. 263
Carcerans indebitè incidit in excommunicationem. 355. 356
Carceratio quot modis eſſe poſſit. 156
  Item quando dici poſſit injuſta. 155. 355
  In dubio ſemper præſumitur juſta. 156
Carceratio longa quid cauſet. 158
  Quando minuat pœnam. 157

carceratio Rei quid requirat. 155
carceratus ad cuſtodiam, an poſſit concurrere ad electionem. 157
carceratus fugiens in quam pœnam incidat, et quandò poſſit licitè fugere. 157.355
carceris effractor in quam pœnam incidat. 158
Cardinalis Protector non eſt ampliùs Iudex appellationis attenta nova Conſtitut. Innoc. XII. 3.4
carnis delicta quomodo recognoſcantur. 37
cauſa in delictis eſt attendenda, & ſecundùm cauſam puniri debent. 321
cauſæ ſufficientes ad torquendum Teſtes. 129
Item ad recuſandum Iudicem. 148
cenſura an admittat appellatio, & quando. 270
Item Vide. 372
citatio Rei præſentis, & abſentis quomodo facienda. 145.350
Item in Reo abſente. 150.350
Item de illius carentia in proceſſu. 145.219.350
Et quotuplex ſit. 350
citatio ad ſententiam, et de illius requiſitis. 218.353
clamoroſa inſinuatio quid ſit. 30.§.7
Item quomodo differat ab infamia, & ſit probanda. ibid.
clauſula de Iure quando ſit ponenda in ſententiis. 237
clauſula omni appellatione remota, quomodo ſit intelligenda. 260.370
clauſula Rebus ſic ſtantibus quid importet. 220
clauſulæ ſummariè, ſimpliciter, de plano, ſine ſtrepitu et figura Iudicii, Manu regia, quomodo ſint intelligenda. 77.230
commiſſarii Generalis, et Provincialis poteſtas. 7.8
compoſitio Rei cum Fiſco, et de illius conditionibus. 161.162
Semel compoſitus non poteſt ampliùs moleſtari. 324
conditiones Denunciationis 58. Item Accuſationis. 68
Item Confeſſionis 211.359. Item Appellationis. 254
Etiam interpoſitæ coram honeſtis viris. 259
confeſſio ſpontanea quænam ſit. 210.213
Item quando minuat pœnam. 226.365
Item facta metu probationum quænam dicatur, et quando ſit ratificanda. 210.213
confeſſio facta non conſtito de corpore delicti non nocet. 37.335. Item Vide. 360
Et idem dicitur de illa facta per ſuggeſtionem.
confeſſio extrajudicialis quid faciat. 135.364
confeſſio propria ſupplet infamiam. 171
confeſſio facta in tormentis debet ratificari. 131.171
Item facta ſuper proceſſu nullo, quando valeat. 210
Item indebitè extorta non nocet. 357
confeſſio qualificata quænam ſit, et quid operetur. 214
confeſſionis conditiones ad hoc ut ſit valida, et poſſit afficere Reum, quænam ſint. 211

con-

confeſsionis revocatio quando fieri poſſit. 166. 212
Item vide. 261. & ſeq.
Et Cauſæ talis revocationis quænam ſint. 363
confeſſus ad hoc ut poſſit condemnari quid requiratur. 211
confeſſus, & convictus non poteſt appellare, niſi adducat errorem. 214. 263
Item quando, & quomodo poſſit torqueri. 166
confrontatio quando ſit facienda. 159
Congregatio Epiſcoporum, & Regularium eſt primus Iudex Appellationis extra Religionem ex Conſtit. Innoc. XII. 3. 4. 255
conſanguineus quando admittatur ad teſtificandum. 125
conſiliarius dandus eſt Reo. 216
conſcius delicti an, & quando poſſit eſſe teſtis. 37
conſtitutio Rei quando ſit facienda. 145
conſuetudo legitimè præſcripta, poteſt præſcribere contra Ius poſitivum etiam iuſtum. 274
conteſtatio litis quid ſit, & an poſſit omitti. 23. 158
Item Vide. 350
In Articulis iuratis quando fiat. 75. 77
conteſtes Teſtes quinam ſint. 106
contrarii Teſtes inter ſe quinam ſint, & quando probent. 105. & ſeq.
contumax Reus, quomodo cogendus 152. 153
convictus quomodo ſit interrogandus. 155
convictus perfectè quis dicatur. 214
Item quando, & quomodo ſit torquendus. 165. 215
Non poteſt appellare, ſicut, & confeſſus, niſi adducat errorem. 264
copia proceſſus quando, & quomodo ſit danda Reis. 217. 352
copula carnalis eſt actus proportionatus tàm viſui, quàm auditui. 108
corpus delicti quomodo conſtare debeat. 34. 132
Item vide. 336
Item quomodo probetur in furtu. 35
Item in falſitate. 35. *Item in delictis Venereis.* 37
Item in ambitu, & procuratio officiorum. 38
Item in Veneno. 34
Et non conſtito de corpore delicti proceſſus eſt nullus. 335. & ſeq.
correctio fraterna quando ſit præmittenda. 57
corruptus Teſtis quiſnam dicatur, & quandò probet. 119
credulitas quandò excuſet, & minuat pœnam. 153
crimen quot modis probetur. 214
crimen occultum quodnam ſit, & quando non poſſit amplius deduci ad forum contentioſum. 26
Item in Iudici commiſſum quomodo puniatur. 39
criminis ſocius admittitur ad defenſam Conſocii. 314
culpa lata, quomodo ſit punienda. 318

D

Decrepitas quando incipiat. 318

Defenſiones Reorum undè ſint eliciendæ. 311

Et primò. Ex regulis generalibus. ibid.

2. Reſpectu delicti. 319

3. Ex præſcriptione delicti, & inſtantiæ criminalis. 324

4. Ex incompetentia Iudicis. 331

5. Reſpectu Corporis delicti non probati. 335

6. Ex modo procedendi. 338

7. Ex perſonis & dictis Teſtium. 343

8. Ex defectu citationum. 350

9. Ex captura, & tortura indebita. 354

10. Ex Confeſſione non legitimè facta. 359

11. Ex ſententiis non legitimis. 366

12. Ex modo, & tempore appellandi. 369

In Defenſione quando, & quomodo admittantur etiam Fratres, Conſanguinei, affines, domeſtici, & familiares. 314

Item in Defenſione ſemiplena probatio habetur pro plena probatione. 312

Item probant teſtes de credulitate, & etiam non reddentes cauſam ſcientiæ. ibid.

Defenſio eſt favorabilior, quàm offenſio. 311

Et ideò probatur etiam conjecturis. 312

Item per præſumptiones dubias. 312. 313

Item in defenſione prævalet dictum inferioris dicto Superiori. 105. 313

Et data paritate in numero Teſtium, Teſtes Rei prævalent teſtibus Actoris. 105. 311

Et magis creditur paucis in defenſione, quàm multis in offenſione. 105. 313

Et probationes pro Reo ſunt ampliandæ, & pro Actore reſtringendæ. 313

Defenſiones quando ſint dandæ teſtibus ante Torturam. 130

Defenſiones ante ſententiam quomodo ſint faciendæ. 216

Et quando Reus poſſit illis renunciare. 214. 216

Item ante torturam quando ſint dandæ Reis. 164

Et ſemper ſunt dandæ Reis etiam convictis, & confeſſis. 216. 352

Et ſi Rei ipſi renuncient, quid agendum. 216. 352

Defenſionis termino pendente an Iudex poſſit procedere in Cauſa, & quando. 352

Delegatus tenetur oſtendere, ſeù publicare ſuam Commiſſionem. 8. §. 10. & ſeq. 9. §. 10. & ſeq.

Delegatus Iudex quis ſit. 2. An, & quando poſſit ſubdelegare. 7. 8

Delegatus ad univerſitatem Cauſarum quis dicatur. 7

Et de illius auctoritate, & præcedentia. 9

Delegata Iuriſdictio quomodo dignoſcatur. 6. §. 4. & ſeqq.

Delicta publica, & privata quænam ſint. 57

Delicta in Viſitationem manifeſtata, ſed occultata non poſſunt amplius audiri. 26 §. 4

De-

Delicta levia, & gravia apud nos quænam ſint.. 220
item graviora, & graviſſima cum ſuis pœnis. 221.222
Delicta non ſunt judicanda ſecundùm gravitatem fori interni, ſed externi. 319
Delicta ſeparata, & connexa quænam dicantur. 232
Delicta carnis quomodo recognoſcantur. 37
Delicti corpus quomodo probetur. 34. & ſeq.
Delicti præſcriptio quid importet. 323
item quo tempore præſcribantur delicta. 325
Delicti conſcius an, & quando poſſit eſſe teſtis. 37
Et quando admittitur ad defenſam conſocii. 314
Delictum non probatum Reus eſt abſolvendus. 311
Delictum ex aliqua circũſtantia excuſabili, nõ eſt punibile. Et quando ſit punibile. 320
Delictum Notorium quid ſit, & in quotuplici differentia. 82. 118
Delictum commiſſum in Iudicio, & de illius punitione. 28
Delictum Notorium quomodo puniendum per ſpecialem Inquiſitionem. 25.29
Delictum rebellionis quid ſit. 85
Delictum in fragranti perpetratum quid ſit. 84
Delictum facti tranſeuntis, & permanentis quid ſit. 34
Dementia quando excuſet. 319
Denunciator qualis eſſe debeat. 56
An, & quando poſſit eſſe Teſtis. 59
Denunciatio & eius requiſita. 37. Conditiones. 57
Et eius neceſſaria. 58. 341
Quomodo ſe gerere debet Iudex in Denunciatione. 58.59
Denunciatus quando poſſit ſuum Denunciatorem denunciare. 69
Depoſitio facta per ſuggeſtionem, quid efficiat. 100
Depoſitiones Teſtium factæ in tormentis an, & quando ratificari debeant. 131
Deponens de auditu alieno, & proprio quantum probet. 108
Item de credulitate, & non reddens cauſam ſcientiæ. 109
Deponens falſum quando, & quomodo ſit puniendus. 111. & ſeqq.
Diminutio pœnæ quando ſit facienda. 226
Diuturnitas quanto tempore inducatur. 330
Dolor quando excuſet. 227. 319
Dolus quid ſit, & quando excuſet. 226.228
Non præſumitur, ſed debet probari in pœnis ordinariis. 317
Duæ famæ contrariæ, quænam ex illis prævalere debeat. 30. §. 7.

E

EBrietas, quando excuſat à pœna ordinaria. 226.318
Effectus torturæ quinam ſint. 172
Item Iudicialis appellationis. 270
Effectus devolutivus quiſnam ſit. ibid.
Item ſuſpenſivus. 271. Et quomodo ſit intelligendum noſtrum ſtatutum quoad hunc effectum. 272. & ſeqq.

Electio

Electio Arbitrum quando ſit facienda. 147. & ſeq.
Epiſtola quomodo recognoſcatur. 60
Ergaſtuli pœna apud nos non eſt in uſu. 147
Eſſentialia Iudicii quanam ſint. 23
Examen Teſtium quomodo ſit faciendum. 97
Exceptio aperiens viam ad inquirendum ſpecialiter. 81
Exceptio Civilis quænam ſit. ibid.
Exceptiones dilatorias, quando faciendas. 146
Exceptiones quoad perſonam Iudicis. 148
Excitatoria Iuriſdictio quomodo dignoſcatur. 6. §. 3. 4. 5.
Excommunicatio non recipit appellationem. 372
Extrajudicialis confeſſio quid faciat. 135. 364
Extrajudicialis appellatio quænam ſit. 268
Et quomodo differat à Iudiciali. 269
Item quomodo conveniant. ibid.
Extraordinaria pœna quænam ſit. 224
Et quando ſit imponenda. 161. & ſeqq.

F

Falſitas, quid requirat ad hoc, ut dicatur talis. 111
Falſarii pœna quænam ſit. 113. 221
Falſi crimen, quomodo probetur, & excuſetur. 36. §. 6
Falſus teſtis quinam ſit. 110. & ſeq.
Quando, & quomodo apud nos puniatur. 113
Fama quid ſit. 30. §. 7. & 135. *Et quando ſufficiat ad ſpecialem Inquiſitionem* ibid. & ſeqq. *Ac etiam ad torturam.* 133
Fama bona prævalet malæ famæ. 31. §. 8
Fama quid faciat in Iudicio. 135
Fatuitas quando excuſat. 319
Fides in Iudicio nihil probat, niſi recognoſcatur medio juramento. 99. 344
Fractor Carceris in quam pœnam incidat. 158
Freneſis quando excuſet. 319
Fugæ ſuſpicio ex quo deſumatur. 156
Furor quando excuſet. 319
Fur quando poſſit impunè occidi. 323
Furtum quomodo probetur. 35. §. 4. 5.

G

Generale Capitulum, & de illius poteſtate. 1
Generalis Ordinis, & de illius Iuriſdictione. 1
Gradus torturæ funis quot ſint. 167
Gravamen continuum quamdiù durat, & ſemper interponi poteſt appellatio etiam poſt decem dies. 264. 369
Gravamen futurum, an admittat appellationem. 261. 369
Graviora, & graviſſima delicta, quis illa corrigere poſſit. 2. 220

Guar-

Guardiani, & de illorum poteſtate. 2
An ſint Iudices Ordinarij in cauſa nullitatis confeſſionis. 1
Item quando poſſint iuridicè procedere contra delinquentes. 221
Item quando poſſint fratres in carcerem detrudere. 157. 221

H

Homicida quando excuſetur, & mitius ſit puniendus. 322
Hominibus prævalent mulieres in defenſione Reorum. 123. 313
Honori primi Iudicis quando, & quomodo ſit conſulendum à Iudice appellationis in revocatione ſententiæ Iudicis à quo. 280

I

Idoneus Teſtis quinam ſit. 106
ignorantia quotuplex ſit. 317
Ignorantia quando excuſet. 227. 316. §. 9.
imperium merum, & mixtum, quod nam ſit, & quomodo deffiniatur. 6. §. 1.
imprudentia quando minuet pœnam. 223
impubertas, quando incipiat, & terminet. 225. 318
impunitas à quibus poſſit concedi. 151
indicia quid, & quot ſint. 128. *Graviora quænam dicantur.* 133. *Graviſſima* 134. *Levia.* 133
item. 162. §. 1. & 163. §. 3. & ſeq.
Quomodo purgentur. 165. *Et quando ſufficiant ad condemnandum.* 312
item ut ſint valida quid requirant. 337
indicia nova ſupervenientia, quænam dici poſſint. 220
indicia ſufficientia ad Reum interrogandum, & torquendum, quænam ſint. 134
indicium indubitatum quodnam ſit. 134. 164
indicium proximum, & remotum. 133
induſtria perſonæ quando cenſeatur electa in Commiſſionibus. 8. §. 8.
infamia, & clamoroſa inſinuatio, quomodo differant, & ſint probandæ. 30. §. 7. 135
Et an ſemper præcedere debeat Inquiſitionem ſpecialem. 31. 135
item vide. 340
infamia non probata proceſſus eſt nullus. 334
infantia quando incipiat, & terminet. 318
infantiæ proximus quis dicatur. 318
inhabiles in defenſionibus admittuntur. 124. 314
inhabilis teſtis quis dicatur. 123
inimicus capitalis non poteſt torqueri proferendo teſtimonio. 128
inimicus teſtis quiſnam ſit, & quando probet. 120
inimicitia capitalis ex quibus cauſis deducatur. 121
inquiſitio generalis quæ ſit, & de illius præparatoria. 25. & ſeqq.
item vide. 338
inquiſitio ſpecialis quænam ſit, & an ſemper ſupponat infamiam. 27. 339
Et non præcedente infamia proceſſus eſt nullus. 22. 339
Excipiuntur tamen aliqui caſus. 27

inquiſitio ſpecialis in delicto notoria patrato. 83
item pro delicto infragranti patrato. 84
item contra exceptum. 82. *Item in cauſa rebellionis.* 84
inquiſitio mixta ex generali, & ſpeciali. 33
Item generalis quoad delicta, ſpecialis verò quoad perſonas. Et è contra. ibid.
inſtantia criminalis, quo tempore præſcribatur. 332
inter confeſſum, & convictum quænam ſit differentia. 214
interlocutoria ſententia quomodo differat à difinitiva. 235
Item quando contineat gravamen irreparabile, vel habeat vim deffinitivæ. 235.266
interprætatio deſumi debet pro excluſione delicti. 314.316
ira quando excuſet. 319
iracundus quando mitiùs ſit puniendus. 227.319
iudex Arbitrarius quis ſit, & de illius poteſtate. 2
iudex Delegatus tenetur oſtendere, ſeu publicare ſuam Commiſſionem. 8.§.10.& *ſeq.*
Iudex Delegatus quis ſit, & de illius Iuriſdictione. 2.7
Et an poſſit ſubdelegare. 7.331
iudex Delegatus ad Univerſitatem cauſarum quis dicatur. 8.§.9
iudex Appellationis extra Ordinem quis ſit. 3.5
iudex Ordinarius quis ſit, & de illius poteſtate. 1.5.6
in cauſa recuſationis quomodo ſe gerere debeat. 148
Et quando dicatur procedere, ut Delegatus. 6.§.3.4.5.332
iudex Regularis quænam obſervare debeat, & quot modis procedere poſſit. 23
Et præcipuè per viam Inquiſitionis. 25
item per viam Accuſationis. 68. *Item Denunciationis.* 56
item per viam Articulorum Iuratorum. 75
item in examine Teſtium. 97. *In Reo interrogando.* 151
item quando Reus non vult reſpondere. ibid.
iudex recuſatus procedens ad ulteriora, an eius acta ſint valida, nec ne? Et quando. 147.149
Item vide. 332
iudex quando poſſit interrogare Reum, vel Teſtes de complicibus, & ſociis. 152
item quomodo interrogare debeat Reum convictum, & confeſſum. 155
iudex injuſtè carcerans in quam pœnam incidat. ibid.
item vide. 355
iudex, an poſſit ſuo arbitrio Reum torquere, vel extraordinariè punire, omiſſa tortura. 162
iudex quomodo ſe gerere debeat ante torturam. 166
item in actu torturæ. 170
iudex debet eſſe facilior in abſolvendo, quàm in condemnando. 218
iudex quando procedere poſſit in cauſa propria, & quando non. 333
iudex quando poſſit recuſari. 146.148
iudex quomodo ſe gerere debeat in traditione Apoſtolorum. 276

Iudex Ordinarius non poteſt retractare ſuam ſententiam bene poteſt illam declarare. 267. Idem dicitur de Delegato quoad retractationem. ibid.
Iudex Delegatus ad univerſitatẽ Cauſarum poteſt judicare circa eamdẽ Cauſam. ibi.
Iudex appellationis quomodo ſe gerere debeat. 277
Et quando poſſit confirmare ſententiam nullam, & quando non. 279
Iudicis poteſtas & officium quotuplex ſit. 1.5
Iudicis ſupremo an detur appellatio, & quomodo. 254
Iudicis incompetentia ex defectu Iuriſdictionis. 331
Iudices Regulares quomodo ſe gerere debeant in Iudicando. 23
Item in condemnando. 218
Iudicialis Appellationis effectus quinam ſint. 270
Iudicialis Appellatio quænam ſit. 268
Quomodo differat ab extrajudiciali. 269. Item quomodo conveniant. ibid.
Iudicii eſſentialia quænam ſint. 23. §. 2
Iuris ſolemnitates ſeu apices quænam ſint. ibid.
Iuriſdictio delegata re integra expirat morte Delegantis. 8. §. 2
Iuriſdictio quotuplex ſit. 6. 11. §. 17
Iuriſdictio ordinaria etiam re integra non expirat morte mandatoris. 10. §. 13
Iuriſdictio quando dicatur prorogata. 7. §. 5
Ius appellandi quibus competat. 260
Iuriſdictionem turbantes, an quando, & quomodo ſint puniendi. 10. §. 15

L

LAicus contra Clericum, & Religioſum quando admittatur ad teſtificandum, & quando non. 56. 123
Laicus in defenſione præfertur Clericis. 124. 313
Lata culpa quando excuſet. 226
Legitima, & perfecta probatio quænam ſit. 132
Legitimus accuſator quis ſit. 68
Licitum ſemper attenditur in delictis ſive ſit principium, ſive finis. 315
Literæ quando dicantur excitatoriæ, vel dilatoriæ. 6
Litis conteſtatio, quando fiat inter Regulares, & an poſſit omitti. 23. 145
Item in articulis juratis quando fiat. 75. 77
Longa carceratio quid cauſet. 158

M

MAnifeſtum quid ſit, & quomodo probetur. 29. §. 5
Mentis captio, quando excuſet. 319
Mercenarium officium Iudicis, quodnam ſit. 5. §. 1
Meretrices, quando admittantur ad teſtificandum. 124
Merum imperium Iudicis, quodnam ſit. 5. §. 1
Metus quando excuſet. 317
Minatus, quando poſſit minantem offendere. 323
Minor 20. annorum quando admittatur ad teſtificandum. 123
Minores, vel non puniuntur, vel mitius puniri debent. 318

Mixtum imperium Iudicis, quodnam ſit. 5.§.1
Moderamen inculpatæ tutelæ, in quo conſiſtat. 322
Modus procedendi per viam articulorum. 75
Item Accuſationis. 68. Item Denunciationis. 56
Mulieres, quando admittantur ad teſtificandum. 123
Ad hoc ut probent, quot eſſe debeant. 345
N
NEgans veritatem quando, & quomodo ſit puniendus. 152
Negativa coarctata quomodo probetur. 323
Nobile officium Iudicis, quodnam ſit. 5.§.1
Nobilitas minuit pœnam. 228
Notarius apud nos quis ſit. 231
Notorium delictum quodnam ſit, & in quotuplici differentia. 29.82
Item vide. 265.371
Notorium Iuris quid ſit. 82
Notorium facti quid ſit, quotuplex, & quando in eo detur appellatio. 82.84
Et quando in eo proceditur, quot teſtes requirantur ad illud probandum. 83.84
Nullitas quando impediat executionem. 277
Nullitas copulata cum appellatione quid importet. 232.279
Et poteſt proponi in caſibus in quibus non licet appellare. 332
Item principaliter deducta quid importet. 278
Nuntius Papæ, an poſſit cognoſcere cauſas Regularium. 255
O
OCcultum crimen quando poſſit dici tale. 25.§.2.335
Occultum crimen in Viſitatione generali malitiosè occultatum, non poteſt amplius deduci ad forum contentioſum. 26
Occultum delictum quomodo ſit corrigendum, & puniendum. 215
Odioſus Teſtis quando repellatur à teſtimonio ferendo. 121
Officium Iudicis appellationis quodnam ſit. 276
Officium Iudicis nobile, & mercenarium quodnam ſit. 5.§.1
Onus, & gravamen continuum dicitur Carcer, & ideò ſemper ab ea appellare poteſt Carceratus. 264
Oppoſitio contra perſonas, & dicta Teſtium. 345
Ordinaria poteſtas quanam ſit. 5.6
Ordinaria pœna quænam ſit. 223
Ordinarius Iudex quis ſit, & de illius poteſtate. 1.5.6
Ordinarius Iudex non poteſt retractare ſententiam latam benè poteſt illam declarare. 267
Ordinis Protector, & de illius poteſtate in Religione. 2.3
Ordinarii locorum, quandò poſſint ſe intromittere in Cauſis Regularium. 5
P
PAuper quantum probet. 124
Pœna extraordinaria quando ſit danda. 163.164

Item

Item in illa infligenda, quomodo ſe gerere debeat Iudex. 224
Pœna Ordinaria quando poſſit augeri. 225
Item quando poſſit minui. 226
Pœna ubi non cadit à Iure expreſſa delictum non dicitur. 320
Pœna contra indebitè appellantes quænam ſit. 160
Pœna talionis quomodo ſit imponenda. 70. §. 4
Pœna Ordinaria, extraordinaria, & arbitraria quænam ſit. 229
Pœna Triremis à noſtris Iudiciis eſt arcenda, & idem dicitur de pœna Ergaſtuli. 220
Pœna quando poſſit augeri. 223
Et quando reddet ſententiam nullam. ibid.
Item quando poſſit minui, & à quibus. 224
Pœna falſarii, quænam ſit. 113
Pœnarum diminutio an poſſit fieri, & à quibus. 224
Pendente termino defenſionum an Iudex poſſit procedere. 352. & ſeqq.
Perſona Denuntiantis qualis eſſe debeat. 56
Perſonæ viles, quænam ſint, & quantum probent. 124
Poteſtas Iudicis quotuplex. 1
Poteſtas, ſeù Iuriſdictio Iudicis Ordinarij. 5
Item Delegati. 7
Item Viſitatoris. 114. §. 17. & ſeqq.
Præparatoria ad Iudicium, quænam ſint. 23
Præparatoria via ad ſpecialem Inquiſitionem. 27. & ſeqq.
Præſcriptio delicti quid importet. 324
Præſumptio Iuris tantùm, & Iuris, & de facto quid ſit, & quid cauſet. 136
Præſumptio dubia non ſufficit ad condemnandum. 312
Privata delicta quænam dicantur. 57
Præſumptio hominis quænam ſit. 136
Probatio legitima, & perfecta quænam ſit. 132
Probatio ſemiplena quænam ſit. ibid.
Probatio evidentiſſima evidens, & minus evidens. 133
Probationes criminum quot ſint. 215
Probationes in Criminalibus pro Reo ſunt ampliandæ, & pro Actore reſtringendæ. 313
Probitas anteactæ vitæ minuit pœnam in delictis. 226
Proceſſus ex defectu Iuriſdictionis eſt prorſus nullus. 331
Et quando Iudex dicatur incompetens ex defectu Iuriſdictionis. ibid.
Proceſſus in quo non conſtat de denunciatore, primus Teſtis habendus eſt pro Denunciatore, & nihil probat. 334
Proceſſus ante tempus non eſt publicandus. ibid.
Procuratio officiorum quomodo probetur. 33
Procurator Generalis, ac de illius poteſtate. 1
Protector Ordinis, non eſt ampliùs Iudex Appellationis. 3. 4

Provocatus quando excuſetur. 227. 320
Provincialis poteſtas. 1
Provinciale Capitulum, & de illius poteſtate. 1
Pubertas quando incipiat. 226. 318
Item proximus pubertati, quando quis dicatur. ibid.
Pubertatis tempus quodnam ſit. 123
Pubertati proximus quando admittatur ad teſtificandum. ibid.
Purgatio Canonica quando ſit practicanda. 281
Pueritia quantum duret. 318

Q

Qualificata confeſſio quid operetur. 214
Qui extra Religionem in Criminalibus pro conſilio adierit, pœna convicti, & confeſſi puniatur. 216
Quomodo ſit interrogandus Reus convictus. 154
Quomodo in ſupremo Iudice danda ſit appellatio. 254
Quomodo Interlocutoria ſententia diſtrat à deffinitiva. 235
Quid ſit, & quotuplex præſumptio. 136

R

Ratificatio Confeſſionis quando ſit facienda. 131. 172
Rebellionis delictum quodnam ſit. 84
Recognitio Epiſtolarum quomodo ſit facienda. 60
Recognitio Rei quando ſit neceſſaria. 159
Recognitio, & confrontatio Rei in quo differant. 158
Recurſus per modum ſupplicationis quando ſit faciendus. 254. 370
Recurſus ad Sæculares pro dignitatibus quomodo probetur. 37
Recuſatio Iudicis, in quo caſu ſit facienda. 146. 148
Recuſans quando teneatur exprimere cauſam recuſationis. 147
Repertus in fragranti crimine quis dicatur. 84
Et de modo procedendi in tali delicto. 85
Repetitio Teſtium cum interrogatorijs quando ſit facienda. 217
Repetitio Torturæ in teſtibus quando ſit facienda. 132
Item in Reis. 170
Repulſa in teſtibus, quando ſit admittenda. 345. 347
Revocatio Confeſſionis quando, & quomodo fieri poſſit. 211
Reus, quando non vult reſpondere, quid agendum. 151
Reus, quando, & quot modis poſſit carcerari. 155. 156
Item quando poſſit vinciri catenis, & compedibus. 157
Reus deficiens in tormentis quomodo dignoſcatur; Et quid agendum, & etiam ſi dubitatur de maleficio. 171
Reus compoſitus non poteſt ampliùs vexari. 162
Reus abſolutus quando poſſit itcrùm moleſtari. 219. 328
Reus in dubio eſt abſolvendus. 218
Reus contumax quomodo ſit cogendus. 152

Reus

Reus an, & quando ex indicijs poſſit condemnari omiſſa tortura. 164. §. 4
Reus an poſſit puniri ad arbitrium Iudicis omiſſa tortura. 162
Rei innocentia probatur per unicum teſtem. 102
Res judicata quando dicatur. 228

S

Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium eſt primus Iudex Appellationis extra Religionem ex Conſtit. Innoc. XII. 3. 4. 255
Sæculares Teſtes quantum probent. 98. 123
Semiplena probatio quænam ſit. 132
Senectus quando incipiat. 318
Senes quando mitiùs puniri debeant. ibid.
Sententia quando dicatur iniuſta, & invalida. 230. & ſeq.
Sententia quid continere debeat. 366. & ſeq.
Sententia nulla nullum producit effectum. 368
Semper dici poteſt de nullitate, quando nullitas eſt in ſententia. 366
Sententia lata in contumacia non tranſit in Iudicatum. 369
Et idem dicitur de ſententia excommunicationis. 371
Sententia habens plura capita poteſt in unum valere, & non in aliud. 232
Sententia interlocutoria quid ſit, & quomodo differat à definitiva. 234
Sententia definitiva an poſſit revocari. 235
Sententia quando dicatur tranſiſſe in rem Iudicatam, & quando non. ibid. 367
Sententia non poteſt retractari per Iudicem Ordinarium, benè poteſt declarari. 235
Sententiæ à pluribus prolatæ quænam illarum ſit valida. 227
Solemnitates Iuris quænam ſint. 23
Socius criminis quantum probet. 124. 127
Item quando admittatur ad defenſam Conſocij. 314
Spontanea Confeſſio quænam ſit. 210. 213
Subditis licet appellare etiam in pœnis paternalibus ſi Prælatus excedat, ſecùs ſi non excedat. 220. 261
Et idem dicitur de manifeſta iniuria. ibid.
Subſtantialia Iudicij quænam ſint. 229
Suggeſtio quomodo vitanda. 100
Item in Teſtibus. ibid. 334
Supplicatio quæ habeat vim appellationis quomodo, & quando, & coràm quibus poſſit interponi. 254. 370
Suſpicio fugæ ex quo deducatur. 156
Suſpectus teſtis quiſnam ſit. 97

T

Teſtes deponentes de fama quando probent. 30. §. 7. & ſeqq.
Teſtes inhabiles ad defenſam admittuntur. 314

Teſtes non reddentes cauſam ſcientiæ nihil probant. 97

Teſtes ſæculares quantum probent. 98

Teſtes inter ſe contrarios quinam dicantur, & quantum probent. 105

Teſtes Rei data paritate in numero præferuntur teſtibus Actoris, & quando credatur paucioribus. ibid.

Teſtes idonei, & omni exceptione majores quinam ſint. 106

Teſtes conteſtes quinam ſint. ibid.

In dubio præſumuntur conteſtes, & non ſingulares. 107

Teſtes de auditu alieno, quantum probent. 108. 349

Teſtes de auditu proprio quantum probent, & quomodo deponere debeant, ut probent. ibid.

Teſtes de credulitate quando probent. 110. 348

Teſtes ſuſpecti quinam ſint. 97. 127

Teſtes, quando cogi poſſint ad deponendam veritatem. ibid.

Teſtes, quando poſſint torqueri. 129

Teſtes non reddentes cauſam ſcientiæ nihil probant. 110

Teſtibus deponentibus pro defenſione magis creditur quàm deponentibus ad offenſam. 313

Teſtis ultroneus nihil probat; & dicitur ſuſpectus. 97. 127

Item vide. 348

Teſtis quomodo deponere debeat. 99

Teſtis per ſcripturam quantum probet. ibid.

Teſtis per fidem quantum probet. 99. & ſeq.

Teſtis unicus quando probet. 101. 3,9

Item ad defenſam. 313

Teſtis ſingularis quiſnam ſit, & quantum probet. 102

Teſtis deponens de reminiſcentia quando probet. 349

Teſtis falſus quis dicatur. 110

Teſtis varius quiſnam ſit, & quando poſſit ſe corriggere. 114. 347

Et quando poſſit torqueri. 114

Item cui depoſitioni ſit ſtandum quando contraria deponit. 115. 348

Item quomodo concordandæ ſint eius depoſitiones contrariæ. 117

Teſtis corruptus quiſnam ſit, & quando probet. 119

Teſtis inimicus quiſnam ſit, & quando probet. 57. 120

Item vide 346

Teſtis inhabilis quiſnam ſit, & quantum probet. 123

Et præcipuè apud nos 127

Et quando admittatur. 346

Teſtis conſanguineus, quando admittatur. 125. 346

Teſtis ſibi ipſi contrarius, quando ſit attendendus. 115

Teſtis ſubornatus, quando talis præſumatur. 105. 119

Teſtium repetitio cum interrogatorys quando ſit danda. 217

Teſtium dicta qualia eſſe debeant. 343

Tormentum funis quo tempore ſit protrahendum. 167. 170
Et quot ſint eius gradus. 167
Tormentum flagellationis in quo conſiſtat. 208
Tortura quando ſit inferenda. 356
Tortura quibus dari poſſit, & quando ſit danda. 129
Quid cauſet in teſtibus inhabilibus. 347
Tortura quando ſit inferenda Reo cum defenſionibus, & quando ſine illis. 164. 356
Torturæ repetitio, quando ſit facienda. 168
Torturæ impedimenta, & effectus. 167
Et quando poſſit ab ea appellari. 356
Turbantes Iuriſdictionem, an, quando, & quomodo ſint puniendi. 10. §. 15

V

VEneni crimen quomodo probetur. 34
Verba dubia, & obſcura in teſtibus quænam ſint. 109
Et quando ſint interpretanda in bonum ſenſum pro excluſione delicti, vel ſaltem in mitiorem partem. 315
Et in minorem pœnam. 316
Vicarij locorum quamnam poteſtatem habeant. 2
Vigiliæ tormentum quanto tempore ſit protrahendum. 167
Vis excuſat à culpa, & pœna. 317
Viſitatorum poteſtas quænam ſit. 11. 12
Unicus teſtis ad defenſam probat. 313
Vulnus quando dicatur eſſe mortale. 321

FINIS.

IN-

INDEX

Formularum, quæ in hoc Epitome practicè continentur.

A

ABſolutoriæ ſententiæ forma. 241
Aliæ ſimiles formæ tàm abſolutoriæ, quàm condemnatoriæ. 244
Acceptatio defenſionum, & eius forma ante torturam. 202
Item ante ſententiam diffinitivam. 236
Accuſationis forma, & quomodo in ea procedatur à Iudice Ordinario. 73
Item à Delegato. 75
Accuſatoris repulſio per ſententiam Interlocutoriam. 252
Acta Inquiſitionis Generalis paternæ. 19
Item Iudicialis ex officio. 20
Actuarius qua forma ſit eligendus. 55
Apoſtata qua forma ſit recipiendus. 91
Apoſtolorum forma in Notorio delicto. 88
Apoſtolorum aliæ formæ. 291
Appellatio ab Interlocutoria. 176
Item aliæ ſimiles formæ. 291
Appellatio coràm honeſtis viris. 284. 285
Etiam poſt latam, & acceptatam ſententiam. 286
Eius reſponſiones. 285
Appellatio qua forma ſit facienda à Reo confeſſo ad hoc ut locum habeat. 283
Appellatio in notorio delicto. 92
Appellationum variæ formulæ. 282
Appellationis, & nullitatis faciendæ, ſeù proteſtandæ in aliqua electione forma. 288
Et eius reſponſionis forma cum ſua replicatione. 289. 290
Arbitris quando præfigatur terminus. 176
Arbitrum electionis forma. *ibid.*
Facta in perſonis conjudicum. 178
Arbitrum ſententiæ forma in cauſa recuſationis. 177
Articulorum juratorum in cauſis procedendi modus. 78
Autenticatio alicujus copiæ extractæ à ſuo originali, & eius forma. 68. 304

Bona

B

Bona fama, qua forma ſi probanda in Purgatione Canonica. 299

C

Cauſa Civilis, qua forma deducatur ad Ius crimininale. 52
Citatio Rei in Notorio delicto. 91
Citatio Rei abſentis in Notorio delicto. 88
Citatio Rei abſentis, qua forma ſit facienda. 178
Citatio Contumacis. 91
Citationis forma ante ſententiam. 242
Clamoroſa inſinuatio, & eius forma inchoandi proceſſum. 41
Commiſſionis forma ad viſitandam Provinciam. 17. 18
Commiſſionis forma ad plures Cauſas. 13
Item ad unam Cauſam. 15
Compoſitio Rei cum fiſco, & eius forma. 194
Confeſſio extrajudiciali, qua forma probetur. 140
Confeſſus quomodo ſe gerere debeat in appellatione ad hoc ut locum habeat. 283
Item in revocatione Confeſſionis. 212
Confrontatio Teſtis cum Reo, & eius forma. 189
Contumax qua forma ſit condemnandus. 93. 179
Copia proceſſus defenſivi, qua forma ſit petenda à Conſiliario, ſeù Advocato. 200
Corpus delicti, & eius recognitio. 44
In Characteribus per peritos. 47
In defloratione Virginis. 49
In furto. 47
In Veneno. 49

D

Decretum pro formatione proceſſus fama probatá. 41
Decretum interponendum in examine mulierum. 305
Decretum interponendum in publicatione litterarum patentalium. 54. 307
Decretum interponendum pro admiſſione Conjudicis. 305
Decretum procedendi per viam articulorum Iuratorum rejecta Denunciatione. 78
Decretum pro relaxatione pœnarum. 306
Decretum pro repetitione alicujus ſcripturæ. 304
Item pro inſertione dictæ Scripturæ in Actis. 305
Defenſiones ante torturam qua forma ſint deſcribendæ. 201
Item ante ſententiam. 239
Defenſionum acceptatio ante torturam. 202
Item ante ſententiam. 236
Defenſionum renunciatio ante torturam. 196
Item ante ſententiam. 238
Delegandi Teſtium examen forma. 15
Delegationis forma ob Accuſationem, vel clamoroſam inſinuationem. 16

Delegatus qua forma procedere debeat in cauſa ſpecialis Inquiſitionis. 54
Item in Cauſa Denunciationis. 67
Item in Cauſa Accuſationis. 75
Item in Cauſa Articulorum Juratorum. 79
Item in Cauſa Appellationis. 360
Delictum commiſſum in Iudicio qua forma puniatur. 52
Denunciatio ad proſequendam propriam injuriam. 65
Denunciatio inſerta in Epiſtola. 62
Denunciationis forma, qua quis excipiendus eſt à dignitate. 86
Denunciationis revocatio. 64
Denunciator qua forma ſit examinandus. ibid.
Denuncia volgare à favore del denuntiante. 310

E

Electio arbitrum, & eius forma. 176
Electio Actuarii, & eius forma. 55
Electionis Capitularis annullandæ forma. 288
Epiſtola quomodo recognoſcatur per Teſtes. 47
Examen Denuntiantis forma. 64
Examen Rei Incarcerati. 180
Examen Rei extra carceres. ibid.
Examen Scriptoris. 61
Examen Teſtium, quomodo ſit delegandum. 15
Exceptiones frivolæ qua forma rejiciantur. 176
Exceptionis forma contra Iudicem ordinarium. 87
Excommunicandi forma. 22. §. 6
Extrajudicialis confeſſio qua forma probetur. 140

F

Flagellationis tormentum, & eius forma. 208
Forma acceptationis defenſionum ante torturam. 202
Item ante ſententiam. 240
Forma annullandi Electionem Capitularem. 288
Forma Apoſtolorum in Notorio delicto. 88
Forma Apoſtolorum Dimiſſoriorum, & Reverentialium. 292
Item Refutatorialium. 293
Forma Apoſtolorum per Iudicem Delegatum. ibid.
Forma Appellationis ab Interlocutoria. 175
Item alia ſimilis. 238
Forma regiſtrandi in Actis appellationem. 283
Forma Appellationis coram honeſtis viris. 284
Item reſponſionis ad dictam Appellationem. 285
Forma alterius Appellationis pariter interponendæ coram honeſtis viris pro gravamine accepto in Viſitatione Generali. ibid.
Item eiuſdem reſponſionis formula. 286

Forma

Forma alterius ſimilis Appellationis poſt latam, & acceptatam ſententiam. 286
Forma Appellationum extrajudicialium. 287
Et præſertim Appellationis vagæ cuicumque negotio accommodandæ. ibid.
Forma Appellationis pro futuro gravamine. 288
Alia ſimilis forma ſpecificè applicata. ibid.
Item alia ſimilis, ac etiam pro præterito gravamine. 290
Forma diverſarum Appellationum à Deffinitiva ſententia. 282
Forma Appellationis cum nullitate. ibid.
Item alia ſimilis. 283
Forma ſimplicis Appellationis. ibid.
Forma qua in Actis inſeritur appellatio. ibid.
Forma autenticandi aliquam Scripturam. 68. 304
Forma citandi Reum abſentem. 178
Item in Notorio delicto. 88
Forma citationis ante ſententiam. 242
Forma citationis faciendæ Contumaci. 91
Forma Commiſſionis ad viſitandam Provinciam. 17
Forma Commiſſionis ad plures Cauſas. 14
Item ad unam Cauſam. 15
Forma compellendi Reum ad conſignandas Cauſas exceptionis coram Arbitris. 177
Forma compoſitionis Rei, cum fiſco. 194
Forma confrontandi Teſtes cum Reo. 189
Item confrontandi Teſtis Sæcularis cum Reo. ibid.
Forma conſtituti cum termino ad ſe defendendum ante torturam. 193
Forma declarandi per ſententiam delictum fuiſſe notoriè commiſſum. 87
Forma Decreti ad habendum votum conſultivum à peritis. 241
Forma deſcribendi votum peritorum. ibid.
Item forma Decreti adhærendi dicto Voto. ibid.
Forma Decreti de procedendo per viam articulorum. 78
Forma Decreti arreſtandi Reum de fuga ſuſpectum ante conſtitutum. 186
Forma Decreti pro defenſionibus ante torturam. 195
Item ante ſententiam. 236
Forma Decreti ad habendam reſponſionem Rei poſt ultimum conſtitutum, & comminationem pœnarum. 192
Forma Decreti pro reſponſione tantùm. 181. 182
Item Decreti, quando petitur repetitio Teſtium. 197
Forma Decreti inſerendi aliquam ſcripturam in Actis. 305
Forma Decreti pro tormento flagellationis. 207. §. 2.
Forma Decreti pro tortura funis. 195
Item alia ſimilis. ibid.
Item pro complicibus, & ſociis. 206
Forma Decreti ad prorogandum terminum defenſionum. 196. 237
Forma Decreti citationes ad ſententiam. 242

Forma deducendi Cauſam civilem ad Ius criminale. 52
Forma delegandi Teſtium examen. 15
Forma Denunciationis, qua quis excipiendus eſt à dignitate adipiſcenda. 86
Forma deſcribendi defenſiones ante torturam. 201
Item ante ſententiam. 239
Forma eligendi Actuarium. 55
Forma excipiendi aliquem Iudicem Ordinarium. 87
Forma examinandi Teſtes ex officio quoad famam. 40
Forma examinandi Teſtes. 137
Item ad defenſam. 199
Forma ipſos examinandi de fama extra Viſitationem delata. 41
Item illos examinandi ad probationem inimicitiæ. 140
Item in Apoſtaſia. *ibid.*
Item ad confeſſionem extrajudicialem probandam. *ibid.*
Forma examinandi Reum in primo conſtituto. 180
Item in ſecundo, & tertio. 184. 185
Forma examinis ultimi conſtituti. 195
Forma incipiendi Inquiſitionem ſpecialem contra infamatum in Viſitatione. 40
Item extra Viſitationem. 41
Forma incipiendi proceſſum contra Denunciatum in Viſitatione Generali. 67
Item per Delegatum. *ibid.*
Forma incipiendi proceſſum à Delegato in cauſa Accuſationis. 75
Item per viam Articulorum Juratorum. 79
Item per viam Notorii. 87
Item ex clamoroſa inſinuatione. 41
Item per Denunciationem. 60
Item quando non conſtat neque de delicto, neque de delinquente. 65
Forma incipiendi proceſſum per viam Accuſationis à Iudice Ordinario. 73
Item per viam Articulorum Iuratorum. 78
Forma inquirendi occultum auctorem manifeſti delicti. 50
Forma inquirendi ſpecialiter pro delicto incidenter in Iudicio detecto. 51
Forma Inquiſitionis paternæ. 19
Forma Inquiſitionis generalis Iudicialis. 20
Forma Inquiſitionis ſpecialis ex clamoroſa inſinuatione detecto delinquente in Inquiſitione generali. 41
Forma inquiſitionis ſpecialis, quæ fit in Viſitatione. 39
Forma Inquiſitionis ſpecialis quoad delictum, & generalis quoad perſonas. 43
Forma Inquiſitionis ſpecialis quoad perſonas, & generalis quoad delictum. 44
Forma Inſtantiæ Epiſcopo porrigendæ ab aliquo Concionatore indebitè diffamato. 302
Forma Inſtantiæ Eminentiſſimo Protectori porrigendæ pro diviſione alicujus Provinciæ. 303

Forma

Forma Inſtantiæ alicui Iudici præſentandæ, ut quis primo audiatur in Cauſa. ibid.
Forma Inſtantiæ pro repetitione alicujus Scripturæ. 304
Forma interrogatoriorum pro repetitione Teſtium, 198
Forma monendi Teſtem pertinacem. 138
Forma Monitorij. 90.22.5.5
Forma petendi copiam proceſſus defenſivi. 200
Forma petitionis ad prorogandum terminum defenſionum. 195.237
Forma petendi prorogationem ad docendum de Appellatione. 293
Forma præcepti alicui Superiori faciendi pro incarceratione Rei de fuga ſuſpecti. 306
Forma præcepti ſub cenſuris. 91
Forma præfigendi terminum Arbitris. 176
Forma præfigendi terminum ad redeundum pro Apoſtolis. 284
Forma præſcribendi Reo defenſiones ante, & poſt torturam. 196.236
Forma procedendi in Notorio delicto. 87
Forma procedendi à Iudice Delegato in Inquiſitione generali, & etiam ſpeciali. 52
Forma procedendi per Inquiſitionem ſpecialem contra Apoſtatam. 39
Forma procedendi in delicto coram Judice commiſſo. 52
Forma procedendi contra Reum in fragranti crimine repertum. 89
Forma procedendi contra Apoſtatam. 93
Forma procedendi contra infamatum. 40
Forma procedendi ex officio contra delinquentem, qui pluries correptus non vult ſe emendare. 53
Forma procedendi per exceptionem. 85
Forma procedendi per Delegatum in cauſa Appellationis. 294
Forma proceſſus per Delegatum ex fama. 54
Forma Purgationis Canonicæ. 298
Forma ratificandi Confeſſionem poſt torturam. 208
Forma recipiendi Denunciationem in ſcriptis. 60
Forma recognoſcendi corpus Delicti. 44
In characteribus per peritos. 47
In furto. 46
In defloratione Virginis. 48
In Veneno. 49
Forma recognoſcendi Reum per teſtes. 189
Item poſt litem conteſtatam. 192
Forma recuſandi Viſitatorem. 22
Forma recuſandi Iudicem ut ſuſpectum in primo conſtituto. 174
Forma regiſtrandi in Actis trepidationem, vel mutationem coloris in Reo. 183
Forma regiſtrandi renunciationem defenſionum. 196.237
Item renunciationis eorumdemmet defenſionum. 238
Forma regiſtrandi in Actis Appellationem. 283

Forma

Forma reijciendi per Iudicem Appellationes frivolas. 176
Forma repetendi Teſtes ſuper interrogatoriis. 199
Forma repetitionis Torturæ. 203
Forma revocandi gravamen per Iudicem Reo illatum. 292
Forma revocandi Denunciationem. 64
Forma ſententiæ Arbitrum in Cauſa recuſationis. 177
Forma ſententiæ contra Contumacem, & rebellem. 179. 22. §. 6.
Forma diverſarum ſententiarum. 242
Et primo ſententiæ abſolutoriæ in primo capite. ibid.
Item in ſecundo capite. 244
Item condemnatoriæ contra convictum. ibid.
Item contra ſemiplenè convictum. ibid.
Item abſolutoriè ob obſervatione Iudicii. 244
Item condemnatoriæ cum augmentatione, vel diminutione pœnarum. 245
Item abſque expreſſione Cauſæ. 246
Forma ſententiæ abſolutoriæ pro reperto innocente in cauſa Accuſationis, & condemnatoriæ contra calumniatorem. ibid.
Item abſolutoriæ Rei prætenſi, & condemnatoriæ Teſtium. 247
Item abſolutoriæ pro torto, qui ſe purgavit. ibid.
Item in partem abſolutoriæ, & in partem condemnatoriæ abſque tortura. 248
Item abſolutoriæ pro reperto innocente in Cauſa per viam Articulorum Juratorum, ità ut non fuerit conſtitutus. 249
Item condemnatoriæ in ſimili Cauſa. ibid.
Forma ſententiæ in delicto Notorio. 251
Forma ſententiæ declaratoriæ pro incurſu pœnarum. ibid.
Forma ſententiæ exceptoriæ. 252
Forma ſententiæ Interlocutoriæ. ibid.
Forma ſententiarum in Appellationibus idèſt, in ſecunda, & tertia inſtantia. 296
Forma ſervanda in delicto rebellionis. 90. 91
Forma ſubdelegationis ad aliquam Cauſam. 15
Forma torquendi Teſtem quando non vult reſpondere. 138
Forma torquendi Teſtem inhabilem. 143
Item Teſtem varium. 141. Item ſubornatum. 142
Item negantem interfuiſſe delicto. ibid.
Forma Torturæ funis. 202
Item in complicibus, & ſocijs. 206
Forma viſitandi habitationem, & perſonam Rei. 187
Item viſitandi vulneratum. 45
Forma viſitandi, & examinandi Reum incarceratum. 187
Forma viſitandi Teſtes inhabiles ad torturam. 143
Forma vocandi teſtem abſentem. 139
Formula di una proteſta in lingua volgare. 308
Altra ſimile proteſta, & inſtanza. ibid.

Formula per una procura. 309
Formula di una Denuncia à favore del Denunciante. 310

G

GRadus diverſos torturæ funis. 202
Gravamen futurum, qua forma ſit ab eo appellandum. 288
Gravamen qua forma ſit à Iudice revocandum. 292

H

HAbitatio, & perſona Rei, qua forma ſit viſitanda. 187
Honeſtis viri, qua forma reſpondere debeant, quandò coràm ipſis interponitur appellatio. 285

I

INhabiles ad torturam funis quomodo ſint viſitandi per peritos. 143
Interlocutoriæ ſententiæ forma pro expulſione Accuſatoris, vel Teſtium. 252
Et eius Appellatio. 176
Inquiſitionis generalis Iudicialis ex officio forma. 20
Item generalis paternæ. 19
Inquiſitionis ſpecialis in Viſitatione forma. 39
Item extra Viſitationem. 41
Item ex clamoroſa inſinuatione. ibid.
Item ſpecialis quoad delictum, generalis verò quoad perſonas. 43
Et è contra. 44
Item contra Apoſtatam. 39
Interrogatoriorum forma pro repetitione Teſtium. 198
Iudex ſuſpectus qua forma ſit recuſandus. 174
Inſtanza in lingua volgare. 208

L

LItterarum, & Epiſtolarum recognitionis forma per peritos. 47
Litteræ Patentales, qua forma debeant publicari cum ſuo Decreto. 307

M

MOdus procedendi contra Reum quando non vult reſpondere. 182
Modus recuſandi Iudicem ſuſpectum. 174
Modus convincendi Reum negativum. 189
Modus procedendi per viam Accuſationis. 31
Item Denunciationis. 60. Item per viam Articulorum. 78
Item ſecundùm diverſos alios modos. 39
Monitio teſtis pertinacis. 138
Monitorium, & eius forma. 90
Mutationem coloris in Reo qua forma deſcribatur in Actis. 183

N

NOtorium delictum, & forma in eo ſervanda. 87
Notorium delictum qua forma ſit declarandum, & modus in eo tenendi. ibid.

Obe-

O

Obedientiæ, ſeù Commiſſionis forma ad viſitandam Provinciam. 16. 17
Item ad unam Cauſam. 15
Item ad plures Cauſas. 12

P

Pertinacia in teſte, qua forma moneatur. 138
Petitio copiæ proceſſus defenſivi. 200
Petitio prorogationis termini. 196
Petitio repetitionis Teſtium. 197
Præfixi termini Arbitris facienda. 176
Prorogatio termini defenſionum. 196
Purgationis Canonicæ forma. 298
Procura, e ſua forma in lingua volgare. 309
Proteſta in ſimile forma. 308

Q

Quomodo ſit delegandum Teſtium examen. 15
Quomodo ſit viſitandus vulneratus. 45. 46
Item Carceratus. 187
Et teſtis inhabilis. 143
Quomodo appelletur ab Interlocutoria. 176

R

Rebelles, qua forma cogi debeant per cenſuras. 90
Rebellionis delictum, qua forma in eo procedatur. 91
Recognitio ſcripturæ per teſtes, & peritos. 47
Recuſatio Iudicis ſuſpecti, qua forma ſit facienda. 174
Item Iudicis Ordinarii. 87
Recuſatio defenſionum, & eius forma. 196
Item alia forma. 237
Rei compulſio ad exprimendas cauſas coràm Arbitris. 176
Rei confrontatio cum Teſte. 189
Repetitio Teſtium, & eius forma. 199
Revocatio Denunciationis. 64
Reus negativus, qua forma ſit convicendus. 149
Reus abſens, qua forma ſit citandus. 178
Reus quomodo ſit incarcerandus. 186

S

Sententia contra Contumacem, & eius forma. 179
Sententia pro reperto innocente, ità ut non fuerit conſtitutus. 249
Sententia contra convictum. 245
Alia contra ſemplenè convictum. ibid.
Sententia ab obſervatione Iudicii. 244
Sententiarum aliarum diverſarum formæ. Vide

Forma

Forma diverſarum ſententiarum.
Subdelegationis forma ad aliquam Cauſam. 15

T

TAciturnitas quomodo corrigatur. 138
Teſtes qua forma ſint examinandi. 137
Teſtis infamis qua forma torqueatur. 142
Item falſus, & pejurius. 143
Teſtis pertinax quomodo moneatur. 138
Teſtis qui non vult reſpondere, quomodo torqueatur. ibid.
Item varius, vacillans, & ſubornatus. 141
Item negans interfuiſſe delicto. 143
Teſtium repulſio per ſententiam interlocutoriam. 252
Tormentum funis, & eius forma. 202
Item flagellationis. 207
Torturæ repetitionis forma. 203
Trepidatio in Reo, quomodo regiſtretur in Actis. 183

V

VAriatio coloris in Reo, quomodo deſcribatur. 183
Viſitatio vulnerati, qua forma ſit deſcribenda. 45
Viſitatio Rei incarcerati. 187
Viſitatio Teſtis inhabilis ad torturam. 144
Viſitator quomodo ſit recuſandus. 21
Votum à peritis quomodo ſit à Iudice petendum. 241
Item quomodo ſit deſcribendum à peritis. ibid.

FINIS.

PROTESTATIO AUCTORIS:

Alios etiam, præter infraſcriptos errores, qui incidenter ſunt inventi, tua, ò benevole Lector, benignitas emendabit, dum nec Liber Auctorem ſuum, nec Auctor ſuum Librum vidit, quando typis imprimebatur, licèt poſtremam eius manum deſideraret. Similiter adverte, quòd in aliquibus locis, & præcipuè in Praxibus, et Formulis videtur poſſe appellari ad Eminentiſs. Protectorem, dum in ipſis exprimitur ad eumdem Eminentiſs. appellatio, quòd tamen hodie attenta nova Conſtitutione S. D. N. Innoc. XII. non admittitur.

Sicuti etiam ſuperfluè fuit impreſſus in prima Regula de appellatione §. 5. *qui incipit* Et ſicut &c. *ex eo quia primum folium fuit noviter impreſſum poſt publicationem dictæ Conſtit. de qua ibidem.*

Fol.	Lin.	Errata.	Corrige.	Fol.	Lin.	Errata.	Corrige.
9	1	vi	ei	30	14	delinquente	delinquentem
10	11	Delegatam	Delegata	34	26	ipſius	ipſi
17	28	injunctam	injunctum	35	14	cum	eum
17	39	futura	futuram	40	30	aliquem	aliquam
17	40	vires	vices	42	1	electio	electo
17	40	vices	vites	42	2	in hoc	in hac
18	2	Agricuræ	Agriculturæ	42	35	correxeit	correxerit
19	9	non	nos	43	36	& ſic	& ſi
21	4	eſſet	eſſe	53	23	præſente	præſenti
21	15	proceſſo	proceſſu	54	23	non	nos
21	22	Viſitationis	Viſitatoris	61	41	Provincialis	Provinciali
22	3	cxi	vi	63	41	recognitione	recognitionem
24	29	confuſionem	confeſſionem	65	3	*non* eidemque	eidemque
27	11	judiciis	indiciis	66	7	opiniones	opinionis
27	35	Teſtes	Teſtis	72	34	quum	quam
27	41	autem	aut	84	6	tale	tali
28	12	commiſſam	commiſſum	84	41	Prælatos	Prælatus

Fol.	lin.	Errata.	Corrige.
85	2	procedere	præcedere
89	36	idem	eidem
98	41	inductus	indutus
103	12	alia	alio
116	9	quod ſe	quoad ſe
122	8	proferunt	proferuntur
123	3	admitti	dimitti
125	13	de facti	ad facti
126	1	hoc	hac
131	14	ſibi	cibi
142	32	efficiat	afficiat
152	7	relectionibus	electionibus
156	29	mali	malis
176	31	ab	ad
193	20	negotii	negotiis
210	17	abſolutos	abſolutus
214	33	exculpationi	exculpationem
217	22	rationibue	rationibus
221	6	die	diem
231	37	cum	vim
232	3	eſſent	eſſet
235	7	interlocutoria	interlocutoriam
255	35	reos	hoc
273	36	Peicinus	Peirinus
290	34	ſpecificè	pacifice
326	28	tentatur	teſtatur
328	1	ſententiat	ſententia
344	30	qualitatem	qualitate
345	24	labefectere	labefactare
348	21	eſſent	eſſet
350	13	talli	tolli
355	37	opinione	opinioni

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google